1662





R. P. D. ANTONINI

DIANA

PANORMITANI,

Cler. Reg. coram S. D. N.

ALEXANDRO VII.

Episcoporum Examinatoris & S. Officij in Regno Siciliæ Consultoris,

PRACTICÆ.

RESOLVTIONES

LECTISSIMORVM CASVVM

EDITIO VLTIMA.

Partes omnes XII. complectens,

Iterum cum Auctore collata ac plurimis locis aucta.



ANTVERPIÆ

Apud IACOBVM MEVRSIVM.

ANNO M. DC. LXII.

A

ABBAS.

BBATES ex priuilegio ab Innocentio VIII. concesso, possunt consecrare calices, altaria, campanas, &c. non tantùm ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum. Barbosa & 4. *p.* 3. *tr.* 2. *res.*15.

II. Priuilegium quorumdam Abbatum, conferendi minores Ordines etiam non subditis, modò fiat ex consensu Episcopi, esse reuocatum per Trident. *sess.* 23.*c.*10.*de reform.* affirmat. Vasquez *&* 42. Negat Sanchez *&* 23. Imò & Abbates non benedictos, sed triennales, id posse, docet Bruno. Quorum resolutio videtur à S. Congreg. expectanda *p.*4.*tr.*4.*res.*147.*&* *p.*5.*tr.*13.*res.*93.*&* *p.*11.*tr.*2.*res.*17.*&* 30. Sed nunc. Congregatio respondit, Abbates id non posse quoad non subditos, & approbauit Vrbanus VIII. Imò neque Nouitiis suis possunt eos conferre, quia hi non subsunt pleno iure Abbati. Henriquez & 5. Quamuis hoc affirmet Layman. *p.* 7.*tr.*11.*res.*42.*&* *p.*11.*tr.*2.*res.* 17.*&* 30.

III. Abbatem Cistercij & quatuor primos Coabbates posse etiam nunc post Concilium Trident. suis Religiosis conferre subdiaconatum, & diaconatum ex priuilegio In[illegible] VIII. & hoc in praxi fieri, docet Caram. & 4. Sed contrarium docet Candid. & 4. Imò idem posse ceteros, A[illegible]dictos qui cum Abbate Cistercij communicant in priuilegiis, docet Bruno. Ego resolutionem eius remitto ad Sac. Congreg. Nam certum est etiam Cistercienses eâ potestate iam non vti. Vasquez & 2. Et quamuis illi hanc haberent, non communicaretur tamen aliis Abbatibus. *p.*7.*tr.*11.*res.*42.*&* *p.*11.*tr.*2.*res.*17.*&* 40.

IV. Possunt Clericis sæcularibus sibi subditis litteras dimissorias concedere. Villaloh.& Rodriquez. Neque debent ij tunc ab Episcopis, examinari.stante etiam Concilio Triden. Villalob. & 2. simulque possunt tunc Abbates cum iisdem dispensare in interstitiis, vti & in iis casibus quibus tonsuram, & minores ordines conferre possunt. *p.3.tr.2.ref.95.& p.5.tr.10.ref.40.*

Vide *Prælatus.*

Abbatißa.

I. POtest Monialis vidua eligi in Abbatissam:lex enim id prohibens abrogata est per contrarium vsum. Portel.& 3. Alij tamen contrarium docent. Barbof. & 4. Non possunt tamen Moniales de Monasterio ad Monasterium transferri, etiam ratione Prioratûs,aut alterius officij,sine licentiâ Sedis Apostolicæ,ex Decreto Pauli V. *p.3.tr.2.ref.99.*

II. Annos quadraginta quos in Abbatisâ requirit Trident. debere esse completos, docet Gosias: sufficere inchoatos; Portel. vtrimque probabiliter, nisi obstet S, Congregatio requirens 22. completos in promouendis ad dignitates, & Personatus. Ideo tu cogita.*p. 7. tr. 12. ref.9.*

III. Monialis illegitima etiam sine dispensatione potest esse Abbatissa. Portel & 2. Communiùs tamen contrarium docent. Suarez & 6. sed quamuis requireretur dispensatio,posset ea concedi ab ipsarum Prælatis.*p.[illegible] tr. 2. ref.101.*

IV. Abbatissa nihil potest præcipere sub excomm. quia caret iurisdictione spiritali.D.Thom.& 4.Imò nec in virtute obedientiæ, sed tantùm instar matris-familias circa ea quæ ad domesticam gubernationem spectant. Sanchez & 7. Contrarium tamen est probabile. Salas & *5.p.5.tr.9. ref.16.*

V. Licet officium Abbatissarum quæ subiectæ sunt FF.

Minoribus, expiret finito triennio, nec Episcopus possit illud prorogare:possunt tamen per eos dies quibus fit electio, regere monasterium. Mirand. & Sanctor. *p.* 7. *tr.* 12. *ref.* 19.

Abortus.

I. ETsi mulier experta sit se adire periculum mortis in partu, non potest tamen propterea per medicamentum procurare sterilitatem. Caietan. & 9. Quamuis id doceat Torreblanca qui alios citat,sed male. *p.* 5. *tr.* 14. *ref.* 90. & *p.* 7. *tr.* 5. *ref.* 33.

II. Non licet puellæ prægnanti ad vitandum periculum grauis infamiæ,vel etiam vitæ, procurare abortum, etiam ante fœtûs animationem.Sanchez & 15. Et contrarium est prorsus improbabile, etsi id doceat Torrebol. & 4. Per medicamenta tamen licet etiam directè fœtum inanimatum expellere ad vitam matris seruandam quando morbus id exigit. Sanchez & 6. Quamuis hoc neget Lessius & 8. *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 11. & *p.* 5. *tr.* 14. *ref.* 90. & *p.* 6. *tr.* 8. *ref.* 37. & *p.* 7. *tr.* 5. *ref.* 32. & 34.

III. Si mater periculosè laboret, potest, cum aliud non est remedium, dari medicina directè tendens ad curationem,vt balnea. venæ sectio &c. etsi per accidens sequatur mors fœtûs animati: imò etsi æquè directè tendat ad interitum fœtûs,quando salus vtriusque aliàs desperatur:præualet enim ius matris.Sanchez & 6. Quod si adsit probabilis spes fœtum posse in lucem prodire, & baptisari, si mater abstineat ab eâ medicinâ. peccat mortaliter contra caritatem,eam sumendo; quia præferenda est vita spiritalis fœtûs.Laym.& 5. Nisi tamen mater probabiliter timeret se esse in peccato mortali.Caspens.Sed etiam tunc idem affirmat Lugo;cùm possit elicere contritionem. *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 11. & *p.* 6. *tr.* 8. *ref.* 37. & *p.* 7. *tr.* 5. *ref.* 35. 36. 37. & 38.

IV. Mulieres statim mingentes post copulam ad im-

pediendam conceptionem, secundùm quosdam peccant contra ordinem generationis. Alii hoc frustra fieri volunt Ego puto eas peccare contra conscientiam erroneam, si credant ita mingendo peccare. Quamuis autem ita mingendo, vel etiam digitis semen eiicerent, non dicerentur tamen procurare abortum. Bordon. Vti neque si vir aut fœmina in copulâ se retrahant ad impediendam conceptionem. Scort. & 3. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 15. & *p.* 7. *tr.* 5. *res.* 31. & 13.

V. Qui abortum procurant, præter pœnas iuris ciuilis & Canonici, ex nouo iure Sixti V. si fœtus fuerit animatus, tenentur omnibus pœnis statutis in veros homicidas, fiunt irregulares, & inhabiles ad officia & beneficia, etiamsi delictum sit occultum. Iisdem etiam pœnis tenentur qui præbent venena sterilitatis, vel cooperantur ad impediendam conceptionem. Item hi omnes, vti & qui scribendo litteras, vel apochas, vel aliter verbis, aut signis ad eadem illa iuuerint, aut consuluerint, ipso facto incurrunt excomm. reseruatam: quam tamen reseruationem sustulit Gregorius XIV. qui etiam pœnas illas posteriores reduxit ad ius commune, & Concilij Trident. quoties non interuenit occisio fœtûs animati. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 1. 2. 3. 4. & 5.

VI. Excommunicatione illâ ligantur etiam ipsæ matres in se abortum procurantes. Bonac. & 2. (etsi contrarium doceat Nald. & 2.) nisi metu cadente in virum constantem cogerentur v.g. potionem sumere. Sed non ligantur qui venenum sterilitatis dederunt, aut procurarunt abortum fœtûs nondum animati; ex reuocatoriâ Gregorij XIV. Neque alii quiuis si effectus de facto non sequatur. Bonacin. & 4. Neque cooperantes cum ignorantiâ iuris vel facti, etiam crassâ, supinâ, imò & affectatâ, modò non sit ingens temeritas: propter particulam *scienter*. Bonacin. & 2. Neque qui abortum non impedit, cùm facilè posset, aut etiam qui iam factum approbat: secùs si faciendum. Floron. & 2. *Ibid. res.* 7. 12. 8. 9. 10. 11. & 14.

VII. Pœna priuationis omnis priuilegij clericalis, of-

ficiorum, & beneficiorum, non obligat ante sententiam declaratoriam (Barbos. & 2.) vti & pœna inhabilitatis ad illa. Sanchez & Lessius. Nomine autem officiorum intelliguntur munera quæ habent administrationem rerum, vel personarum Ecclesiasticarum cum superioritate, atque ita omnia quæ habent iurisdictionem ordinariam. Sanchez & 2. Item quæ habent delegatam ratione certi officii vel Personatûs, vel ita vt in eâ sint maiores Ordinariis, vt Visitatores. Mirand. Non tamen Definitores, Discreti, & Procuratores ad Capitula Generalia, vel Prouincialia. Bonacin. & 2. Etsi hoc etiam asserat Mirand. Neque Concionatores, Lectores, Magistri nouitiorum, Consultores, Assistentes Generalis &c. Bonacin & 4. *Ibid. res.* 17. 18. *&* 27.

VIII. Pœnæ illæ non incurruntur ex abortu casuali, id est, qui non est intentus, etiamsi sit causatus per actionem malam, & inaduertentiam mortaliter culpabilem. Bordon. & 7. Vnde nec in eas incideret qui ex intentione procurandi abortum Caiæ potionem parauit, si hæc per errorem detur Titiæ grauidæ, & abortus sequatur: sicut neque si coniuges nimiâ corporis agitatione tempore copulæ eius sint causa per incuriam mortalem; vel si vir verberando vxorem nisi ea fierent ex intentione abortûs; nam aliàs non procurant eum. Floron. Neque si quis feminam ad se venire iubeat per tectum, aliaue loca periculosa, vnde abortet. *Ibid. res.* 20. *&* 30. *&* *p.* 11. *tr.* 6. *res.* 43.

IX. Pœnæ omnes exceptâ irregularitate non incurruntur in dubio an fœtus fuerit animatus. Sanchez & 3. Nec ipsa etiam irregularitas cum quis procurauit quidem, sed dubitatur an abortus inde sit secutus, si media adhibita non erant communiter effectum trahentia, sed fallibilia. Et qui dedit consilium potest stare dicto personæ fide dignæ, si dicat se non fuisse illo motum ad procurandum abortum. Sanchez & 3. *p.* 7. *tr.* 5. *res.* 25. *&* 26.

X. Qui abortum procurauit ante quadragesimum diem fœtûs, non est censendus irregularis, aut pœnas Sixti V. incurrisse; cùm communiùs doceant masculos solùm ani-

mari die quadragesimo ; feminas verò octogesimo. Molin.& 8. Quando autem dubitatur an fœtus sit masculus, an femina, presumendus est fuisse masculus, & animatus post 40.diem.*Ibid.res.6.*

XI. Si monialis ad procurandum abortum potionem sumat,vel pugnis se contundat, incidit quidem in censuras Sixti V.non tamen in excomm.*cap.siquis suadente*;quia percussio illa non est iniuriosa personę Ecclesiasticæ, sed fœtui. Bonacin. & 5. Idem probabilius dicendum est de extraneo qui Moniali potionem talem daret ad abortum procurandum. Etsi contrarium etiam probabile sit. *Ibid. res.40.& p.9.tr.4.res.10.*

XII. Qui absoluit ab illâ excomm. debet esse specialiter ad hoc deputatus ab Episcopo, vel Regulares à suo Prouinciali, & non solùm per generalem potestatem absoluendi à reseruatis Episcopo. Villalob. & 4. Quamuis hoc posterius sufficere affirmet Bonacin. & 2. Possunt tamen ab eâ absoluere suos subditos omnes Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem, & omnes qui possunt absoluere ab omnibus censuris reseruatis Sedi Apostolicæ.Sanchez.& 2. Ideoque in facultatibus iubilæi includitur ea potestas (Boss.) vel etiam Bullæ Cruciatæ*p.7.tr.5. res.15,16.& 19.& p.5.tr.9.res.40.*

XIII. In irregularitate ex abortu fœtûs animati non potest Episcopus dispensare : licèt id affirmet Nouar. Et cùm in casu occulto petitur ea dispensatio à Pœnitentiariâ,debet supplicans exprimere, si fœtus erat à se genitus, aliàs gratia est subreptitia. Thesaur.& Leone. Possunt tamen in eâ dispensare cum suis subditis Prælati Regulares cùm res est occulta(Villalob.& 3.) & hoc aliis committere.Portel.Imò adhuc posse quamuis res esset notoria apud Fratres,modò sit occulta apud sæculares,ita vt in iudicio probari non possit docet Villalob.& 4.Sed non est à contrariâ sententiâ recedendum. Possunt tamen rehabilitare ad officia, & hanc potestatem aliis committere, quia ea non est reseruata : Et hoc sufficienter fit per generalem

dispensationem.& rehabilitationem quæ fit v.g.in Capitulo, etiamsi aliqui nescirent se indigere. Villalob.*&* 2.*p*.7. *tr*.5.*res*.21.22.*&* 23.*&* *p*.4.*tr*.2.*res*.87.

Absolutio.

I. QVando pœnitens vnum tantùm peccatum confitetur; & Confessarius probabiliter credit illud non esse reseruatum, valet absolutio,etsi verè reseruatum sit:nam probabilis DD.opinio facit, vt Ecclesia det Confessario iurisdictionem.Lessius & 5.*p*.2.*tr*.15.*res*.29. Imò si pœnitens bonâ fide mortalia simul & venialia confiteatur simplici sacerdoti,vel reseruata simul & non reseruata non habenti iurisdictionem in reseruata, etsi sacerdos malâ fide absolueret sciens se non habere potestatem in omnia confessa,adhuc valeret absolutio: quia cùm habeat potestatem in quædam peccata confessa, ab his absolueret directè,& ab aliis indirectè; manebit tamen pœnitens cum onere explicandi superiori,peccatum reseruatum, vbi nouerit esse tale.Amic.& 3.*p*.9.*tr*.9.*res*.29.

II. Qui nullum peccatum vel in genere, vel in specie confitetur, sed solùm in genere dicit se peccasse,posse tamen absolui,docet Pasqualig. Quod negat Caspens.nisi in necessitate.*p*. 11.*tr*.6.*res*.60.

III. Si forma absolutionis varietur ita vt proferatur indicatiuo modo,videlicet *volo absoluaris*,non esse nisi veniale docet Hurtad.eò quòd talis forma sufficiat ad valorem.Suarez & 4.*p*.5.*tr*.13.*res*.34. Verba autem sola *absoluo te*,sufficiunt.(D.Thomas & 43.)& necessaria sunt.Lugo & 2. Hinc illis prolatis statim confertur effectus Sacramenti,si pœnitens sit dispositus.Quod si forte non esset dispositus nisi in fine illorum verborum *à peccatis tuis*,tunc per illa simul conferretur effectus.Amic. Qui autem diceret *Nos absoluimus vos* &c.etsi valeret forma(Granad.) peccaret tamen(Caietan.)sed non mortaliter.Amic.*p*.11.*tr*.6.*res*. 11. 12. *&* 13.

IV. Omittere verba illa *à peccatis tuis*, veniale est Granad.& 3.Etsi alij nullum peccatum esse dicant Henriq.& 5. In articulo autem mortis illa omittere, probabiliùs est mortale quia aliquali periculo exponitur pœnitens, cum nonnulli doceant ea esse de necessitate Sacramenti. Granad.Verba autem illa *in nomine Patris* &c. non esse de essentiâ Sacramenti,certum est.*p.*11.*tr.*6.*ref.*21.

V. Si quis absolueret dicendo : *Ego tibi peccata remitto* vel *condono*, vel *remittuntur tibi peccata* &c.peccaret mortaliter;eo quod modus ordinarius absoluendi grauiter obliget,neque possit esse iusta causa mutandi.Vasquez & Præposit. Etsi contrarium doceant Sotus & Valent.*p.*11.*tr.*14. *ref.*18.

VI. Si duo simul eundem absoluerent, valida esset absolutio,nisi pœnitens peccaret volendo sic absolui. Lugo & 2. Imò posset esse casus quò deberet sic absolui v.g. si quis in prælio vulneratus cœpisset confiteri,& postea hoste superueniente Confessarius fugeret,qui postea rediens inueniret eum alteri confitentem, ita vt vnus vnam partem confessionis excepisset, & alter alteram, neuter verò integram deberet vterque simul absoluere. Dicastill.*p.* 11. *tr.* 8. *ref.* 46.

VII. Clerico habenti solam primam tonsuram non est danda absolutio à suspensione in quantùm indigeat; quia prima tonsura non est Ordo.Leander & 37.Etsi alij quoad vtrumque contrarium doceant. Barbos. & 7. *p.* 10. *tr.* 14. *ref.* 14.

VIII. Absolutio sub conditione præteritâ, vel præsenti cuius existentia non potest moraliter cognosci nec à sacerdote nec a pœnitente v.g. si Papa iam dormiat ,non est valida ; sub conditione verò certò futurâ v.g.si Antichristus veniat, valida est secùs si conditio est incerta v. g. si cras restituas.Castropal.& 2.*p.*11.*tr.*4.*ref.*18.

IX. In articulo mortis si non adesset sacerdos nisi mutus,posse hunc, imò debere scripto absoluere , vel signis , docet Io.Pontius : eo quod non sit damnatum ab Eccle-

siâ, verba non esse de essentiâ Sacramenti, quod docet Nauar.& 4. sed huius resolutio videtur ad iudicium S.Sedis remittenda *p.11.tr.6.res.14.*

X. Potest Confessarius propter consuetudinem peccandi, absolutionem differre. Suarez & 11.Sed non tenetur differre quoties pœnitens verè dolet, & emendationem proponit; nec manet in proximâ occasione extrinsecâ peccandi. Sanchez & 2. Et quamuis possit Confessarius imponere pœnitentiam medicinalem ad illam consuetudinem superandam, non tamen potest aliquam imponere subeundam sub conditione, si pœnitens relabatur. Sanchez & *4.p.1.tr.7.res.55.& p.6.tr.6.res.30.& tr.7.res.49.*

XI. Si pœnitens non potest vitare sine magno incommodo proximam occasionem peccandi, potest Confessarius illum absoluere; quia tunc non censetur velle illam occasionem, sed permittere. Imò licet in pœnitente vix appareat spes emendationis, si habeat dolorem de præterito,& propositum de futuro,ex multorum sententiis, potest absolui; neque propter recidiuam licet frequentem est absolutio deneganda. Sancius & *3.p.2.tr.16.res.45.& p.4.tr.4.res.165.& p.11.tr.8,res.30.*

XII. Quando pœnitens tenetur deserere occasionem peccandi, putà concubinam, etsi possit ei semel, aut iterum concedi absolutio antequàm eam expellat, rarò tamen id est faciendum. Quosdam tamen casus, vt quando concubina esset valde vtilis ad bona temporalia, vel etiam ad vitam non molestè agendam, vel si notabile mutuum ei dedit quod non recuperabit si eam à se dimittat, excipit Sancius & Castropal. sed an hæc probabilia sint, alii iudicent. Posse etiam, quando cum illa amplius non peccat, eam posteà inuisere ex fine alendi filios, quamuis inde sit periculum relapsûs, docent iidem. Sed cur non possit per alios alimenta filiis præstare? *p.5.tr.14.res.107.108.& 109.*

XIII. In dubio de capacitate pueri quoad vsum rationis, etiam post septennium non est ei absolutè danda ab-

solutio, vt vult Caram. sed solùm sub conditione saltem animo retentâ. Layman & 4. Post septennium autem debet eo modo absolui, si est in articulo mortis, nisi constet non habere vsum rationis. Zambran. & Medin. *p. 4. tr. 3. res. 53. & p. 5. tr. 3. res. 48. & p. 10. tr* 11. *res. 54. & 55.*

XIV. Quando debitor est in morâ soluendi, & sæpius confitetur, neque restituit; habet tamen animum restituendi; si ex illâ dilatione non sequitur detrimentum creditori, non videtur peccare mortaliter, neque est illi absolutio deneganda. Molina & Bonacin. *p. 2. tr. 17. res. 3.*

Vide *Confessarius.*

Absolutio ab excommunicatione.

I. QVi in vnâ diœcesi incidit in excommun. latam per ius, aut sententiam generalem, potest, si mutet domicilium, absolui in isto loco, ac si ibidem eam incurrisset, quamuis in priori diœcesi esset reseruata: secus si in priori diœcesi esset excommunicatus per sententiam particularem. Coninc. & 2. Quod tamen etiam affirmat Vasquez & 2. Qui verò in aliena diœcesi ratione delicti incidit in excom. numquam potest à proprio Episcopo absolui. Faber. *p. 5. tr. 9. res. 8. & 9. & p. 7. tr. 11. res. 46.*

II. Parochus vel alius Confessarius qui potest absoluere ab excomm. latâ à iure, & non reseruatâ, potest etiam absoluere à censurâ latâ ab homine per sententiam generalem, & non reseruatâ. Henriquez & 7. etsi id neget Suarez & 2. Porrò à censurâ iuris absoluere potest quilibet Sacerdos qui absoluit à mortalibus Vasquez & 11. *p. 5. tr. 9. res. 4. & 5.*

III. Probabile est absolutionem ab excomm. à laico, homini moribundo datam, validam esse, ita vt in loco sacro sepeliri possit. Sanchez & 10. (Quamuis de laico, etiâm primâ tonsurâ insignito id neget Auila, & 9.) Imò nonnulli DD. censent quemlibet hominem baptisatum etiam hæreticum, & præcisum, in articulo mortis absol-

uere posse ab excomm. Sancius & 5. Negatiua tamen sententia est probabilior; quia solis Sacerdotibus concessa est facultas absoluendi. Auila & 9. *Ibid. ref. 7. & tr. 3. ref. 77. & p. 3. tr. 4. ref. 133. & in addit. 3. p. ref. 12. & p. 8. tr. 1. ref. 92. & tr. 7. ref. 79. & p. 9. tr. 7. ref. 13.*

IV. Non tantùm validè, sed etiam licitè potest aliquandò absolui inuitus, quando ex circumstantiis prudenter iudicatur hoc vtile ipsi futurum. Turrian, & Faber. modò tamen non requiratur satisfactio partis. *p. 5. tr. 9. ref. 10.*

V. Ab excomm. reseruata Papæ, ex delicto etiam publico, absoluere potest Episcopus quando non potest recurri ad Papam nisi per procuratorem, vel epistolam. Sanchez & 5. Neque sic impeditus tenetur mittere Procuratorem, aut litteras. Castropal. & 18. Hoc autem impediunt. I. periculum mortis in itinere. II. paupertas, &c. Imò neque tunc est necesse recurrere ad Legatum, vel nuntium Papæ, aut alium qui habet priuilegium absoluendi: quia sublatâ per iustum impedimentum reseruatione, Episcopus absoluit vt proprius pastor. Hurtad. & 12. Quando tamen impedimentum non est perpetuum, debet solùm absoluere ad reincidentiam, si cessante impedimento non compareant coram Papa. Ab hac tamen facultate omnes casus Bullæ Cœnæ excipit Bonac. & Vgolin. Saltem excipiendum esse casum hæresis, docet Sanchez & 2. Quod tamen negat Dicastill. & Bossius. Imò propter praxim & stylum Curiæ Romanæ probabilius est in quouis simili impedimento debere recurri ad S. Pœnitentiariam, vel Rom. Pontificem: stylus enim Curiæ obligat etiam in foro conscientiæ. Sanchez & 2. Etsi hoc multi negent. Vasquez & 24. *Ibid. ref. 6. & p. 4. tr. 4. ref. 58. & p. 7. tr. 10. ref. 23. & p. 9. tr. 4. ref. 48. & tr. 7. ref. 9. & p. 11. tr. 8. ref. 1. & 2. & p. 12. tr. 2. ref. 24. & 25.*

VI. Si quis impeditus adire Pontificem in illis casibus, impediatur eodem modo adire Episcopum, non est improbabile posse absolui à Parocho, eoque deficiente à

quouis Confessario approbato. Suarez & 10. Contrarium tamen est probabilius. Vasquez & 3. Et eâdem ratione impeditus adire Episcopum pro casibus ipsi reseruatis, potest a quouis sacerdote exposito absolui cum onere comparendi coram Episcopo. Castrop. & 2. *p.* 9. *tr.* 7. *res.* 10. *&* 11.

VII. Ab excomm. ex percussione Clerici cùm hæc leuis est, absoluunt habentes Episcopalem iurisdictionem: cum verò grauis est vel enormis, solus Pontifex. Non debet, autem censeri enormis etsi facta sit in loco publico, nisi duo concurrant, vt & notabilis sit iniuria, & pariat magnum scandalum. Quæ non adsunt etsi quis calce percutiat Clericum in plateâ. Reginald. & 4. Neque si quis sacerdotem pugno percutiat in faciem, vnde aliquot guttæ sanguinis exeant de ore eius. Antonin. Idem est si ostiarius, vel alius officialis Papæ dum turbam arcet, ex industriâ Clericum percutiat, modò non grauiter vulneret: imò etsi grauiter læsisset, adhuc posset ab Episcopo absolui, sub onere sistendi se Papæ, nisi læsio vel esset enormis, vel facta esset non fortuitò, sed prætextu iurisdictionis, nam si fortuitò solùm & non de industriâ læderet, non incurreret censuram. Coninc & 4. Præsumitur autem fortuitò fecisse, si fecit exercendo officium: conrà verò si extra officium. Leone *p.* 2. *tr.* 16. *res.* 21. & *p.* 9. *tr.* 4. *res.* 47. 19. 20. *&* 55.

VIII. Censetur esse impedimentum recurrendi ad Papam. I. periculum vitæ, vel longa infirmitas etsi periculosa non sit. II. paupertas, quæ iudicio prudenti æstimari debet. III. ætas senis sexagenarij. Narbona & 2. Etsi communiùs requirant annos 70. Et contrà sufficere 50. completos docet Fragos. De quo tu cogita IV. ætas impuberis etsi non petat absolutionem nisi post pubertatem, modò ante incurrerit censuram. V. esse sub curâ parentum. VI. obligatio alendi vxorem, filios, vel familiam. VII. seruitus, quando seruus non potest adire Romam sine præiudicio Domini, & Dominus non fuit causa censuræ. VIII. fragili-

tas ſexûs, vnde excuſantur fœminæ cuiuſcumque conditionis. *p.9.tr.4.reſ.58.59.60.61.& 62.& tr.8.reſ.2.& p. 11.tr. 8.reſ.1.*

IX. Quando Epiſcopus in iſtis caſibus abſoluit, non debet exigere iuramentum de parendo &c. niſi in magnis criminibus, vt hæreticis, incendiariis, falſariis, percuſſoribus Clericorum &c. Caietant. & 2. Quod ſaltem pro foro interno verum eſt. Etſi autem omittatur quando à iure præſcribitur, non impeditur valor abſolutionis. Gordon. & 2. Sed non debet id exigi quando impedimentum eſt de ſe perpetuum, vel ob inopiam, vel ob ſubiectionem alterius poteſtati &c. *p.5.tr.5.reſ.68. & p.9.tr.4.reſ.64.*

X. Quamuis Epiſcopus ob cauſas iam dictas abſoluere poſſit ab omnibus caſibus Papalibus, vti & diſpenſare in voto caſtitatis abſolutæ quando magnum periculum eſt incontinentiæ, vel aliud magni momenti: (Sanchez & 7.) Non tamen id poteſt in iis caſibus eius Vicarius generalis; niſi ſpecialiter ei committatur; quia hoc competit Epiſcopo ratione officij & dignitatis. Quintanad. & 4. (Etſi hoc etiam probabile doceat Boſſius & Leone.) Neque etiam id poſſunt Regulares per ſua priuilegia. Suarez & 9. Quamuis hoc affirmet Murcia & 2. Idemque eſt quoad bullam Cruciatæ. *p. 6.tr.6.reſ.50. & p.9.tr.6.reſ.56. & tr.9. reſ.61.*

XI. Etſi Prælati Regulares non poſſint de iure communi etiam ſuos abſoluere niſi à leui percuſſione Clerici, vel graui cum ſe inuicem percuſſerunt, non verò cùm alios Clericos: per priuilegia tamen poſſunt etiam ab enormi, non tantùm ſuos, ſed & ſœculares. Sayr. & 2. Eſt autem enormis, quando eſt vel mutilatio, vel ſanguinis effuſio, vel Abbatis, vel Epiſcopi percuſſio. *cap. cum illorum. de ſent. excomm.* Non poſſunt tamen eo priuilegio vti in Italiâ, niſi in Vrbe, ex decreto Clementis VIII. ſed hoc non comprehendere percuſſionem leuem vtpote non reſeruatam Papæ, docet Lezan. & Nald. Porrò quæ percuſſio ſit leuis vel grauis, ex circumſtantiis perſonæ, loci, temporis & modi

iudicandum est. In dubio autem discernere, spectat ad eum qui absoluere potest cum leuis est. Quod si certò statui non possit, sed maneat dubium, iudicanda erit grauis. Suarez & 8. Etsi contrà doceat Bordon. *p.9.tr.4.ref.49.53.45.& 46.*

XII. Eodem modo absolui à Prælatis Religionis possunt Nouitij qui nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti Religionem ingrediuntur: sed si egrediantur non factâ professione, reincidunt in eandem excomm. nisi se præsentent ei à quo fuissent aliàs absoluendi. Castrop. & 4. Etsi id neget Bordon. Similiter si Clerici collegialiter viuentes se inter se percutiant, absolui possunt ab Episcopo; quia ratione vitæ communis faciliùs se percutiunt. Nauar. & 4. *Ibid. ref. 51.& 56.& p.7.tr.11.ref.46.*

XIII. Si in monasterio solùm esset superior & alius Religiosus, & hi se inuicem percussissent, possent se mutuo absoluere; quia tunc est necessitas. Deberet tamen primus alterum à solâ excomm. absoluere, qui tunc primum ab excomm. simul & peccatis absoluat, ne si excommunicatus exerceat actum ordinis, fiat irregularis. Bordon. & 2. *p. 9.tr.4.ref.52.*

XIV. Quando Regularis percussit aliquem alterius Religionis, puniendus & absoluendus est à proprio, præsente tamen Prælato offensi, vt pœnam in satisfactionem simul definiant: quod si discreparent inter se, eligendus esset tertius arbiter. Castrop. & 4. Idem est si sint diuersorum monasteriorum eiusdem Religionis. Bordon. *p.9.tr.4. ref.50.*

XV. Absolutio hęc etiam licitè dari potest sub conditione de futuro, v.g. si cras restitueris. Turrian. *p. 5.tr.9. ref.14.*

XVI. Etsi illicitè, validè tamen absoluitur ab excomm. sine satisfactione partis etiam qui potest satisfacere. Sanchez & 8. Quod si dubium sit, vel probabile eum non debere satisfacere, licitè absoluetur. Turrian. Qui autem absolutus est cùm teneretur, reincidit in eandem excomm. si

postea

posteà non satisfaciat. Propos. Etsi multi contra sentiant. *Ibid.res.*11.*&* 12.*& p.*1.*tr.* 11. *res.* 22.

XVII. Percutiens Clericum etsi faciat iniuriam toti Ecclesiæ, vel Monasterio; tamen satisfaciendo percusso censetur satisfacere parti; quia eius est condonare quem pręcipuè tangit iniuria. Auila.*p.*1.*tr.*11.*res.* 23.

XVIII. Quando committitur potestas absoluendi cum clausulâ, *satisfactâ parte*, sufficit in foro conscientiæ ea satisfactio quam pœnitens in pręsenti potest præstare; vnde si non potest satisfacere sine graui iacturâ famæ, vel bonorum, potest absolui, modò creditor non patiatur æquale damnum. Tunc autem quando non potest satisfacere, non sufficit vt det cautionem iuratoriam, sed debet dare pignoratitiam si possit, vel saltem fideiussoriam. Henriquez & Auila. Etsi contrarium probabile sit.*p.* 5.*tr.*9.*res.*1. *&* 39.*& p.*1.*tr.*11. *res.* 24. Probabile est tamen cautiones istas in foro solùm externo requiri: in foro autem conscientiæ, cum satisfactio est impossibilis, sufficere firmum propositum. Henriquez & 2.*p.*2. *tr.* 16 *res.* 42.

XIX. In absolutione etiam pœnitentiali ab excommun. incursâ ob graue delictum v. g. incendium, vel grauem percussionnem Clerici, debet necessariò sub graui culpâ exigi iuramentum quod in simile delictum non ampliùs incidet: secus si incursa est ob leuiora delicta. Henriquez & 3. Impuberes tamen ab eâ obligatione iuramenti eximuntur. Henriquez & 3.*p.*11.*tr.*3. *res.* 36.

XX. Absolutio ab excomm. facta ex vi priuilegij valet etiam pro foro externo vt non habeatur excommunicatus, quamuis in priuilegio dicatur *in foro conscientiæ tantùm* Sed iudex potest nihilominus de crimine illo cognoscere, & pœnitentiam foro contentioso accommodatam imponere. Suarez & 3.*part.*5.*tract.* 9.*res.*13.

XXI. Excommunicatus vel irregularis potest ante obtentam absolutionem elicito actu contritionis communicare, aut celebrare, quando sine scandalo, aut infamia non potest hoc omittere; quia præceptum Ecclesiæ non

obligat cum tanto dispendio. Suarez & 6. Etsi hoc neget Sotus & 3. Poterit etiam tunc confiteri,& fortasse debebit, si habeat mortalia nondum remissa, vt seruet præceptum de confessione præmittendâ. Dicastill.& 2. Non tenetur tamen tunc confiteri omnia peccata, sed sola non raseruata.Lugo &.3.Etsi contrà sentiat.Suar.& 6.*p.12.tr.2. res.30. & 31.*

XXII. Absolutus ad reincidentiam reincidit sine nouâ culpâ. Hurtad. & 4. Imò quamuis pars in cuius fauorem terminus reincidentiæ additus est, eum prorogaret. Sanchez & 3. Est tamen probabile semper requiri nouam culpam.Henriquez & 3. *p.5.tr.9.res.15. & 22.*

XXIII. Qui moriens dedit signa contritionis, potest etiam post mortem absolui,sed ab eo solo qui habet potestatem ordinariam, quia tunc transiit articulus mortis. Villalob. & Moscoso.*Ibid.res.24.*

XXIV, In absolutione non obseruare cæremonias solùm est veniale. Sed Mendicantes habent priuilegium sine illis absoluendi.Quod si detur petenti, satis est dicere: *Ego te absoluo*,non exprimendo censuram,quia determinatur significatio per petitionem : secus verò si detur non petenti.Suarez & 4. pontificem autem posse solo actu interno absoluere,docet Hinojosa.*Ibid.res.23.& 31.& p.11. tract.3.resol.36.*

Vide *Censura.*

Absolutio ab hæresi.

I. CONfessarius virtute alicuius Iubilæi quo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus cõtentis in bullâ Cœnæ,non potest ab hæresi occultâ absoluere pœnitentem,modò non sit purè mentalis: Sic habet stylus Curiæ Rom. & ita fuit à Gregorio XIII.Pio V. & Innocentio X. declaratum. Suarez & 19. Contrarium tamen docent viri doctissimi.Fagund.&10.*p.1.tr.5.resol.1.& p.12.tr 2.res.25.*Vnde nõ possent Inquisitores punire Cõfessarium qui id fecisset.Sancius.*p.4.tr.8. res,* 109. Imò etsi

in iubilæo expressè excipiatur hæresis, hoc solùm intelligi de hæresi publicâ non autem de occultâ; eò quòd hæc iure communi sit casus Episcopalis ex concessione Tridentini, docet Mazuchel. Sed est improbabile, & qui id faceret, esset ab Inquisitoribus puniendus, *p.8.tr. 7, res. 67.*

II. Episcopos vel capitulum sede vacante vigore Concilij Trident. posse ab hæresi occultâ absoluere, nec per bullas Cœnæ illi potestati derogari, putant DD. multi, Granad.& 15. Sed ego cum Sanchez & 32. contrarium puto probabilius. *p.1.tr. 5.res.2.& p.4.tr.4.res.239.& p.7.tr.2. res.23,& p.8.tr.4.res.8.* Posito autem quod Episcopi id possent, si quis illos non posset adire, deberet Episcopus absens absoluere ab excomm. quo facto remaneret peccatum non reseruatum. Io. Henriquez *p.5.tr.13.res.43.* Probabiliter etiam posset Episcopus in casu particulari eam potestatem alteri delegare; quia Concilium tantùm excludit Vicarium qui deputaretur ad omnes casus hæresis occurrentes, non autem qui ad aliquem casum particularem. Sanchez & 3. Etsi contrà sentiat. Suarez & 4. *p. 3.tract.6. resol.92.*

III. Prælati Regulares non tantùm sæculares absoluere non possunt ab hæresi occultâ, sed ne suos quidem subditos. Sanchez & 7. Et si facerent, essent grauiter ab Inquisitoribus puniendi. Nec de hoc iam dubitari potest ob decretum Sac. Congreg. ex mandata Vrbani VIII. Quidquid contrarium acriter defendat Bauny & Peregrin. Potest tamen hæreticus Regularis, non solum ab Inquisitore absolutionem obtinere, sed ex licentiâ superioris, vel etiam cùm superior eam iniustè negaret, se subiicere Episcopo, & ab illo (iuxta sententiam DD. prioris partis §. super.) ab excommunicatione occultæ hæreseos absolui. Molin. & Pontius. *p.1.tr. 5.res.6.& p.3.tr.2.res.122.& p.6.tr.6.resol. 54 & tr.7.res.63.& p.8.tr.7.resol. 50.* Eodem modo posset Regularis ab Episcopo absolui ab excomm. ob percussionem Clerici, quando Religiosi se inuicem percussissent, si percussio non sit grauis. Molin. & 2. *p.9.tr.4. res.54.*

IV. Potestatem absoluendi ab hæresi in articulo mortis, non esse extendendam ad alia impedimenta etiam perpetua, v. g. ægritudinis, paupertatis, seruitutis, &c. docet Suarez & 8. Sed talis debet occulté mittere ad Inquisitores, vel Pontificem. Suarez & 2. Sed contrarium docet Castropal. & Dicastill. Et saltem quoad Moniales asserit Homobon. Episcopum posse earum Confessario eam potestatem committere. *p.8.tr.7.ref.15.& p.4.tract.4. resol.89.& p.12.tr.2.ref.25.* Alij autem dum pro absolutione Romam mittunt, possunt interim ad vitandam infamiam, aut scandalum, qui Sacerdos est, celebrare; qui autem laicus, Eucharistiam sumere, eliciendo priùs actum contritionis. At si se id pose diffidit, confiteatur, & à Confessario absoluatur, Nauarr. & 3. Imò secluso etiam scandalo & infamiâ id permittunt. Nauar. & Fagund. Quod non placet. Sed probabile est quoties quis non potest Superiorem adire, etsi possit illum vocare, vel Procuratorem mittere, vel ad eum scribere, ad hæc tamen non teneri, sed posse absolui ac si esset in articulo mortis. Dicastill. &c. *5. p. 1. tract. 5. resol. 4. & p. 4. tract. 4. resolut. 242. & p. 11. tract. 8. resol. 2. & p. 12. tract. 2. resol. 30. & 31.*

V. Reus damnatus ad mortem qui à Confessario deprehenditur hæreticus, potest absolui non petitâ facultate ab Inquisitoribus, aut alio quouis, etsi facile ea peti posset; quia talis verè est in articulo mortis, in quo nulla est reseruatio. Hurtad. *p.5.tr.13.ref.12.*

VI. Inquisitores Inquisitionis Hispan. (non autem alij) possunt absoluere ab hæresi, non solùm in externo, sed etiam in foro conscientiæ; ita vt quilibet Inquisitor possit & per se absoluere, & facultatem illam cuilibet Confessario impertiri. Sanchez & 16. *p.1.tr.5.ref.3.& p.4.tr.8. ref. 35.& p.8.tr.7.ref.50.*

VII. Si quis committat crimina spectantia ad tribunal S. Inquisitionis, modò non habeat errorem in intellectu, poterit à quocumque Confessario virtute Bullæ Cru-

ciatæ absolui, hæc enim Bulla solam excipit hæresim. Suarez & 6. Idemque posse Regulares vi suorum priuilegiorum docent Portel & Freitas: cùm enim possint absoluere à reseruatis Sedi Apostolicæ, quidni poterunt à reseruatis inferiori Tribunali? Ego tamen nihil definio. *p.* 1. *tr.* 5. *ref.* 7. & 8.


Absolutio moribundi.

I. Moribundus qui nutibus tantum petit à Confessario absolutionem, est absoluendus Neque enim Deus à nobis exigit aliam confessionem, quàm quæ nobis hîc & nunc possibilis est. Suarez & 16. Quidquid plerique Thomistæ contrà doceant. Sotus & 12. *p.* 3. *tract.* 3. *resol.* 1.

II. Moribundus qui vsu sensuum amisso edit pœnitentiæ signa, est absoluendus sub conditione; licet dubium sit, num hæc signa ex dolore, an ex mortis angustiâ oriantur. Layman & 3. Idem dicendum de eo qui genibus Sacerdotis aduolutus, peccata confessurus subitâ apoplexiâ corripitur. Si tamen id contingeret Sacerdoti in fine Introitûs, qui sano corpore Missam inchoasset, non videtur absoluendus, quia illa generalis confessio quam fecit, non fuit sacramentalis. *Ibid. ref.* 2. & 3.

III. Moribundus qui absente Confessario confessionem petiit, vel signa pœnitentiæ dedit, aliquo id testante, est absoluendus: quia hoc ipso fatetur se peccasse, petitque vt adstantes tanquam suæ voluntatis interpretes id Sacerdoti renuntient, ab eoque pro se absolutionem petant. D. Thomas & 32. Neque requiruntur plures testes, sed vnus sufficit. Sancius & 4. *Ibid. ref.* 4. & 5.

IV. Si Verò testes absente infirmo sensibus destituto, renuntient Sacerdoti illum petiisse confessionem; vel signa contritionis ostendisse, non potest Sacerdos illum absoluere, etiamsi adhuc viuum inueniat; quia moribundus confitetur per nuntium absenti Sacerdoti, quæ confessio Clementis VIII. decreto damnatur. Turrian. & 12.



Contrarium tamen etiam probabiliter docet Bonacin. & 7. *Ibid. ref.* 7. *&* *p.* 11. *tr.* 7. *r. f.* 30.

V. Non est necesse vt testes hi sint immediati, siue qui audiuerint ægrum petentem, vel viderint signa dantem: satis est si hæc ab aliis intellexerint: sicut confessio posset fieri per duos intepretes quorum vnus solius pœnitentis, & non Confessarij idioma nosset, alter vero Confessarij & non pœnitentis. Lugo & 3. *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 31.

VI. Si Sacerdos excepit confessionem alicuius in mortis periculo constituti, nec illum absoluit, & paulò post superueniens inuenit illum sensibus destitutum, viuum tamen, potest illum absoluere, dummodo non constet ægrum mutasse voluntatem. Zambran & Chapeauil. *p.* 3. *tr.* 3. *resol.* 6.

VII. Si infirmus amisso rationis vsu, nullum anteà dedit pœnitentiæ signum, nullo modo est absoluendus, licet alioquin benè vixerit, Quia actus iudicialis non exercetur vbi nulla præcessit accusatio. Malder. & 11. Posse tamen id fieri sub conditione, saltem extrinsecè est probabile ex auctoritate Homoboni & aliorum, 16. *Ibid. ref.* 8. *&* *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 92. *&* *p.* 9. *tr.* 6. *ref.* 20. *&* *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 31. A censuris tamen in eo casu potest absolui, nisi constaret impœnitentem in illum statum incidisse. *p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 13.

VIII. In casibus supradictis, in quibus moribundus potest absolui, Sacerdos non tantùm potest, sed etiam ratione caritatis tenetur illum absoluere. Vasquez & 9 *p.* 3. *tr.* 3. *resol.* 9.

IX. Quando confessarius in illis casibus absoluit ex opinione probabili, non est necesse vt absoluat sub conditione: quia hoc tantùm debet fieri in dubio propriè dicto, non autem in opinione. Vasquez & Sancius. *Ibid. resol.* 10.

Vide *Articulus mortis.*

Adulterium.

I. Coniugatus qui delectatur de copulâ imaginariâ cum vxore alienâ, non solùm peccat contra castitatem, sed etiam contra iustitiam: quia coniux per matrimonium non tantùm corpus, sed etiam affectus coniugi obligauit. Vasquez & 5. Sed contrarium docet Hurtad. & 2. A fortiori ergo non peccaret peccato adulterij qui cogitatione alienæ vxoris delectaretur, vt se excitet ad cognoscendam suam. Garzias. *p.3,tr.6.res.73.& p.5.tr.13,res. 99. & p. 10. tr. 11. res. 61.*

II. Adulter qui suscepit prolem ex alterius vxore, probabiliter non tenetur ad resarciendum damnum legitimis filiis, modò ipse non fuerit auctor suppositionis. Contrarium tamen est probabiliùs Vasquez & 4. Certùm est tamen teneri restituere alimenta proli impensa à tertio ætatis anno, Sotus & 2.*p.2.tr.17.resol.55*. Quando autem obligatur ad illam restitutionem, tenetur æqualiter cum adulterâ. Hurtad. *p.11.tr.6.res. 56.*

III. Etsi adultera communiter non teneatur reuelare filium spurium cùm periculo vitæ, vel famæ: potest tamen esse casus in quo teneatur v. g. quando hoc necessarium esset ad bonum commune, vt si spurius compelleret subditos à fide apostatare. Hurtad & Serra. Sed filius ordinariè non tenetur credere matri asserenti etiam in articulo mortis, aut cum iuramento. Suarez & 3. nisi ea adsectantur indicia quę conuincant. *p.11.tra.2.resol.33.& tract. 6. resol. 56.*

IV. Si adulter dubitet an proles sit sua, an mariti, nec possit aliquid certi deprehendere, non tenetur ad alimenta; quia maritus est in possessione. Molin. & 7.*p.11.tract. 5. resol.27.*

V. Quando plures eandem cognouerunt, vnus coniugatus, & alter solutus, in dubio quis sit pater prolis, censebitur esse solutus, quia filius præsumendus est potius natu-

ralis, quam spurius. Vasquez & Castropal. Quod si respectu vtriusque patris dubij æqualiter esset naturalis, vel spurius, tunc vterque æqualiter tenebitur ad alimenta. Molin. & 6. Est tamen probabile in illis casibus neutrum teneri ad alimenta; quia debito incerto non debetur certa solutio. Tenebitur ergo mater tunc alere prolem. *Idem.*

VI. Non tenetur vxor pecunias per adulterium partas, marito, aut alteri restituere; quia damnum per adulterium illatum non est pecuniâ æstimabile: neque leges adulterium prohibentes, reddunt irritam illam acceptionem. Bonacim. & 2. Etsi contrarium multi doceant; eò quòd maritus sit dominus corporis vxoris quoad actus coniugales, ideoque teneri pretium ipsi restituere, sicut alia quæuis laborando acquisita. *par. 2. tract. 17. resol. 7.*

VII. Ecclesiasticis legibus & in foro conscientiæ non licet vxorem, aut filiam in adulterio deprehensam occidere: nam ex contrariâ sententiâ exponeretur manifesto periculo æterna salus sic interfectorum. Pontius & 49. Nec admittendum est quod contrà docet Gomez. & 3. Etsi multi velint id posse patrem aut maritum tamquam ministros ad hoc à iure deputatos. Barbos. & 8. *p. 3. tr. 4. res. 223. & p. 11. tr. 6. res. 28.*

Aduocatus.

I. ETsi Clericis in sacris vel beneficiatis non liceat hoc munus exercere coram Iudice laico in negotiis secularibus: possunt tamen illud facere in causâ propriâ, vel amicorum, vel Ecclesiæ suæ, vel personarum miserabilium, vt viduarum, pupillorum &c. vel denique si vnicum solum negotium simul suscipiant, & hoc finito aliud, sed non plura simul; quia tantùm prohibetur *in negotiis.* Machad. & 2. *p. 10. tr. 11. res. 69.*

II. Surdus, mutus, & cæcus non possunt munus aduocationis exercere, nisi in causâ propriâ. Sanchez & 2.

Quod si tamen mutus scripto consulat,nec venialiter peccat. Sanchez. *p. 5. tr. 6. ref. 27.*

III. Aduocatus non tenetur de culpâ leui;vnde si contingat eum causâ cadere,eò quòd non præstitit quod diligentissimus præstitisset, tamen si præstitit que solent diligentes, & docti in similibus causis,non tenetur ad restitutionem. Lessius & 8. Etsi multi contrarium doceant Molin. & 10. Quod si verum esset væ Aduocatis.*p.2.tract. 15. resol. 59.*

IV. Potest aduocatus ex opinione probabili, relictâ probabiliori,patrocinari causæ actoris,(Salas & 8.) etiam vbi agitur de sanguine, honore, aut amissione omnium bonorum. Sanchez & 3.Debet tamen suis clientibus indicare ius ipsorum esse minùs probabile, alioquin restituere tenebitur. Lugo & Præpos.Imò etiamsi causa sit dubia, non peccat illam suscipiens; quia aduocatus non profert sententiam, sed solùm proponit quæ videntur causæ profutura.Malder.& *6.p.2.tr.13.res.4.& 6.& p.4.tr.3.res.47.& p. 9. tr. 8. res. 62.*

V. Quando litigantes conduxerunt Aduocatos, & Procuratores ad annum,vel annos, cum pacto dandi certam annuam mercedem, seu salarium ad omnes causas quas habent, vel habituri sunt:si nulla causa inciderit illo anno agenda, non sunt illi aduocati,seu procuratores suo salario fraudandi; potest tamen aliquid detrahi arbitrio boni viri: si tamen Aduocatus eius esset ingenij, vt mallet laborare quàm feriari, nihil videtur detrahendum. Rebell. & 4. *p. 2. tr. 15. res. 42.*

VI. Potest in foro conscientiæ Cliens pacisci cum Aduocato de quotâ litis; & quando abest præsumptio fraudis,cessat obligatio legis id prohibentis Homobon. & 3. *Ibid. tr. 16. res. 47.*

Aeger.

I. ÆGer etiamsi ob id quod comedit credat sibi obuenturum aliquod nocumentum non ita magnũ, videlicet dolorem capitis, vel febrim aliquanto maiorem, non peccat mortaliter: imò neque si illud intenderet: quia nocumentum non est magnum. Sanchez & 2. *p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 135.

II. Femina etiam aliàs moritura non tenetur curationem ad verenda admittere à viris, secus si à muliere adhiberi possit. Turrian. & 4. *Ibid. res.* 138.

Aequiuocatio.

POtest aliquis ex iustâ causâ absque mendacio aliqua verba vsurpare, etiamsi ex suâ significatione non sint ambigua, & in alium sensum detorquere, aliquo addito mente retento. Sic qui aliqua bona abscondit sibi necessaria, ne à creditore capiantur, & sic cogatur mendicare, potest interrogatus à Iudice iurare se nulla habere abscondita, subintelligendo quæ manifestare teneatur. Item potest Confessarius profere verba absolutionis absque intentione, ad fugiendam mortem sibi à pœnitente intentatam, ni absoluat. Item potest quis iurare latroni daturum se pecunias absque intentione dandi, vtendo hæc retentione mentali: *dabo si tenear.* Item adultera rogata à marito an adulterium admiserit, potest negare concipiendo mente alium diem ab eo quo illud admisit. Item veniens ex loco qui falsò creditur peste infectus, rogatus potest iurare se inde non venire, subintelligendo tamquam ex loco pestilenti; vel etsi veniat ex loco pestilenti, quando certò credit, nec se, nec aliquid suum peste infectum; potest enim intelligere, se inde non venire ita vt aliquid mali ibi contraxerit, &c. Eiusmodi autem æquiuocationibus vti, addito etiam iuramento absque causâ, non est peccatum mortale; quia huic iuramento deest sola discretio

ſeu iudicium, modò ne id fiat in fraudem tertij, aut in iudicio, dum Iudex iuridicè interrogat. Sanchez & alij. *p.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 30. *&* *p.* 11. *tr.* 6. *reſ.* 32.

Altare.

AMittit altare conſecrationem fracto vel amoto ſigillo ſepulchri: non verò etſi menſa frangatur per medium, modo partez non moueantur loco: quod ſi etiam vnica moueatur, & ea excedat quartam partem menſæ, tunc vtraque conſecrationem amittit. Gobat. *p.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 8.

Altare priuilegiatum.

I. ALtare priuilegiatum eſt in quo celebrantibus conceſſa eſt indulgentia plenaria pro defunctis. Quæ tamen indulgentia his non applicatur per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragij: ex poteſtate tamen clauium. Lugo & 3. Etſi illud velit Medina. Habet tamen effectum infallibilem D. Thom. & 8. Etſi contrarium doceat Layman & 4. Imò eſt ita perſonalis pro defunctis vt non poſſit applicari viuentibus. Megal. & 3. *p.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 1. 2. 3. *&* 18.

II. Non eſt neceſſe vt ſacerdos celebrans ſit in ſtatu gratiæ, ſicut nec in aliis indulgentiis pro defunctis id requiritur. Caſtrop. & 6. Neque neceſſe eſt ſacrificium ipſum defuncto applicari, quando conceſſio hoc non exprimit, ſed ſolùm dicit, vt quoties quis in tali altari celebrauerit liberet animam. Suarez & 4. Quod idem eſt de quouis alio opere requiſito ad liberandam animam. Quintanad. Vnde tunc qui ſtipendium accepiſſet pro miſsâ dicendâ, poſſet adhuc indulgentiam illam applicare alteri defuncto. Quia tamen ſæpe non conſtat quibus verbis conceſſum ſit, & communiter vtrumque requiri ſolet, ſecurius eſt ſimul & ſacrificium, vel aliud opus defuncto applicare. Suarez. *Ibid. reſ.* 4. 5. 24. *&* 25.

III. Ceteris paribus magis prodest animæ defuncti indulgentia altaris priuilegiati, quàm bullæ Cruciatæ, propter vim satisfactionis respondentem Missę: sed communiter causa concessionis pro altari priuilegiato non est tam euidens & certa quàm causa Bullæ. Trullench. Quod si fortè anima cui applicatur missa, vel aliud opus, non sit in purgatorio, applicari aliis indigentibus per Diuinam misericordiam, docet D. Thomas & 5. Tutius tamen est conditionatè aliis applicare. La Cruz. *Ibid. res.* 26. *&* 7.

IV. In altari priuilegiato nisi quis celebret Missam de *Requiem*, non satisfacit indulto ad suffragandum defunctis, licèt in indulto id non exprimatur. ita Sacr. Congreg. Contraria tamen sententia communior est Fagund. & 16. Sicut quando non loco, sed personę conceditur simile priuilegium, potest obtineri per quamlibet Missam. Mendo. Quando ergo conceditur vt per totam Octauam Defunctorum liberetur anima dicendo in tali altari Missam de *Requiem*, dicenda est etiam in Dominicâ tunc occurrente. Syluius. Idem est si festum duplex occurrat aliquo die designato per illud priuilegium v. g. die lunæ. Garzias. *p.* 4. *tract.* 4. *res.* 233. *&* *p.* 9. *tr.* 2. *res.* 8. *&* 29 *&* *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 20

V. Clausula in concessione poni solita, vt non valeat *si aliam similem habet Ecclesia*, non obstat etsi nondum finitum sit tempus similis concessionis præcedentis; indulgentiæ enim latè sunt interpretandæ. Suarez & 3. Cùm autem conceduntur ad septennium, non incipit hoc currere à die concessionis, sed potest eligi quodlibet. Quintanad. Item numerum Missarum dicendarum in eâ Ecclesiâ qui requiri solet, non requiri tamquam conditionem necessariam ad valorem altaris priuilegiati, docet Bordon. Sed affirmat Zypæus & 2. *p.* 9. *tr.* 2. *res.* 10. 11. *&* 9.

VI. Clausulam quæ annullat concessionem si aliquid pro eius præsentatione &c. accipiatur, non impedire quo minù aliquid dari possit, vel ex gratitudine, vel pro la-

bore, vel ad redimendam vexationem, docet Quintanad. Sed acriter contrarium tuetur Duuall. Ideo. tu cogita. *Ibid. res.* 28.

VII. Si altare priuilegiatum transferatur loco ad locum, manet tamen indulgentia quoties hæc ipsi altari concessa fuit, & non sacello in quo erat altare. Dicastill. *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 8.

VIII. Per iubilæum anni sancti non suspenduntur vel altaria priuilegiata, vel quæuis aliæ indulgentię quæ defunctis permittuntur applicari. Quintanad. Sed si Capella in qua fuit altare priuilegiatum destruatur, perit etiam indulgentia: secus si per partes paulatim tota renouetur. Item factâ semel electione altaris, non potest mutari locus. Lauor. & 2. *p.* 9. *tr.* 2. *res.* 23. *&* 17.

Aqua lustralis.

I. AQuæ benedictæ si ailia admisceatur non benedicta tota manet benedicta, modò minoris quantitatis sit admixta, aut etsi maioris sit, si addatur per partes. Lessius. *p.* 11. *tr.* 3. *res.* 15.

II. Aqua lustralis, seu benedicta, ex opere operato delet peccata venialia, Bellarmin. & 8. Etsi contrarium doceat Suarez & 2. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 61.

Articulus mortis.

I. QVæ opinio fuit probabilis in vitâ, est etiam talis in articulo mortis: quia inter opiniones in conscientiâ securas, vna non est securior alterâ quoad impeccabilitatem: neque enim maior potest dari securitas, quàm non peccare, quod sequitur ex quauis opinione probabili. Sancius & 4. *p.* 2. *tr.* 13. *res.* 9. *&* *p.* 8. *tr.* 1. *res.* 91.

II. Infirmus in articulo mortis positus, non tenetur in rigore, & ex præcepto, elicere actum contritionis de omnibus peccatis mortalibus: sed sufficit confessio cum attritione cognitâ. Coninc & 7. Etsi contrarium doceat. Suarez & 6. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 98. *&* *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 76. *&* *p.* 8. *tr.* 1. *res.* 91.

III. Qui letaliter vulneratus non potest simul confiteri & curari, primùm confiteatur vnicum peccatum, & tunc medici curationem adhibeant, ac deinde si adhuc viuat, integrè confiteatur: aut certè si medici nullo tempore curationem volunt intermittere, & periculum est mortis, sufficit si altâ voce dicat se peccatorem, vt possit absolui; quia non tenetur coram aliis etiam leue peccatum exprimere. Sancius. *p. 5. tr. 3. ref. 56.*

IV. Qui in articulo mortis confitetur sacerdoti prorsus ignaro, validè absoluitur: neque tenetur postea eadem peccata iterum confiteri. Præposit, & Hurtad. Qui autem id faceret extra illum articulum, peccaret mortaliter, atque ita non esset dispositus. Sed non est faciendus scrupulus dum quis confitetur palam eo loco expositis. Præposit. *p. 11. tr. 4. ref.* 10.

V. In articulo mortis potest quilibet Sacerdos etiam degradatus, imò & hæreticus, absoluere à quibuslibet peccatis & censuris reseruatis, etiam ab hæresi. Vasquez & 18. Est autem articulus mortis quodlibet probabile periculum mortis, quod quis adit etiam sine necessitate. v.g. in bello iusto, longâ maris nauigatione, &c. (Suarez & 19.) Vel à primâ die infirmitatis periculosæ. Sancius & Cælestin. Idque verum est etiamsi præsens esset confessarius approbatus, vel habens ordinariam potestatem. Nauarr. & 14. Imò potest à tali petere absolutionem, cùm ille id possit facere sine peccato, si velit: & cùm possit petere, tenetur, nisi fortè esset periculum scandali, vel peruersionis ab hæretico. Hurtad. & *3. p. 1, tr. 5. ref. 5. & p. 3. tr. 4. ref. 57. & 71. p. 4. tr. 4. ref. 161. & 235. & p. 5. tr. 3. ref. 57. 65. 59. 60. 67. 69 & 58. & tr. 9. ref. 67. & p. 11, tr. 5. ref. 29. & p. 12. tr. 2. ref. 33.*

VI. Non posset Pontifex prohibere ne sacerdos in eo articulo validè absoluat; quia potestas non est ei concessa in destructionem. Durand. & 2. Quamuis verum sit eam potestatem absoluendi haberi ex concessione Ecclesiæ, & non ex iure Diuino. D. Thomas & *12. p. 8. tr. 1. ref. 90. & 91.*

VII. Debet sic absolutus à censuris, si superuixerit, se

præſentare ſuperiori;nam cum hoc onere abſolutus cenſetur ſub pœnâ reincidentiæ. Leſſius & 28. Etſi contrarium doceat. Nauar.& 11. Saltem poſt Concilium Tridentin. Quod non audeo damnare vt improbabile. Sufficit tamen ſe præſentare per procuratorem. (Henriquez & 2.) vel etiam per epiſtolam. Armill. Exceptã tamen excommunicatione ob percuſſionem Clerici, pro qua perſonalis præſentia requiritur. *cap.quod de his.de ſentent excom.* Et licet non ſe prſentans reincidat,non erit tamen vitandus, etſi ante abſolutionem fuerit vitandus. Quod ſi quis nolit comparere , poteſt iterum abſolui ab habente legitimam poteſtatem. Suarez & 3.*p.*1.*tr.*5.*reſ.*5.*& p.*8.*tr.*7. 66. *& p.* 12. *tr.* 2. *reſ.* 34.

VIII. Hoc onus ſe prſentandi quidam non improbabiliter negant , niſi quando cenſura habet onus ſatisfaciendi. vel deducta eſt ad forum externum. Texeda & 4. *p.*5.*tr.*14.*reſ.*59.*& p.*9.*tr.*6.*reſ.*36.*& p.*10.*tr.*14.*reſ.*63.Saltē non eſt illud onus ſub iuramento imponēdum.Trullench. & 3. Etſi id affirmet Sanchez. Neque ad illud tenetur qui virtute Bullæ , vel iubilæi ſic abſoluitur.Sanchez & Hurtad.*p.*5.*tr.*3.*reſ.*66 *&* 67.

IX. Cenſuræ quibus tunc ſimplex ſacerdos poteſt abſoluere non ſunt eę ſolæ quæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum,(etſi hoc affirmet Sanchez & 2.)ſed abſolutè omnes,etiam ſuſpenſio ab Ordine vel beneficio , & irregularitas.Vgolin.& Caſpenſ. Abſoluique poteſt etiam qui nullum poteſt dare ſignum contritionis. Suarez & 2.*p.*7.*tr.*10.*reſ.*10.*&* 11.

X. Poſito etiam quod in illo articulo non poſſit abſoluere ſimplex ſacerdos præſente alio habente ordinariam poteſtatem : ſi tamen hic ſolùm ſuperueniret , cùm alter iam cœperat audire confeſſionem , poſſet idem pergere , & abſoluere. Granad.& 8. Quod verum eſt etiamſi tempore confeſſionis ceſſaret periculum mortis. Imò etiamſi infirmus inualidè tunc eſſet confeſſus , poſſet apud eundem confeſſionem iterare:non tamen , ſi validè confeſſus,

erat, poterit eidem posteà confiteri peccata oblita. La Cruz & Trullench. Quod tamen admittit Dicastill. sicut cum quis tempore iubilæi confitens oblitus est casum reseruatum, potest postea ab eo absolui. *p. 5. tr. 3. resol. 66. & p. 11. tr. 8. res. 28.*

XI. Si sacerdos inter celebrandum vocetur ad audiendam confessionem moribundi, cùm non est alius qui eam audiat, potest discedere ab altari, etiam post consecrationem, & auditâ confessione, & datâ ei Eucharistiâ, & extremâ vnctione, omissis tamen psalmis pœnitentialibus, reuerti, & sacrum perficere. Quod si confessio protraheretur vltra mediam horam, hac elapsâ, absoluat eum, & moneat vt post absolutum sacrum aliquâ occasione ipsum rursus accersat. Zambran. *p. 5. tr. 3. res. 70.*

XII. Damnati ad mortem censendi sunt esse in articulo mortis. Hurtad. & 2. Item banniti qui à quouis impunè possunt occidi, nisi quando habent saluum conductum. Belloch. & 2. Non autem qui sunt in triremibus nisi adeant periculosam nauigationem vel pugnam. Hurtad. & Sanchez. Contrarium tamen est probabile. Io. Henriq. & 2. *Ibid. res. 61. 62. & 64. & p. 11. tr. 3. res. 2.*

XIII. Non quælibet mulieres parturientes, censentur esse in periculo mortis, ita vt possint à censuris, & reseruatis absolui: sed illæ tantùm quæ numquam pepererunt, vel quæ difficiles & periculosos partus habere solent. Sanchez & 12. Sed de quibusuis, saltem in ipso, partu, id docet Hurtad. & *3. par. 3. tract. 4. res. 72. & p. 5. tr. 3. res. 63. & p. 11. tr. 3. res. 2.*

XIV. Existentes in ciuitate vbi valde grassatur pestis non possunt à quouis absolui à quibusuis, tamquam constituti in articulo mortis. Benson. & Boss. Etsi hoc affirmet Marchin. Debent tamen tunc amplissimam potestatem dare sacerdotibus approbatis Episcopi, & à Papa etiam procurare quoad casus Papales. *p. 9. tr. 7. res. 12.*

B.

BAPTISMVS.

I. ETsi aqua quæuis naturalis sit materia sufficiens, peccaret tamen mortaliter qui extra necessitatem vteretur non benedictâ ab Ecclesiâ. Suarez & 5. Quamuis à mortali ex leuitate materiæ excuset Granad. & Quintanad. *p.9.tr.6.res.33.*

II. Illa quantitas aquæ sufficiens est ad Baptismum. quæ potest contingere corpus, & successiuè fluere per aliquam eius partem. Vasquez & 3. Illa autem aqua esse potest ex sale, niue, aut gelu liquefactis; est enim essentialiter aqua. Idem dicendum de aquâ quæ ex ollâ euaporatur, & hæret in tegumento, & quæ hyeme ex lapidibus, & parietibus manat. Ille tamen humor qui ex vite, aut arbore fluit, non videtur esse aqua, quamquam in casu necessitatis, ad Baptismum adhiberi potest. Henriquez & 4. *p.3. tr. 4. resol.5.*

III. Moribundo infanti Baptismus impendi debet etiam in materiâ dubiâ, vt iure carnium, lixiuio, &c. Granad. & 10. Imò & cum aquâ rosaceâ, vel succo ex herbis, & frondibus expresso. Tanner. & 5. Sed non est à communi sententiâ contrariâ recedendum. D. Thomas & 58. Imo probabiliter baptisari posset cum glacie vel niue, si in ipsâ applicatione resoluantur; cùm materia proxima probabiliter consistat in ablutione non vt actiua, sed vt passiua, iuxta Suarez & Sotum: etsi Tanner. requirat vt priùs resoluantur in manibus baptisantis. Eodem modo tunc baptizari potest in minimâ parte, vel etiam capillis, aut secundinis (Præpos. & 8.) & vnicâ guttâ aquæ. Hurtad. & 3. Sed in omnibus his casibus baptismus postea sub conditione est iterandus. Coninc & 2. *p.5.tr.3.resol.1.2.3.4.5.& 11.& p.6.tr.7.res.18.*

IV. Etsi batismus in capillis, vel vnguibus, vel secun-

dinis probabiliter sit validus,non tamen si aqua tangat solùm aliquam partem secundinæ dependentem, aut extremum capillitij defluentis per humeros; nam hi non possunt dici pars capitis sicut qui in capite sunt, & ipsum tegunt. Lugo & 2.*p.*10.*tr.*16.*res.*19.

V. Si Sacerdos ita baptizet,*Ego te baptizo nomine Patris, Filij,& Spiritus sancti*,omittens particulam (*In*) cum (*&*) verè conficit Sacramentum; quia illa omissio non est substantialis.Excusarem etiam illum à peccato mortali. Coninc.& 5.Idem est etsi ter repeteret *in nomine* v.g.*in nomine Patris,in nomine Filij & in nomine*,&c.quia per hoc non asseruntur esse plura nomina, sed idem ter repetitur. Suarez & 2. contra Bonacin. Item si sacerdos addat formulæ baptismi ,*in nomine B.Virginis*. nihilominùs verè confert Baptismum,dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, sicut in nomine Patris, sed tantùm velit opem B. Virginis implorare.Suarez & 8.*p.*2.*tr.*15.*res.* 47.*&* 48.*& tr.*17.*res.*15.

VI. Forma illa Chaldæorum: *Baptisatus est in nomine Patris,& Filij,& Spiritus S.*non est valida;quia per eam non exprimitur persona baptisandi, aut actio ministri, quod essentialiter requiritur.D.Thomas & 49. Etsi Nazar. probabile putet prędictam formã, vt in substantialibus sufficientem,posse auctoritate Pontificis ad euitanda scandala tolerari.Forma verò Græcorũ,siue dicãt *baptisatur*(Filliuc. & Gesuald.)siue *baptisetur seruus Christi* &c.valida est.Vasq. & 3. Debet tamen exprimi persona baptisendi dicẽdo:*baptisetur hic seruus Christi*,vel *seruus Christi Petrus*.Dicast.& 3. Etsi hoc etiã neget Castropal.& 3.*p.*10.*tr.*16.*res.*92.*&* 93.

VII. Si Sacerdos post ablutionem infantis statim pronuntiet formam baptismi, vel finitâ prolatione verborum statim abluat, est validus baptismus, neque repetendus:quia tunc materia & forma censentur moraliter concurrere, & esse simul. Henriquez & 2. Et quamuis infans moreretur ante finitam ablutionem, esset tamen verè baptizatus.Hurtad.& 6.*p.*3.*tr.*4.*res.*6.*& p.*5.*tr.*3.*res.*17.

Quis minister eius?

VIII. MVtus, & manibus truncus non possunt simul baptizare infantem in articulo mortis, ita vt ille abluat,& hic verba proferat: quia eiusdem Sacramenti vnus esse debet minister. *p.3.tr.4.res.*11. Quamuis nonnulli putent in necessitate posse sic baptizare sub conditione. Chapeauil.& *3.p.5.tr.3.res.26.& tr.6.res.2.*

IX. In naufragio vel simili casu posset quis plures simul baptizare ob periculum mortis,dicendo; *Ego vos baptizo* &c. D. Thomas & 3. Quo casu sunt plura Sacramenta;est enim forma virtute multiplex. Vasquez & Coninc. Sed qui in mortali sic baptisaret,non nisi vnum peccatum committeret; quia etsi Sacramenta diuersa sint, censentur tamen ministrata per modum vnius. Possunt etiam tunc omitti instructiones aliàs necessariæ,modò vtcumque exponatur fides ignorantibus. Zambran.& 2. Sed citra necessitatem ita baptisare, esset mortale. Vasquez & 3. Etsi id neget Sotus.*p.5.tr.3.res.27.& 20.& p.9.tr.6.res.30.*

X. Posse plures simul eundem baptisare vt causas partiales dicendo; *Nos te baptisamus* &c. si singuli aquam infundant, docet Caietan. & 3.Sed contra est D.Thomas & communiter DD. Vnde esset saltem sub conditione rebaptizandus. Quod si baptisarent vt causæ totales dicendo singuli;*Ego te baptiso*,in casu quo omnes simul absoluerent essent probabiliter plura Sacramenta.Hurtad. & 4. *p.9.tr.6.resol.*31.

XI. Peruersa intentio ministri conferentis Baptismum, aut aliud Sacramentum, non suppletur à Deo quoad gratiam. Suarez & 7. Quidam tamen contrarium affirmant. Valent. & *7.p.3.tr.4.res.*17.

XII. Si in casu necessitatis laicus baptizet præsente Sacerdote,peccat mortaliter: si præsente tantùm Diacono, vel vno ex inferioribus, peccat venialiter. Suarez & 5. Quamuis etiam præsente Sacerdote baptizantem non

peccare nisi venialiter,doceant Valent.& Io.Suar. Quamtis autem Sacerdos esset excommunicatus, præferendus est laico.Cornejo.Etsi contrà sentiat Suarez. Laicus verò extra casum necessitatis baptizans peccat mortaliter, non tamen fit irregularis.Nugnus & Pitigian.In necessitate verò, & absentiâ Sacerdotis posset sine commissione Diaconus solemniter baptizare.Suarez.Et ex commissione Pontificis etiam laicus. Amic. & Hurtad. Monachi autem etiam extra casum necessitatis baptizantes non peccant mortaliter,& aliquando nec venialiter, Granad.*p.3.tra.4.res.4.p.5.tr.3.res.18.& 28.& tract.9.res.87. & tr.13.res.58. & p.8.tr.1.res.57.*

XIII. Sacerdos in peccato mortali baptisans in necessitate sine solemnitate, non peccat mortaliter;quia non agit vt minister ex officio, sed perinde ac laicus. Henriquez & 11.Quamuis etiam tunc laicum in mortali baptisantem peccare mortaliter probabiliter doceat Vasquez & 7.Vtrum autem laicus in mortali, si ex commissione Pontificis baptisaret solemniter, peccaret mortaliter, tu cogita.*p.3.tr.4.res.10.& p.5.tr.3.res.24.& p. 8. tr.1.res.57. & p.9.tr.7.res.58.& p.10.tr.16. res.28.*

XIV. Si ad infantem moribundum non pateat accessus,potest eminùs baptisari adspergendo cum aquâ.Idemque liceret ad vitandum periculum contagionis, quando Pastor esset certus se ita posse aspergere caput pueri; quia sic cessaret periculum nullitatis. Chapeauil. Quando autem esset aliàs sine baptismo moriturus, teneri te cum vitæ tuæ periculo eum baptisare,docet Granad. & 3. Negat Sancius & 3.*p.5.tr.3.res.19.& 16.*

Quomodo conferendus.

XV. INfantem in vtero matris, si aliquâ sui parte aquâ tingi potest, baptizare licet, etiamsi natiuitas propriè dicta non præcedat; quia de non homine factus est capax ablutionis, & debitæ formæ verborum, quæ sunt essentialia Baptismi. Suarez, & 7. Quando autem solus

ıbilicus per quem infans sugit alimentum à matre, ex-
et ex vtero, non posset in eo baptisari; quia non est pars
minis, ideoque præscinditur. Quia tamen hoc videtur
putabile, qui sic esset baptisatus non videtur priuan-
s Ecclesiasticâ sepulturâ. Marchant. Et à fortiori qui
otisatus est in secundinâ: quia talis baptismus validus
. Vasquez. *p.2.tr.15.res.43.& p.5.tr.3.res.12.15.& 112.*
XVI. Mulier ad mortem damnata, si sit periculum, ne
aliquo morbo ante partum, vnà cum prole moriatur,
est seruato iuris ordine priùs secari, si spes sit fore vt
tus possit baptizari: nihil enim fit contra ius. Suarez &
.2.tr.15.res.44.& p.5.tr.3.res.13.
XVII. Etsi communiter baptisari non possit infans eo
do quo simul occidatur; quia illa esset directa occisio:
idus tamen esset talis baptismus. Præposit. & 10. Imò
licitè id fieri, docet Ochagau. aut certè posse id fieri
ando nihilominus proximè est moriturus, docet Les-
s & 8. Saltem potest baptisari etsi affusione aquæ mors
s multum acceleraretur. Vasquez & 6. Quod tamen in
xi vix potest contingere ex modicâ aquâ tepefactâ. *5.*
3.res.8.& 14.& p.10.tr.16.res.21.
XVIII. Si videres puerum ab altero proiici in flumen,
proferres verba formæ, validum fore baptismum, sicut
manibus tuis elapsus esset, docet Leand. Quod tamen
liùs negat Dicastill. Valeret tamen si aquæ defluenti è
to puerum supponeres; quia sic illum verè ablueres.
nacin. *p.10.tr.16. res.21.*
XIX. Baptizatis priuatim in necessitate postea adhi-
ıdæ sunt cæremoniæ, etiam exorcismus. Layman. Etsi
id obmitteret sine contemptu, non peccaret mortali-
. Possevin. *p.5. tr.3.res.6.*

Vbi conferendus.

I. NOmine Principum quorum filiis conceditur ex-
tra Ecclesiam domi baptisari, intelliguntur soli
premi Principes, qui nulli alteri subiecti sunt. Granad.

& 2. Et si laxiùs id extendant Quintanad. & Zypæus ad omnes titulares eminentes, vt Duces, Magnates Hispan, Oratores Regum &c. Sed hoc non placet. *par. 9. tract. 6. resol. 38.*

Quando suscipiendus.

XXI. Ecclesia non habet potestatem determinandi tēpus præcepti Diuini quo adulti tenentur baptisati, (etsi hoc affirmet Caietan. & 2.) tenentur enim statim cum commodè possunt. Suarez & 8. Nec verum est in fine solùm vitæ baptisatum esse Constantinum Imper. Posset tamen adultus eum omittere ad euadendam mortem quam alter minaretur si eum susciperet, etsi posteà non esset futura occasio eum suscipiendi; quia illi non est absolutè necessarius. Neque tamen ideò teneretur omittere ad vitam seruandam. Granad. *p. 8. tr. 1. res. 2. & p. 5. tr. 3. res. 9. & p. 9. tr. 6. res. 2.*

XXII. Etsi nullo præcepto Diuino debeant infantes ante vsum rationis baptisari, debent tamen ex consuetudine Ecclesiæ grauiter obligante. Quamuis autem sint quam primum baptisandi, licet tamen differre ad 8. vel 10. vel etiam 12. dies, vbi patrinus est expectandus. Sotus. Imò si grauis est causa v.g. vt cum maiori solemnitate fiat permitti posse dilationem vltra mensem vnum, sed non duos, docet Castrop. *p. 9. tr. 6. res. 1. & p. 3. tr. 4. res. 8.*

Quinam baptisandi.

XXIII. Infidelium filios politicè subiectorum Principibus Christianis, ipsis inuitis posse baptisari, docet Scotus & 3. Contrarium tamen docet D. Thomas & 4. nisi alteruter parens esset baptisatus, etiam mater: imò, vt Valent. etsi solus auus, si pater sit mortuus. Seruorum verò infidelium filij, etiam antè quàm vendantur, baptisari possunt parentibus inuitis, etiam cum ab iis non separantur; sunt enim indigni illo iure naturali, ratione abusûs. Vasquez & 2. Imò Domini sub mortali tenentur illos

ne baptisare. Vasquez & Turrian. Probabile est tamen non licere nisi in periculo mortis, aut cum à parentis separantur.*p.8.:r.1.res.1.& p.2.tr.15.resol.45.&p.3.tr.4.:1.& p.5.tr.3.res.10.& p.7.tr.7.res.67.68.& 69.* Quod si ij quorumcumque infidelium post vsum rationis petant ptismum, sunt inuitis parentibus baptisandi. Azor. Etsi bium sit an sufficienter intelligant quid petant, iudiadum esse in fauorem fidei, & pro baptismo, docet Nor. Negat Azor.*p.7.tr.11.res.40.*
XXIV. Baptizari possunt filij hæreticorum, etiamsi cura parentum probabiliter timeatur periculum subrsionis ipsorum: fieri enim potest vt moriantur ante um rationis, aut vt aliquando Catholicæ fidei dogmatis buantur, aut vt ignorantiâ inuincibili excusentur, ate ita per Baptismum saluentur. Layman. Etsi Suarez & nine negent id fieri posse in illis locis vbi Hæretici lirè suam religionem exercent.*p.3.tr.4.res.7.*
XXV. Quando tenellus & paucorum dierum infans positus inuenitur, est sub conditione baptizandus, nisi beat schedam baptismi testem: imò probabiliter etsi edam habeat. Quintanad. & 2. Si verò infans ex colo- & ætate videretur natus ante mensem, nec vllam habe- schedam Baptismi testem, esset etiam sub conditione tizandus. Villalob. Imò etiam, cum illâ schedâ infans ositus inter infideles, sub conditione baptizandus est, salutis æternæ periculum adeat. Vasquez. *in Addit.3 p. 6.& p.5.tr.13.res.85,& p.9.tr.6.res.35.*
XXVI. Puer inter Christianos natus, postea à Turcis tus, & inter eos educatus, si factus grandior ad Chrinos redeat, sitque de suscepto baptismate dubius, est conditione baptizandus; nam licet ea ætate credatur tus, in qua debuerit esse baptizatus: tamen hoc non stat nisi ex testibus infidelibus, qui hoc dicere potuet, vt hic puer postea à Christianis captus non baptizatur; neque hi testes sunt fide digni, etiamsi asseuerarent m esse baptizatum. Sancius.*in Addit.3.p.res.10.*

XXVII. Impendendus est Baptismus moribundo quãdo vnicus testis etiam infidelis affirmat eum petiisse baptismum. Reginald. & 2. Imò quamuis testis ille dubitaret, baptizandus esset sub conditione. Henriquez & Sancius, *p.5,tr. 3.res.21. & 22.*

XXVIII. Baptismus collatus dormienti qui illum petierat ante somnum, est validus. *cap.majores. De baptismo.* Idem dicendum de amente, & furioso, qui dum haberet lucida interualla baptismum petiit : etsi posteà dum baptizatur, videatur resistere. Barbosa & Syluius. *p. 3. tr. 4. res. 12.& p.5.tr.3.res.23.*

XXIX. Si parentes infantem surdum, cæcum, & mutum non baptisassent, non posset posteà adultus baptisari; quia non esset capax consensûs qui in adultis requiritur. Ochagau, *p.9.tr.6.res.2.* Surdus autem & mutus qui videns alios baptizari peteret etiam Baptismum, si deprehenderetur sufficienter instructus, posset baptizari, sed si facilè posset adiri Episcopus,eius iudicium esset adhibendum. *p. 5. tr. 6, res. 1.*

Effectus Baptismi.

XXX. Attritio cognita est sufficiens dispositio in adultis ad babtismum, & eius effectum. Villalob.& 5. Etsi contrarium doceat. Adrian.& *6.par. 3. tract. 4.resol. 13.*

XXXI. Cùm quis animo ficto accedit ad Baptismum : fictio non remittitur per baptismum, sed per pœnitentiam in ordine ad claues,atque adeò necessariò est in confessione explicanda. Omnia autem peccata ante baptismum commissa, vel in ipsa baptismi susceptione,recedente fictione delentur per baptismum, etiamsi fictè baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso Baptismo,ac proinde non sunt,recedente fictione in confessione explicanda.Denique peccata post baptismum commissa, recedente fictione remittuntur per pœnitentiam in ordi-

; ad claues Ecclesiæ; ideoque quamdiu in confessione ɔn aperiuntur, requiritur contritio ad tollendam fictio-ɛm, & effectum baptismi consequendum. Villalob. & 4. *iid. ref.* 14.

Cognatio spiritalis.

XXXII. IN priuato baptismo nihil est necesse adhibere patrinum. Suarez & 4. Quo casu si quis teneat infantem etiam ex proposito vt patrini munus obeat, probabile est nullam tamen contrahere spiritalem cognationem. Sanchez & 2. Neque improbanda est consuetudo, qua Catholici quibusdam in locis, patrini sunt filiis hæreticorum, baptizante illos ministro hæretico. Layman. Qui autem baptisat semper contrahit cognationem spiritalem etsi sit laicus. *Ibid. resol.* 18. *& p.* 5. *tr.* 3. *ref.* 7. *& p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 30.

XXXIII. Patrinus non potest esse nisi vnus, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus & vna, non autem duo viri, aut duæ fœminæ. Si tamen Parochus plures admittat probabiliter non peccabit nisi venialiter. Perez & Serra. II. Possunt maritus & vxor simul esse patrini alienæ prolis sine peccato etiam veniali; nam si quæ fuit olim prohibito, vel non est vsu recepta, vel sublata est per Tridentin. Vasquez & 3. III. posse assumi hæreticum, cum Catholicus commodè reperiri non potest, docet Layman. IV. Vt patrinus contrahat cognationem requiritur contactus physicus dum tenet infantem. Sanchez & Villalob. V. cum baptisatur filius infidelium, patrinus probabiliter non contrahit cognationem spiritalem cum eius parentibus. Sanchez & 8. Etsi contrarium etiam probabiliter affirmet Coninc & 3. VI. Infidelis siue baptiset, siue suscipiat in batismo vel confirmatione, nullam contrahit cognationem spiritalem, etsi postea baptisetur. Sanchez & 17. *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 2. *& p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 51. *& p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 30. *&* 89. *& p.* 11. *tract.* 8. *resol.* 57.

XXXIV. Patrinos designare spectat ad parentes, quos Parochus inualidè mutaret, vnde non contraherent ij tunc cognationem: nisi parentes malè designarent v. g. hæreticos, non baptisatos &c. Perez. Quod si plures essent, nec vlli ex iis designarentur, nulli contraherent cognationem. Suarez & 2. Etsi omnes tunc contrahere velit Castropal. *p. 9. tr. 7. res. 50.*

XXXV. Quando infans fuit domi baptizatus, si posteà deferatur ad Ecclesiam vt cęremoniæ peragantur, qui instar patrini tenet infantem, nullam cum eo contrahit cognationem spiritualem. Pontius & 3. Vnde quando Parochus simul patrinorum nomina describit in libro, tenetur addere fuisse solùm patrinos in catechismo, & non in baptismo. Sanchez. *p. 3. tr 4. res.* 260

XXXVI. Quando aliquis rebaptisatur sub conditione propter dubium de priori baptismo v. g. cùm quis in pedę tantùm vel manu extrà ex vtero baptisatus est, si probabile est baptismum anté fuisse validum, erit etiam probabile non contrahi postea cognationem: si dubium est an valuerit, dubia erit cognatio. Dicastill. *p. 11. tr. 8. res. 57.*

XXXVII. Qui tenet infantem in Baptismo, nomine alterius, non contrahit cognationem spiritualem: quia alieno nomine tenet. Sanchez & 4. Imò probabile est neque ipsum principalem qui legatum misit, cognationem contrahere. Sanchez & 7. Etsi contrarium doceat Coninc & 5. *p. 3. tr. 4. res. 2. & p. 10. tr. 16. res. 30.*

XXXVIII. Maritus qui per ignorantiam in baptismo leuauit filium vxoris, non arcetur à debiti petitione. Sanchez & 3. Qui autem per errorem suscipit filium Petri quem putat esse filium Ioannis, contrahit cognationem. Pontius. Etsi hoc etiam probabiliter neget Sanchez & Villalob. *p. 3. tr. 4. res. 16. & p. 11. tr. 8. res. 57.*

XXXIX. Qui in periculo mortis baptizauit filium suum, vel suscepit, adstantibus tamen multis qui hoc facere poterant, & sic cum suâ vxore cognationem contraxit potest nihilominùs ab eâ petere debitum: quia nullo

textu id prohibetur. Suarez & 5. Etsi contrarium etiam probabiliter doceat Sanchez & *2.p.3.tr.4.res.3.& p.5.tr.3. resol. 25.*

Rebaptisatio.

XL. Quilibet batismus qui tantùm probabiliter validus est debet sub conditione iterari. Qui tamen sic esset probabiliter baptisatus posset interim Sacramenta omnia suscipere, excepto Ordine sacerdotij, ex quo nimium animarum periculum sequeretur. Dicastill. *p. 10.tr. 16. resol. 20.*

XLI. Rebaptisantes sub conditione non fiunt irregulares;quia non est rebaptisatio simpliciter: Suarez & 10. *p.3.tr.4.res.9.& p.10.tr.16.res.87.* Etsi autem baptisaret quis sub conditione eum quem constat non esse baptisatum, non peccaret nisi venialiter. Villalob.& S.Iuan. *in Addit. 3. p. resol. 6.*

XLII. Obstetrices non tenentur ex officio scire necessaria ad baptismum,ne vernaculâ quidem linguâ; nullum enim est eâ de re præceptum Ecclesiasticum, aut naturale.Suarez,Etsi contrarium doceat Henriquez & 8. Neque rebaptisandi sunt ab illis domi baptisati. Contrarium tamen est pobabile;nam facilè errare possunt ob turbationem. Multo magis rebaptisati possunt qui ad Hæreticis, vel Iudæis, aut Saracenis baptisari sunt,quia hi sæpe malè baptisant deprauatione materiæ,vel formæ, vel intentionis. Quintanad.& *8.p.2.tr.15.res.46.& p.5.tr.13.res.86.& p.9.tr.6.res.35.& p.10.tr.16.res.20.*

XLIII. Infans cuius batismus est dubius, vndecumque oriatur dubium ita vt fuisset rebaptizandus si superuixisset, sepeliendus est in loco sacro.Homobonus.*p.4.tr. 3.resol. 69.*

Beatus.

I. NOn licet recitare officium alicuius beatificati v.g. B.Francisci Borgiæ etiam ex deuotione extra diē eius festum ; imò nec commemorationem de eodem in Missâ facere, & contra facientes peccant mortaliter; quia recitatio officij est publicus cultus, qui non permittitur à Pontifice nisi die eius festo. Etsi ea licita esse doceat Tamburin.& 3. Item quando conceditur aliquibus Religiosis facultas Missam de talibus Beatis celebrandi in suis Ecclesiis, non possunt illam celebrare alibi v. g. in aliquâ parociâ, aut Monasterio alterius Religionis. Quòd si tamen id solum semel, aut bis fieret, non esset mortale. Granad. & 6.*p.*4.*tr.*4.*res*.231.*&* *p.*11.*tr.*10. *res*.21.

II. Quando in Beatificatione alicuius Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, vt possint de illo Missam celebrare, non licet aliis Sacerdotibus, seu sæcularibus, seu regularibus, de eo Beato in Ecclesiâ assignatâ Missam celebrare. Quia illud priuilegium conceditur tantùm Sacerdotibus illius Religionis; cùm illi soli in Bullâ exprimantur. Turrian.& 4. Etsi contrarium quoad hoc doceat Tamburin. & 3. Item non licet de Beatificatis celebrare Missam, vel officium cum octauâ, nisi hoc expressè à Pontifice concessum sit. Quæ omnia declarata sunt per decretum Innocentij X. *p.* 2. *r.*14. *resol.*74. *&* *tr.* 15. *res.*55.*&* *in Addit.*3.*res.*2.*&* *p.*11.*tr.*10.*res.* 21.

III. Beatificatis erigi possunt altaria ab iis tantùm quibus conceditur in eorum honorem sacrum offerre; quia hic honor est intrinsecè connexus cum cultu sacrificij. Amic. *p.*11.*tr.*10.*res.*21.

IV. Inter miraculum & gratiam ea videtur esse differētia, quod miracula subitò fiant & in instanti v.g. curatio morbi:si ergo id fiat paulatim & successiuè,solùm erit gratia. D.Thom.& 4.Potest tamen etiā miraculum fieri successiuè,& non in instanti. Vasq.& 3.*p.*2.*tr.*17.*res.*48.

V. Non potest Episcopus instituere diem festum alicuius Beati nondum canonizati Sanchez & 4. Quamuis contrarium doceat Suarez & Fagundez. Neque etiam licet talem Beatum inuocare in publicis Litaniis. Portel. & Castellin. Neque eius imaginem depingere cum radiis, vel diademate. Bellarmin. & 3. Quamuis hoc affirmet Molfel. Saltem ab iis id fieri potest quibus licet Officium & Missam de illo Beato celebrare. Amic. & *2.p.3.tr.5.res.9.& p. 11.tr.10.res.21.*

VI. Consuetudo per sortes eligendi Sanctos tutelares, illicita est: meliùs ex ratione eliguntur. Aliud est cum sancti aliqui v. g. qui illo mense obierunt inter præsentes sorte distribuuntur. La Torre.*p.5.tr.14.res.9.*

Bellum.

I. Potestas indicendi belli est penes eos solos, qui non habent superiorem in ciuilibus, & criminalibus. Potest tamen consuetudo etiam aliis eam potestatem conferre: imò & interdum ipsa necessitas. Molin. & *2.p.6. tr. 4. rosol. 1.*

II. Non potest dari bellum ex vtrâque parte iustum, etsi ab vtrâque parte sæpe non peccetur propter ignorantiam. Valent. & *4.Ibid.res.24.* Quando autem sunt vtrimque rationes probabiles, posse Regem suscipere bellum contra alterum Regem qui est in possessione, negat Vasquez & 2. Affirmat Sancius.*p.2.tr.13.res.8.* Saltem quando agitur de successione ad aliquod regnum, potest supremus Princeps, si pro ipso sentiant viri docti, & prudentes quos consuluit, ius suum armis prosequi. Molin. & *5.p.9.tract.8. res.69.* Quòd si dubium sit de iustitiâ belli, non licet illud inferre quoties agitur de causa iniuriæ, vel etiam in causâ possessionis, cum alter possidet: si neuter possideat, potest inferri pro habendâ medietate, si ea negetur. Syluius.*p.4. tr. 3. res. 50.*

III. Quamdiu dubitatur de iustitia belli, probabile est milites quosuis posse bellare; possunt enim præsumere pro

Principe.Suarez &12.Sed probabile etiam est, id lice resolis subditis Principis,sub quibus comprehenduntur, non soli indigenę,sed omnes qui ante suscitationem illius belli,continuis stipendiis sub illo militabant. Sanchez, Molin.& 12. Quando autem constat esse iniustum,nemo potest:nec necessitas potest id facere licitum: & contrarium dicere est error. Idemque est quoad amicum à quo Rex auxilium petit.Arriag.*p.4.tr.3.res.7.&tr.4.res.32.&p.3.tr.5 res.96.& p.6.tr.4.res.9.&p.9.tr.8.res.63.& p.11.tr.5.res.28.*

IV. Intentio Principis bona, vel mala non facit ad iustitiam belli. Coninc.*7.p.6.tr.4.res.4.*

V. Hæreticis bellum potest inferri ob solam hæresim. Reginald. Imò & barbaris ob barbariem ineptam ad politiam:nam talis coactio in eorum cedit vtilitatem. Hurtad.& Lorca.*Ibid.res.19. & 3.*

VI. Ob solam infidelitatem non potest inferri bellum infidelibus,etiam ex licentia Papæ: potest autem si prædicatores fidei nolint admittere, vel liberum iis transitum in alias prouincias negent.Molin.& 6.Imò possunt ij cum præsidio militari induci, & arces pro eorum securitate in finibus extrui.Suarez & Solorzan. *Ibid.res.15.&17.*

VII. Si apud infideles sit vsus humanæ carnis, immolatio innocentium,aut similia,possunt propter ea sola debellari,etsi nulli ipsorum auxilium implorent.Molin.& 3. Imò ob solam idololatriam, & violationem iuris naturæ id permittunt quidam, saltem accedente licentiâ Pontificis, & si moniti ab iis non desistant. Syluest. & 10. *Ibid. resol.16.*

VIII. Probabile est Principem, ex cuius consensu vasallus alteri Principi grauem intulit iniuriam, iustè bello impeti,si vasallum ad necem tradere recuset, quantumuis aliam omnem offerat satisfactionem. Molin. & 2. Sed contrarium est verius. Coninc. *Ibid.res.6.*

IX. An iusta sit causa belli inferendi, si quis Princeps exteris omnibus prohibeat negotiationem, peregrinationem, &c.per suum regnum,ex eo quòd hęc iure gentium

videantur concessa? quidam aiunt, (Victoria & Lorca) Sed alij communius negant. Molin. & 3. Non est tamen iusta belli causa, si transitus negetur militibus armatis: nam ferè semper, ab his periculum timeri potest. Coninc & Castrop. *p.4.tr.4.res.74.& p.6.tr.4.res.5.*

X. Etsi iusta sit belli causa, si tamen inde grauiora damna imminent propriæ reipub. quàm sit spes victoriæ, iniustè inferetur. Debet ergo iniuria ob quam infertur esse maior, quàm damna quæ solet bellum adferre. Molin. & *3.p.6.tr.4.res.7.*

XI. Post bellum inchoatum si debita offeratur satisfactio, tenetur Princeps à bello cessare, quoties agitur de recuperatione alicuius possessionis; non autem quando agitur de vindicandâ iniuriâ; quia cum hæc mereatur pœnam belli, eam relaxare solius est misericordiæ, non iustitiæ. Lorca, Quidam tamen absolutè negant. Caietan & 3. Alij affirmant. Suarez & *6.Ibid.res.8.*

XII. Potest Princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum & expensarum, item aliquid in pænam iniuriæ illatæ. Duual. Vnde potest victos priuare bonis. etiam innocentes; imperare iis tributa, extruere arces &c. quæ ad securitatem necessaria sunt Coninc. *p.6.tract. 4.resol.22.*

XIII. Tenentur milites etiam cum periculo vitæ non deserere stationem, vel arcem, nisi fortè nulla esset spes quidquam eo modo proficiendi. Castrop. & 2. Neque possunt sub mortali castra deserere sine licentiâ, eoque minùs quo magis imminet prælium. Molin. *Ibid.res.25.*

XIV. Bellum committere in die festo etiam citra necessitatem, modò Missa audiatur, nollum est peccatum. Granad. & 5. Etsi veniale illud iudicet Caietan. & 4. Imò mortale Suarez & *3.p.4.tr.4.res.229.& p.6.tr.4.res.52.*

XV. Clericis iure solùm positiuo militia grauiter est prohibita: vnde non licet Episcopis, vel Cardinalibus duces esse exercitûs, nisi permittente Pontifice, Clerici tamen in minoribus, etiam priuilegio fori gaudentes, etiam

beneficiati, non peccant mortaliter etiamsi propriâ manu pugnent, si beneficium non postulet residentiam, & nihil officij omittant. Si tamen occidendo fiant irregulares, tenentur beneficium resignare, vel dispensationem impetrare. Layman. & 2. Similiter nec Religiosi laici per hoc peccant mortaliter, grauiùs tamen quàm Clerici beneficiati. Excipe hinc quoties id necessarium est ad defensionem vel sui, vel innocentis, vel Ciuitatis, aut nauis, vel etiam ad consecutionem iustæ victoriæ, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipub. multùm pendet. Quæ vix locum habent in bello offensiuo. Molin. & 4. nisi contra Infideles vt in Hispaniâ sæpe laudabiliter factum ab Episcopis. Et in his casibus non fiunt irregulares. Hurtad. Idem est si pugnent ex licentiâ Sum. Pontificis. Molin. & Couarr. *p.6.tr.4.ref.* 33. 34 35. *&* 38. *& p.*10.*tr.*2.*ref.*1.2.3.4.5. *&* 6.

XVI. Possunt Clerici ad iuuandos in spiritalibus milites bello interesse sine vllius licentiâ. Coninc. & 5. Tuncque possunt hostium spolia arripere, sicut ceteri, nisi contraria esset voluntas Ducis exercitus. Molin. & Layman. Imò possunt id facere, etsi contra prohibitionem Ecclesię bello interessent. Lorca. *p.6.tr.4.ref.*36.37. *&* 40. *& p.* 10. *tr.* 2. *ref.* 7.

XVII. Peccant Duces & restituere tenentur. I. Si pauciores habent milites quàm quos exhibent in solutione stipendij. II. si necessaria ad bellum præparent aut vitiosa, v. g. cibum: aut in minori quantitate quàm teneantur. III. si in transitu per patriam accipiant pecuniam ne aliquò veniant, etiam cùm libera eis permissa est electio. Mol. & 2. Similiter peccant alij Officiales si ij ad quod spectat victualia procurare, corrupta adducant, vnde morbi: si pulueri tormentario aliquid admisceant, vnde is minùs sit efficax: aut si vni militi dent plura chirographa ad diuersas domos. Becan. & 2.*p.6.tr.4.ref.*27. *&* 28.

XVIII. Principes tenentur debita stipendia militibus persoluere, aliàs obligantur ad omnia damna inde secuta, tum ipsis militibus, tum aliis qui ideò à militibus spoliati sunt

ſunt. Coninc & Caſtrop. Excuſat tamen Layman, ſi ad bellum defenſiuum cogantur, neque omni ſtudio ſufficientes pecunias poſſint colligere, *Ibid. reſ. 29.*

XIX. Etſi tota aliquando ciuitas diripienda poſſit concedi, tenentur tamen Duces impedire ſcelera quæ eâ occaſione communiter perpetrantur. Molin. & 5. *p. 6. tract. 4. reſ. 21.* Item non poſſunt tunc diripi bona Mercatorum qui non ſpectant ad hoſtilem rempub. ſicut non poſſunt occupari bona peregrinorum, & quicumque non ſunt partes reipub. hoſtilis. Victoria & 5. Imò etſi caperetur nauis hoſtilis, ſi tamen in eâ ſint merces quæ ſpectant ad alios qui non ſunt hoſtes, non poſſunt hæ diripi ſine onere reſtitutionis. Grotius & 3. *p. 11. tr. 3. reſ. 1.*

XX. In bello licet vti ſtratagematis, & inſidiis: fides tamen ſemper ſeruanda, niſi vel coactus eam dediſſes, vel in graue detrimentum cederet Reipub. aut Religionis, aut ſi hoſtis eam non ſeruaret. Caſtrop. & 2. *par. 6. tract. 4. reſol. 10.*

XXI. Clerici poſt victoriam inuenti in exercitu hoſtili, non poſſunt occidi; quia Princeps non eſt iudex Clericorum, ideòque nihil poteſt in eos extra actualem pugnam. Bannez & 2. Etſi contrarium doceat Caram. *p. 9. tr. 9. reſ. 9. & p. 11. tr. 3. reſ. 1.* Innocentes tamen poſſe redigi in ſeruitutem, docet Molin. & 4. Etſi contrà ſatis probabiliter ſentiat Lorca & Hurtad. Quod ſi deuaſtentur eorum bona ad hoſtilem Rempub. non pertinentia, vt ſunt bona Eccleſiaſticorum, debent poſteà reſtitui, tametſi ex eorum occupatione locupletior non euaſeris. Lorca & Caſtrop. Etſi autem aliquando indirectè ipſi poſſint occidi, videndum tamen, an finis belli præponderet eorum morti & damnis aliis inferendis; non enim ſemper potes tuam vtilitatem cum damno aliorum grauiſſimo quærere. Valent. & 3. *p. 6. tr. 4. reſ. 13. 12. & 11.*

XXII. Etiam in bello iuſto bona Eccleſiaſticorum capi non poſſunt; cum non ſpectent ad rempub. & ſint ſpecialiter exempta. Molin & 21. per accidens tamen poſſent

etiam ipsius Ecclesiæ bona diripi, ipsaque Ecclesia comburi, quando hoc esset necessarium ad finem belli consequendum, vel pacem firmandam. Dicastill. Bona tamen laicorum hostilia reposita in Ecclesiâ possunt in rigore inde extrahi. Castropal.& Dicastill. Etsi contrarium doceat Suarez & 2.*p.*11.*tr.* 3.*res.*1.*& p.*10.*tr.*16.*res.*74.

XXIII. Bona mobilia quæ milites ab hostibus antea iniustè capta, recuperant, fiunt ipsorum, saltem si iam erant vel ad loca tuta deportata, vel per 24. horas possessa. Hurtad. Qui verò emptione, aut simili modo ea recuperant, tenentur restituere, recepto tamen pretio, quoties Domino non erat spes aliter recuperandi, & vili pretio emerunt vt comparenti Domino restituerent. Coninc. Eodem modo emi possunt res ad cultum diuinum spectantes ab Hæreticis captæ. Molin.& 8.*p.*6.*tr.*4.*res.*23.*& p.*11.*tr.*3.*res.*1.*& tr.*6.*res.*18.

XXIV. In bello quod iniustè gerunt hostes v.g. Turcę, si quis miles Christianus aliquem suæ partis occisum spoliet, tenetur ea espolia hęredibus occisi restituere, deducto pretio laboris, & periculi, si cui se exposuit; quia Turcæ non possunt dominium spoliorum acquirere, & ideo hoc semper perseuerat apud antiquos dominos. Molin. & Fagund.*p.*11.*tr.*6.*res.*18.

XXV. Obsides in bello dati nisi sint nocentes, occidi non possunt, etiamsi hostes fidem non seruent. Molin.& 4. Nec audiendus est contra sentiens Filliuc. *par.* 6. *tract.*4. *resol.* 20.

XXVI. Capti in bello etiam iusto, vtcumque à Dominis tractentur, licitè possunt fugere, animo redeundi ad suos, nisi fidem dederint non fugiendi. Lessius & 3. Capti autem in bello inter Christianos, etsi non fiant mancipia, licitè tamen detinentur donec lytrum soluant. Hurtad. & 7.*Ibid.res.*14.*& tr.*7.*res.*16.

XXVII. Repressalia licita sunt his conditionibus. I. vt manifestè constet ciues alterius reipub. fecisse iniuriam. II. vt illorum superiores rogati recusent facere iustitiam.

III. vt constet eos culpabiliter id recusare. IV. vt supremus Princeps Reipubl. læsæ causâ cognitâ concedat facultatem capiendi repressalia. V. vt non inferatur plus damni, quàm necesse sit ad iustam satisfactionem. VI. vt non concedantur in personas Ecclesiasticas. Molin. & 18.*p.* 4. *tr.*4.*res.*72.

Beneficium.

I. Licet ex priuilegio concedi possit per Papam collatio beneficiorum Principi laico: nullâ tamen consuetudine, aut præscriptione etiam immemorabili, acquiri potest. Tuschus & 3.*p.*3.*tr.*1.*res.*65.

II. Patronus laicus, non tenetur sub peccato mortali præsentare digniorem, etiam quoad beneficia curata, quia Concil. Trid *sess.*14.*de reform.c.*28. non adstringit patronum laicum ad præsentandum digniorem. Garsias & 7. *part.* 2. *tr.*15.*res.*37. Et quamuis ideò non debeat præsentatus per concursum examinari, debet tamen per examinatores synodales, ex vi Conc. Trident. *sess.*24.*c.*18. Quod si sit iurispatronatûs non merè laicalis, sed mixti, vel ex mero priuilegio, debet dari ex concursu. Item si plures à patrono laico sint pręsentati, inter hos est concursus. *p.*9.*tract.* 8.*resol.*16.

III. Præsentatio ad beneficium facta à patrono laico excommunicato valida est; non tenetur tamen Episcopus eam admittere, imò nec potest cùm sit illicita: Villalob. & 3.*p.*5.*tr.*9.*res.*105.

IV. In dubio an beneficium sit curatum, an simplex, præsumitur simplex: quia ad curatum multę requiruntur qualitates, quę proinde pręsumi non debent, nisi probentur. Gutierez & 2.*p.*4.*tr.*3.*res.*74.

V. Omnia beneficia quæ curam animarum non habent, possunt conferri dignis, pętermissis dignioribus: Concil. enim Trident. sola Episcopalia, & curata decernit dignioribus esse conferenda. Garsias & 3. *par.* 2. *tract.* 15. *resol.*38.

VI. Episcopatus, & alia beneficia curata, si in concursu competitorum non conferantur dignioribus, mortaliter violatur iustitia distributiua. D. Thom. & 18 *Ibi. resol.* 40. & *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 34. Dari temen hic materiam paruam ex eo, quòd exiguus sit excessus, docet Sotus & 4 Sed alij negant. Turrian. *p.* 5. *tr,* 5. *res.* 13. Imò peccatur etiam contra iustitiam commutatiuam ortam ex illo quasi contractu proueniente ex propositione edicti de concursu, ac proptereà tunc eligentes minus dignum, tenentur ad restitutionem. Vasquez & 5. Quamuis contrarium etiam sit probabile ex Nauarro & 3. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 210. Qui verò ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Reges, & summus Pontifex non tenentur eligere digniores, nisi sint in promptu, sed sufficit si eligant dignos. & Prælati tenentur hos acceptare. Sanchez & 2. Sed in praxi non videtur à contrariâ sententiâ recedendum; quia ferè semper digniores in promptu haberi & cognosci possunt. Multo magis proreges dum ad Regem mittunt nominationem quorundam ad Episcopatus, tenentur nominare digniores posthabitis dignis. Hurtad. & 2. *Ibid. resol.* 170. & *p.* 2. *tr.* 15. *res.* 40. & *p.* 8. *tr.* 7. *res.* 83. & *p.* 9. *tr.* 7. *res.* 7. & *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 34. & 35. Qui verò resignat potest resignare digno cui voluerit, hîc enim nullus est concursus: & Collator acquiescendo resignationi non peccabit. Lessius & 6. *p,* 2. *tr.* 15. *res.* 41.

VII. Qui beneficij Ecclesiastici collatorem determinatum ad conferendum alteri, precibus, vel muneribus inducit vt sibi; vel amico minùs digno conferat, non tenetur ad restitutionem: quia relinquit collatorem in suâ libertate: neque facit iniuriam alteri, etiamsi ex odio id faciat; qui odium non est contra iustitiam, sed contra caritatem. Lessius & 9. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 53. & *tr.* 6. *res.* 34. & *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 36.

VIII. Probabile est aliquando eligi posse indignum ad quæuis beneficia, quando scilicet aliàs eligendus esset indignissimus, à quo Ecclesiæ grauissima mala immine-

rent Lugo & 2. Imò licere eligere in Parochum, vel Episcopum hominem plane improbum, & infamem concubinarium, quando non reperitur alius idoneus ad ministranda Sacramenta, docet Peyrin. Sed contrarium docet Malder. & Tho. Hurtad. *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 38.

IX. Qui se agnoscit minùs dignum, potest se offerre ad beneficium, relinquendo totum iudicium collatori, secundùm Lessium: quod magis valet in dubio de digniori. Si autem in concursu eligatur, prætermisso digniori, potest beneficium, aut cathedram acceptare. Turrian. & Sotus. Ceterùm in concursu potest aliquando eligi dignus, relicto digniori. I. Si dignior est extraneus. II. Si minùs dignus est acceptior. III. Si dignior est implicatus negotiis externis. IV. Si est periculum ne eligatur indignus. V. Si minùs dignus sit magis expertus. Examinatores autem non teneri indicare digniorem, nisi Episcopus id postulet, vt faciat electionem Ecclesiæ vtiliorem, docet Garsias & 4. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 110. & 111.

X. Examinatores si præmoneant examinandos de punctis petendis, peccant mortaliter, quando id cedit in præiudicium tertij, vt quando fit in concursu pro beneficio Rodriquez. Aliàs quando sciuntur satis docti, & putantur ex turbatione malè responsuri v.g. in examine Episcoporum coram Pontifice, vel Confessariorum coram Episcopo &c. possent præmonere. *p.* 5. *tr.* 14. *res.* 89. Sed nunc quoad examen Episcoporum coram Pontifice contrarium affirmo, propter iuramentum quod faciunt examinatores non manifestandi neque in genere, neque in specie ea de quibus interrogandi sunt. *p.* 10. *tr.* 16. *res.* 38.

XI. Inualida est collatio beneficij ex concursu si cum examinatoribus synodalibus adhibeantur etiam alij non synodales. Garsias & Massobr. Quod si eo tempore quo debet fieri concursus, non adsint examinatores synodales, posse Episcopum alios deputare sine synodi celebratione, docet Barbos. & 2. Sed contrarium est probabilius, nisi infra annum mortui essent. Garsias & 2. Quod si quo-

tannis synodus non fiat, priores manent in suo munere donec noua synodus habeatur:sed si elapso anno aliqui ex iis moriantur,expirat omnium officium,Gallet. & 2. *p.* 3. *tr.* 5,*ref.*65. & 64.

XII. Illegitimus vel irregularis dispensatus ad minores Ordines, non censetur eo ipso capax beneficij simplicis; quia illa sunt diuersa. Suarez & 3. Quamuis contrarium affirmet Sà & 2. Quemlibet tamen Clericum esse eo ipso capacem pensionis docet Thesaur. & 2.Sed contrarius est stylus Datariæ, secundùm quem incapax beneficij est etiam incapax pensionis, Imò & dispensatus ad Ordines sacros non est eo ipso capax beneficij,(Suarez & 4.) etiam simplicis. Azor.& 5.Etsi hoc etiam probabiliter affirmet Sanchez & 5.Qui autem simpliciter dispensatus est in irregularitate,ad quæuis beneficia capax est,*p.*7.*tr.*10. *ref.*6. & *p.*8.*tr.*3.*ref.*37.38.& 39. & *p.* 9.*tr.* 8.*ref.*22.

XIII, Dispensatus ad beneficium restringitur ad primum solum beneficium, ita vt illo dimisso non possit aliud acceptare,Couarr.& 2.Contrarium tamen docet Sanchez & 5. Et nomen beneficij restringitur ad sola simplicia. Dispensatus verò ad curatum non est hoc ipso capax canonicatûs, vel Personatûs. Etsi hoc velit Felin. Neque dispensatus simpliciter ad beneficium, potest illud habere in Cathedrali:& dispensatus in Cathedrali,non potest habere in Metropolitanâ(Rebuff.) Et dispensatus ad duo incompatibilia, non potest alterum eorum permutare cum alio sine nouâ dispensatione.Gloss. Et dispensatus ad dignitates non est eo ipso capax Episcopatûs,neque dispẽsatus ad Episcopatum capax est Archiepiscopatûs. Fagund.*p.*8.*tr.*3.*ref.*40.& 41. & *p.* 10.*tr.*13.*ref.*30.

XIV. Potest Episcopus cum illegitimis occultis ex quocumque damnato coitu dispensare ad minores Ordines,& beneficium simplex, cum causâ tamen, & eorum suffragantibus meritis.Auila & 4. Quod verum est etiam quoad canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum, & dimidias portiones, seu inferiora beneficia Ecclesiæ Cathe-

dralis, non autem ad canonicatus. Et hæc eadem potest Capitulum Sede vacante. Barbos. & Sanctarell. Quando autem irregularitas ea est occulta, probabiliter potest Episcopus absolutè dispensare quoad sacros Ordines, & beneficia maiora, seu dignitates & Prælaturas, Præpos. & *6.p.4.tr.2.res.64.& p.2.tr.15.res.21.& p.10.tr.11.res.24.*

XV. Collatio beneficij facta excommunicato etiam ignoranti suam excommun.est inualida, Lessius & 3.Etsi contrarium non sit improbabile. Riccius. Facta verò suspenso vel interdicto non est inualida ipso iure, sed irritanda. Suarez & 8. Neque eius acceptatio ab excommunicato,modò tempore electionis,& collationis non fuerit excommunicatus.Vasquez & 11.quia iura solam ellectionem & collationem irritant: quamuis hinc etiam toleratos eximat Hurtad.& Bauny.An idem sit quando tempore electionis, & præsentationis erat excommunicatus,sed absolutus est ante acceptationem, non est ita certum,sed affirmaut Henriquez &Couarr.*p.5.tr.9.res.*100.*99.& 102. & p.4. tr.4.res.56.p.11.tr.5.res.* 2. & 4. Quando tamen in excommunicatione inualidè obtinuit,poterit probabiliter Episcopus dispensare vt illud retineat, modò collationis nullitas sit occulta, neque dispensatio cedat in præiudicium tertij coelecti, & ipse nesciens se inhabilem beneficium acceperit. Sanchez & 2. *p.9. tr.8.res.* 34.Item si illud obtinuit bonâ fide, eique deseruiuit, poterit sibi retinere fructus respondentes congruæ sustentationi,& ceteros tenebitur solùm restituere vt possessor bonæ fidei,Suarez & Coninc.*p.5.tr.9.res.99.*

XVI. Excommunicationem minorem non facere incapacem ad benneficia, docet Tho. Hurtad.& 19. Ali tamen contrarium docent. Sanchez & 3. Sicut & quemuis excommunicatum non esse incapacem pensionis quæcumque illa sit,docent quidam. Auila & 2.Sed contrarium est probabilius. Suarez & 9. Est tamen capax pensionis quæ non est beneficium, sed datur titulo sæculari. Vasquez &4.*p.4.tr.4.res.55.&p.5.tr.9.res.103.&p.11.tr.5.res.5*

Sed hoc intelligendum nunc volo secluso stylo Curiæ Rom. & Datariæ, secundùm quem incapax beneficii est etiam incapax pensionis.*p.7.tr.12.res.7.*

XVII. Qui beneficium confert excommunicato, præter excomm. minorem quam incurrit, suspenditur à collatione illius beneficii: non tamen à collatione aliorum, sed post duplicem monitionem, suspendi debet. Sayr. & Cornejo. Et si monitionem non requirat Suarez & Abbas, Cui vero inualidè propter excommi.collatum est,post absolutionem tum huius impedimenti, tum eius quod incurrit acceptando, potest sine nouâ collatione illud retinere,modò impedimentum sit occultum, & in nullius cedat præiudicium qui simul fortè fuit electus. Sanchez & *2.p.5.tr.9.res.*107.*&* 101.

XVIII. Qui non publicauit resignationem iuxta Gregorianam,vel habuit beneficium non seruatâ formâ à iure traditâ,vel præsentationem Patroni elapso tempore, vel per collationem non habentis facultatem, vel habentis quidem, sed non volentis conferre propter excommunicationem, vel aliam causam, potest in foro conscientiæ illud retinere. Soto &*6.* quia forum conscientiæ validat actum in quo prætermissa est forma tradita, dummodo dolus non interuenerit Felin. & 8. Quæ saltem vera sunt quando defectus est occultus, & ex dimissione beneficii, vel petitione nouæ prouisionis magnum damnum status, vel famæ pateretur. *p.* 11.*tr.*5. *re.s* 56.

XIX. Electio ab beneficium excommunicati excommunicatione minori non est irritanda,si electores illam ignorarint.Auila. Imò scienter talem eligentes non proptereà priuantur voce.Gord.& Bonon. *p.5.tr.9.res.* 132.

XX. Beneficiarius si incidat in excommunicationem non priuatur eo ipso fructibus beneficii ante sententiam, & per conseq. nihil tenetur restituere, modò exequatur onera & officia beneficii.Vasquez & 6. *Ibid.res.*104.*&* *p.*4. *tr.*4.*res.*54.Idem est de irregulari etiam ex homicidio, interim dum dispensationem procurat. Suárez & 5. Neque

homicida priuatus est ipso facto beneficio quod habebat, sed per superiorem causâ cognitâ priuandus est. Lessius & Auila. Vnde potest interim beneficium resignare in fauorem tertii etiam pendente lite, & factâ accusatione de homicidio. Suarez & 4.*p.9.tr.7.res.22.& p. 10.tr.16.res.25, & p.12.tr.1.res.43.*

XXI. Qui beneficium malâ fide possidet, nòn iuuatur regulâ Cancellariæ de triennali possessione. Layman & 5. Etsi contrarium doceat Castropal. & 3. Illâ tamen regulâ iuuari possunt etiam qui sunt per ius canonicum incapaces beneficii, vt illegitimi, excommunicati, & ante legitimam ætatem ordinati: imò & irregulares. Sanchez & 2. quia excipiuntur tantùm simoniaci & intrusi.*p.11.tract.5. resol.3.& 4.*

XXII. Hæc regula non tantùm exceptionem tribuit in foro externo, vt docet Couarr. sed verum ius & titulum ad beneficium per modum præscriptionis. D. Thomas & 3. Item valet etiam in gratiâ subreptitiâ; quia per talem collationem acquiritur saltem titulus coloratus. Bauny.*Ibid.res.* 4.

XXIII. Recipiens beneficium animo illud resignandi vel permutandi non peccat mortaliter. Sanch. & 2. Bullam autē contrariā Pauli IV. quoad hoc non videri receptam docet Castrop. Sed tamen receptam esse videtur ostendere, quod vigore illius, quando quis obtinet beneficium in Curiâ, exigatur iuramentum, quod acceptetur animo non resignandi. Sed hoc intelligi de animo non resignandi intra paruum tempus, non autem post aliquot annos, docet Garsias *p. 8. tr.7.res.14.& p.9.tr.7.res.52.*

XXIV. Resignatio beneficii ab excommunicato facta in fauorem tertii, valida est. Turrian. Si tamen esset non toleratus, esset inualida; quia hoc spectat ad iurisdictionem. Filliuc.*p.5.tr.9.res.126.*

XXV. Episcopi resignata in manibus suis beneficia possunt conferre etiam suis, vel resignantis consanguineis: nam Bulla Pii V. recepta non videtur Barbosa & 3. *Ibid.tr.14.res.26.*

XXVI. Quando collatio beneficiorum non spectat ad Episcopum, non est ad permutationem necessaria eius auctoritas, sed sufficit illius Prælati ad quem spectat collatio. Suarez & 3. Debet tamen quæuis permutatio habere iustam causam. Vnde si fiat solùm pro aliquo commodo temporali alterius vel vtriusque partis, est simoniaca secundùm S. Thomam. Idem est si permutatio fiat auctoritate priuatâ. Suarez & 6. Quidquid quoad præbendas eiusdem Ecclesiæ hoc permittat Abbas & Hostiens. & vniuersim contrarium teneat Nauarra, ideoque tales non teneri pœna excommunicationis, aut restitutionis beneficii & fructuum *p.10.tr.16.res.17.*

XXVII. Licet Episcopus nequeat pensionem reseruare super beneficio; ex causâ tamen iustâ, maximè pro bono pacis, potest illam imponere. Nauar. & 4. Imò & in permutatione beneficiorum potest inæqualitas fructuum, ex consensu Ordinarii, per impositionem pensionis compensari. Nauar. & *2.p.6. tract.8. resol.17. & p.9. tract. 9. reso.49.*

XXVIII. Etsi non sit improbabile pensionem beneficio sine iustâ causâ imponi posse, vt volunt plerique Canonistæ: probabilius tamen est non tantum illicitè id fieri (Castropal.) sed etiam inualidè; ideoque non posse à Pensionario accipi, aut retineri. Vasquez & 12. v.g. si quis ob solam cupiditatem sine aliâ iustâ causâ beneficium resignet cum pensione, Cordub. & Valer. quia Papa non potest de beneficiis disponere nisi rationabiliter, quamuis concederetur esse eorum Dominus; quod tamen non est. *p. 10. tr. 14. reso. 70.*

XXIX. Ecclesiastici valdè nobiles, aut insignis eruditionis, cæteris paribus, possunt plus aliis minùs nobilibus aut minùs doctis insumere ex redditibus Ecclesiæ: debent tamen sumptus esse moderati, vt non excedant decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde sequitur Principum filios non posse tantum expendere de bonis Episcopatûs, quantum possent de bonis patrimonialibus; nam alia su-

ſtentatio conueniens eſt Principi ſæculari, alia Eccleſiaſtico. Molina & Coninc. *p.2.t.16.reſ.* 24.

XXX. Pluralitas beneficiorum quando vnum ſufficit ad honeſtam ſuſtentationem prohibita eſt de iure naturæ; ideoque ſine iuſtâ cauſâ, etiam diſpenſante Pontifice, retineri non poſſunt. D. Thomas & 19. Etſi ſolo iure canonice prohibitam velit Innocent. & 2. Quando autem vnum non eſt ſufficiens, poſſe haberi plura ſimplicia, & non requirentia reſidentiam, etiam ſine diſpenſatione vel aliâ causâ, ob generalem conſuetudinem notam & toleratam, docet Sotus & 9. Sed hoc videtur ſublatum per Tridentin. Garzia. Et ſaltem intelligitur modò non ſit nimia coacernatio beneficiorum v.g. decem vel etiam octo, Azor. *p.10.tr.13.reſ.1.*

XXXI. Quando Papa diſpenſat in pluralitate beneficiorum, etiam vbi vnum ſufficit ad ſuſtentationem, non eſt cauſa ſufficiens quod & magna pro eo detur pecuniæ quantitas, & illa non obtineantur ad proprium commodum, vel luxum &c. ſed vt omnia ſuperflua in pauperes expendantur (etſi Boſſius hoc modo, conetur excuſare quod in praxi ſæpe fit) ſed iuſta eſſet cauſa, ſi non inuenirentur alij (v.g. in locis Hæreticorum) qui fructus illos piè impenderent. Aliàs finis beneficiorum eſt vt plures habeantur miniſtri Eccleſiæ ad cultum Dei. Malder. & 4. Alioquin diſpenſatio facit cum licentiâ Papæ in infernum intrare ait Hoſtienſ. *Ibid.*

XXXII. Ad obtinendum ſimplex beneficium ſufficit annum 14. eſſe inchoatum. Azor & 5. Imò & minorem ætatem ſufficere quando beneficium eſt iuris patronatus, docet Nouar. *p.3.tr.6.reſ.* 64. Quando autem conceditur alicui facultas obtinendi beneficium in regno vel ciuitate, vel ad obtinenda plura beneficia, retrotrahitur ad beneficia iam antè obtenta, ac ſi ab initio conceſſa fuiſſet. Riccius & 4.*p.8.tr.3.reſ.99.*

XXXIII. Etſi in Eccleſiâ aliquâ ſit ſtatutum vt prouiſus de beneficio debeat iurare ſe non eſſe ex ſanguine Iu-

dœorum,& vt hoc sufficienter probare teneatur : possunt tamen ibi admitti expositities; quia ex præsumptione iuris habent puritatem sanguinis. Pontius & 10. Præsumptio autem iuris inducit plenam probationem, Menoch. & 14. *p.* 10.*tr.*16.*ref.* 96.

ꝑ XXXIV. Etsi Episcopi non possint præsentari ad beneficia iurispatronatûs sine dispensatione : Card inales tamen possunt. Lambert. & Viuian. Item possunt hi habere plura beneficia,aut saltem est causa cur Pontifex ipsis hoc concedat. Azor. & Cæsar. Fructus autem beneficiorum recipiunt absentes dum sunt in Curiâ Rom. Imò & eorum familiaribus hoc priuilegium competit. Cucchus & 4. *p.* 5.*tr.*2.*ref.*15.41.*&* 79.

XXXV. Electus ad Cardinalatum non amittit priora beneficia,nisi sint inferiora,& quæ dignitati illi repugnēt, vt Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, &c. *Ibid. resol.*11.

Blasphemia.

I. QVi vocat amasiam suam Deam, vel idolum suum, non est blasphemus : quia illa solam hyperbole. sonant. Hurtad. & Lorc.*p.*5.*tr.*13.*ref.* 20.

II. Qui inter iurandum diceret V. G. *al dispetto di Di* omissâ litterâ O,non est censendus blasphemus hæreticalis. Ricciul.*p.6.tr.*8.*ref.*38.

III, Blasphemiæ omnes siue in Deum, siue in Sanctos sunt eiusdem speciei,nisi aliqua sit hæreticalis, vel procedat ex formali odio Dei : vnde non est necesse earum diuersitatem in confessione explicare, sed solùm numerum. Caietan.& 8. Qui verò sæpiùs eandem blasphemiam repetit eodem actu, & tempore, vnum tantùm peccatum committit.Zanard, Imò etsi essent diuersi generis; tamen vniuntur ratione temporis eiusdem & vnius impetûs. Fagund.& Trullench.*p.*5.*tr.*13.*ref.*21.*&* *p.*1.*tr.*7.*r.f.* 50.*&* 51.*&* *p.*6.*tr,*8.*ref.*38.

IV. In blasphemiâ non datur materia Parua. Suarez &

8. Quamuis contrarium doceat Villalob. Vt ſi quis verbis Scripturæ ad iocum abutatur: aut organiſta loco *Kyrie eleiſon*, cantilenam profanam organo canat. Poſſet tamen eſſe veniale ex paruitate materiæ conuitium aliquod in Sanctos, non vt ſancti ſunt, ſed ex alio reſpectu: vt ſi quis diceret SS. Ioannem & Paulum fuiſſe eunuchos. Sanchez & *6.p.5.tr.5.reſ.3.*

V. Blaſphemia hæreticalis ſtatim eſt denuntianda ſine præuiâ correctione, etſi per hanc ſperaretur emendatio, in non hęreticali autem ſeruandus eſt ordo correctionis fraternę. Fagund. &*4.p.7.tr.3.reſ.60.*

VI. Vbi reſeruatur blaſphemia publica & conſuetudinaria, non eſt reſeruata quæ profertur in ebrietate, etſi eſſet præuiſa, imò & intenta. Mazuchel. II. non cenſetur publica niſi proferatur ſaltem coram ſex qui non ſunt de familia; nam penè occultum dicitur quod ſit coram quinque. Vidal. III. ad conſuetudinem hanc requiruntur minimùm quinque blaſphemiæ. Homobon. & 3. Neque inter has computari debent quæ priùs per firmum propoſitum cum Sacramento, vel verâ contritione expiatæ fuerunt. Vidal & Floron. Etſi hoc affirmet Graff. & Baucius. Item quando plures proferuntur vno impetu irę, vel in eodem ludo, pro vnicâ computantur *p.10.tr.14.reſ.68 & 69.*

Bona Eccleſiaſtica.

I. NOn poſſunt imponi gabellę ſuper bona Eccleſiaſt. niſi publicâ neceſſitate id exigente, & vtilitate communi æque principaliter tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum, & tunc requiritur conſenſus vtrorumque. Quod verum eſt ſiue bona ſint patrimoniala, ſiue donata, ſiue empta, ſeu quouis alio titulo acquiſita. Leſſius & 4. Etſi Clerici habitum aſſumpſiſſent in fraudem gabellarum. Duard. Neque ſufficit conſenſus Epiſcopi cum Capitulo, ſed omnes quos tangit conſentire debent. Barboſ. & 4. Si verò Clerus in caſu quo debet, nollet conſentire, poſſent laici implorare auxilium Superioris Eccleſiaſtici, nam, à

Superiore laico compelli non possunt. Faust. & Anguian. *p.1.tr.2.res.39.40.41.41.& 43.* Non potest tamen Episcopus vel Clerus in talem contributionem consentire nisi permittente Pontifice, quando hic consuli potest. Castropal. & 2.*Ibid.res.133.& p.5.tr.1.res.11.* Neque Clericus potest se submittere iurisdictioni regali quoad bona patrimonialia, cum priuilegio illo cedere nequeat. *p.3.tr.1. res. 29.& p.1.tr.2.res.40.*

II. Iudex laicus non potest procedere contra pecora clericorum, quæ in alienis pascuis inuenta fuerint; quia non potest ferri sententia à Iudice in pecora, cùm non sint capacia; neque in personas quæ non subsunt iurisdictioni sæculari. Sanchez & 3.*par.1.tract.2.resol.81.& par.4. tr. 1.resol.72.*

III. Si adsit clausula de non alienando, non potest fieri executio per sæcularem Iudicem in prædio, quod clericus à laico obtinuit. Villadiego.*p.3.tr.1.res.49.*

IV. Si Clericus vsurpet, vel impediat iurisdictionem sæcularem, aut alia regalia, non potest tamen à iudice laico bonis temporalibus priuari, defectu iurisdictionis in bona, æquè ac in personam. Sanchez & 3.*p.4.tract. 1. resol. 77. & 79.*

V. Clerici tenentur soluere collectam certam, & inuariabilem impositam per statutum super aliqua bona, priusquam ad eos peruenissent. Barbos. Contrarium tamen est probabile. Graff. & 4.*p.3.tr.1.res.17.*

VI. Iudex laicus non potest exigere gabellas à colonis Regularium; quia bona, & prædia Regularium sunt exempta. Abbas & 2. Tenentur tamen dicti coloni soluere gebellam ex fructibus collectis, si eos aliò transferant, aut alienent; tunc enim censentur bona laicorum. Filliuc. *Ibid. resol.19.*

VII. Item coloni laici Regularium, qui eorum agros conducunt, exempti sunt à solutione decimarum; quia hoc priuilegium exemptionis est reale. Menoch. & Peirin. *Ibid. res.123.*

VIII. Si Ecclesia, vel persona priuilegiata concedat domum, vel agrum in censum emphyteuticum redimibilem, emphyteuta non gaudebit priuilegio exemptionis; quia tunc dominium non remanet penes Ecclesiasticum, sed solum ius recipiendi annuam pensionem: secus est de aliis emphyteutis Ecclesiæ. Felician. *Ibid. ref.* 24.

IX. Alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Rectoribus in euidentem eiusdem Ecclesiæ vtilitatem, saluo assensu Sedis Apostolicæ, non est inualida, etiamsi Summus Pontif. nondum consenserit: neque Rectores qui fecerunt conditionem Ecclesiæ meliorem, incurrunt excomm. quia cùm hic contractus celebratus sit in commodum Ecclesię, quamuis legitima forma, & solemnitas desit, validus tamen erit, quia forma requiritur tantùm ad fraudes euitandas. Syluest. & 14. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 77.

X. Beneficiarius licitè potest fructus beneficij elocare vltra triennium sine licentiâ Sedis Apostolicæ; quia extrauagans *Ambitiosæ* tantùm agit de bonis Ecclesiarum. Quodsi autem bona quædam Ecclesiæ, vel monasterio donarentur cum eâ conditione vt possint alienari sine solennitatibus, & consensu Sedis Apostolicæ, valeret talis conditio, & seruanda esset. Castropal. & 3. Quod tamen negat Barbos. & 8. Et hoc videtur in praxi seruandum ob communem sententiam DD. & stylum Curiæ. *p.* 10. *tr.* 16. *ref.* 51. *&* 85.

XI. Alienatio bonorum immobilium pertinet de iure communi ad totum Capitulum monasterii. Bonacin. & 6. Vnde ne per Capitulum quidem generale committi potest quatuor vel quinque deputandis per Capitulum monasterii; quia consensus totius Capituli requiritur pro formâ. Lessius & 8. *p.* 3. *tr.* 2. *ref.* 87

XII. Etsi Prælati ecclesiastici, vel Capitula non possint sine licentiâ bona stabilia obligare speciali hypothecâ: quando tamen celebrant contractum aliquem non prohibitum, posse pro eius obseruatione obligare omnia bona per hypothecam generalem, docet Molin. & 10.

Quod tamen negat Bossius. Fructus saltem bonorum immobilium possunt obligare quando simplex mutuum petunt: non autem si accipiant cum obligatione soluendi aliquid vt lucrum cessans, vel damnum emergens, ob decretum S. Congregationis Ann. 1626. die 21. Maij. *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 53.

XIII. In necessitate possunt à Regularibus oppignorari mobilia pretiosa vel etiam immobilia, quando non potest licentia peti à Papa; nec necesse tunc est illam petere ab Episcopo. Filliuc. & 2. In aliis etiam rebus immobilibus potest dari paruitas materiæ ex *c. terrulas* 12. *q.* 2. quæ erit si non excedant 20. solidos. Alciat. & 2. Sed melius videtur id Iudicis arbitrio relinquendum. *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 6. *&* *tr.* 5. *res.* 57.

XIV. Ex determinatione Congreg. Cardinalium teste Homobono & Peregrin. in mobilibus bonis Ecclesiæ illud censetur pretiosum, ita vt Prælatus non Possit illud alienare, quod excedit valorem 25. aureorum. Etsi Castropal. requirat vt attingat 100. aureos. Sub illis tamen rebus pretiosis prohibitis sine debitâ solemnitate alienari non comprehenduntur reliquiæ Sanctorum; quia non sunt pretio æstimabiles. Item potest fieri permutatio ab vnâ Ecclesiâ ad alteram sine solemnitate. Peregrin, & Triuisan. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 223. *&* *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 21.

XV. Si Conuentus, vel particularis aliquis Religiosus quãtitatẽ aliquam pecuniæ deposuit in banco, posse illam postea inde extractam quomodocumque alienare, non obstante Paulinâ, & decreto S. Congreg. eò quòd non possit censeri quid immobile, cùm ad nutum sit reuocabile, affirmat Castropal. & 2. Negat Bossius, eò quòd censeatur annuus reditus sicut pecunia reposita in Montibus quæ etiam repeti potest. Vtrimque probabiliter. *p.* 10. *t.* *ast.* 16. *resol.* 52.

XVI. Pecunia data pro dote Monialis etsi alienari non possit ita vt de fructibus eius illa non sustentetur: potest tamen ex eâ emi ager, aut vinea fructifera, sine licentiâ S. Congreg.

Congreg. Lezan. & Bonacin. Sed contrarium est verum, nisi consuetudo ita obtinuisset; nam talis pecunia habetur pro bono immobili. Bossius. *Ibid. res.* 51.

XVII. Regulares inconsultâ sacrâ Congreg. non possunt accipere pecunias ad cambium, vel mutuas cum solutione lucri cessantis & damni emergentis, vt patet ex decreto. Ann. 1624. Homobon. & 2. Nisi contrarium excuset consuetudo legitimè præscripta. Lezan. *p.4.tr.4. res.* 223. Habent tamen Theatini priuilegium alienandi bona immobilia vel mobilia pretiosa, cum licentiâ Generalis sine consensu Sac. Congreg. *p.5.tr.13.res.6.*

XVIII. Permutatio bonorum Ecclesiasticorum cum Principe patriæ est iure permissa quando rationabilis est causa; ideoque videtur illa tunc posse fieri sine solennitatibus requisitis ad alias alienationes; nam aliàs nihil priuilegij contineret illa iuris concessio. Vvading. Non videtur tamen hoc in praxi obseruari. *p.10.tr.16.res.85.*

XIX. Non potest Rex in regno Siciliæ disponere, ad libitum in quoscumque vsus voluerit, de fructibus Ecclesiarum vacantium, sed tenetur expendere in vsus pios, nec aliud fortè à Pontifice concedi potest. Azor & 3.*p.7. tract. 10. resol.* 1.

XX. Iurisdictio temporalis à Rege Gulielmo II. concessa Archiepiscopo Montis-regalis, est absoluta, & non per modum feudi, non remanente in Rege vllâ superioritate, aut alto dominio, ideoque ab Archiepiscopo administrari potest per Gubernatorem Ecclesiasticum. Spada & 43. *Ibid. res.* 4.

Bulla Cœnæ.

I. Quando dubium est an casus aliquis contineatur in bulla Cœnæ, potest quilibet ab eo absoluere, ex decreto posteriori Clementis VIII. moderatiuo prioris. Pellizzar. & Baucius. *p.10. tr.4. res.* 8.

II. Quando in iubilæo conceditur facultas absoluendi à casibus reseruatis Papæ, potest Confessarius etiam

abſoluere à reſeruatis Epiſcopo. Suarez & 7. Sed in illâ generali facultate non comprehenduntur tamen caſus Bullæ Cœnæ.Suarez & 5.Etſi hoc affirmet Boſſius. Quando verò hi etiam conceduntur exceptâ hæreſi, non poteſt abſolui hæreticus etiam occultus, & emendatus. *p.3.tr.4. reſ.149.& p.5.tr.12.reſ.34.& 35.*

III. Deferentes infidelibus pecunias, merces, victualia incidunt in cenſuram Bullæ Cœnæ;quia per hęc iis fauor & auxilium quomodolibet præſtatur, maximè ſi in iis circumſtantiis deferantur, vt ad bellum iuuare poſſint. Suarez & 2. Sed hoc etiam probabiliter negat Tolet. & 2. Similiter eam incurrere nuntium qui defert ad eos litteras,quas ſcit continere reuelationem ſecrete reibup.Chriſtianæ,docet Suarez & 3. Quod negat Caſtrop. Non autem eam incurreret ſi quis tale ſecretum reuelaret alicui fideli,etſi hic ſciretur id reuelaturus infidelibus, v.g. Turcis. Suarez & Caſtrop. Quamuis id affirmet Banacin. & Hurtad.*p.9.tr.7.reſ.16.& p.5.tr.13.reſ.13.*

IV. Qui arma ad infideles non,deferunt, ſed iis tamen vendunt in terris Chriſtianorum.incurrunt in eam cenſuram,quatenus per hoc fauorem iis prętant. Caſtrop. & 3. Probabile eſt tamen excuſari deferentem ad eos prohibita,quando aliter captiui redimi non poſſunt. Vgolin. Saltem ſi id fiat tempore pacis.Aut cùm pecunia Chriſtianis vtilior eſt.Reginald.Sed in hoc conſulendus Pontifex. Item non incurrunt eam qui arma deferunt ad Hęreticos; quia hi non ſunt inimici nominis Chriſtiani.Hurtad. *p.9. tr.7.reſ.16.& p.5.tr.13.reſ.14.& 15.*

V. In caſu dubii de neceſſitate poteſt Princeps ſine incurſione cenſuræ Bullæ Cœnæ prohibere ne victualia extrahantur è ſuo regno ad Curiam Rom.eſt enim poſſeſſio pro eius parte vt regni neceſſitatibus conſulat.Caſtrop. Etſi id neget Suarez & 2.*p.9.tr.7.reſ.17.*

VI. In cenſuram huius bullæ incidunt piratæ illi ſoli qui diſcurrunt mare ad Pontificem ſpectans ſaltem mediatè ratione feudi, ſicut ſpectat mare Tyrrhenum. Ca-

strop. & Bonacin. Idque etsi in eo non prædentur. Tolet. & 3. Sed contrarium probabile est. Castrop. & 3. Non censentur autem hic piratæ qui casu tantum semel nauem aliquam deprædantur. Neque qui prædantur in dicto iam bello, siue iusto, siue iniusto. Neque qui deprædantur infideles, etsi nauis esset assecurata à Christianis. Castrop. *p. 9. tr. 7. res. 73.*

VII. Qui per donationem vel furtum accipit bona naufragantium ab alio priùs arrepta, non incidit in hanc censuram. Sayr. & Sousa. Etsi id affirmet Suarez. Neque etiam probabiliter consulens, mandans, vel adiuuans vt ea bona diripiantur. Castrop. & 2. Item neque si bona quæ diripiuntur sint bona Christianorum piratarum naufragium passorum Sayr. & Sousa. Neque si bona quæ metu naufragij in mare iactantur. Castrop. Neque si naufragium factum sit non in mari, sed in flumine. Sousa. Neque si bona fidelium erant iam antè ab infidelibus capta, licèt iniustè. Contrarium dicendum, si bona illa naufragii fideles antè ceperint ab infidelibus. Sousa. *p. 9. tr. 8. res. 36.*

VIII. Appellantes à Pontifice ad Concilium generale actu existens, non incidunt in hanc censuram; quia hęc tantùm agit de appellantibus ad futurum Concilium. Castrop. & 10. Similiter non incidunt dantes consilium appellandi ad futurum Concilium; quia in hoc neque auxilium est, neque fauor. Suarez & 2. Incidunt tamen hi in aliam excomm. reseruatam. Censuram autem huius bullæ incurrunt appellantes etiam ab ordinationibus Pontificis quatenus Princeps temporalis est. Bonacin. Etsi hoc neget Castrop. & Reginald. *par. 9. tract. 7. resol. 66. & p. 10. tr. 11. resol. 60.*

IX. Auocatio causarum spiritalium ad laica tribunalia est vetita sub censurâ Bullæ Cœnæ, etiamsi auocentur ab aliis Iudicibus Ecclesiast. quàm à Iudicibus Sedis Apost. Filliuc. & 2. *p. 3. tr. 1. res. 55.* Neque Iudices laici auocantes ad se causas Ecclesiast. excusantur ex consuetudine, vel tolerantiâ Summi Pontif. quæ nulla est, reclamante Bullâ

Cœnæ. Neque ex eo quòd Bulla non fit recepta in illâ Prouinciâ;quia Bulla excludit omnem prætextum. Bonacin.Priuilegium autem cognoscendi causas Ecclesiasticas Principibus concessum à Papa, potest reuocari, vt pote odiosum:non tamen sine iustâ causâ, si fuit concessum in remunerationem.Bonacin.*Ibid.ref.*58.56.54*&* 57.

Bulla Cruciata.

I. PRiuilegia bullæ sunt fauorabilia, & per consequens amplianda.Suarez & 6.Etsi id neget Sanch.& 2.*p.*1.*tr.*11.*ref.*98.*&* *p.*8.*tr.*3.*ref.*45.

II. Qui scit parentem vel amicum quotannis Bullam pro se accipere, potest illius priuilegiis antè quàm certior fiat de Bullâ suo nomine acceptâ.Henriquez & 5.Imò ad hoc sufficeret experimentum duorum annorum quibus amicus solitus esset accipere.*p.*1.*tract.*11.*ref.*90.*&p.*11.*tr.*8.*ref.*14.

III. Si amicus sumat Bullam Cruciatæ nomine alterius qui iam habet, potest hic illam non acceptare,& alteri applicare:Villalob & 2. Sed contrarium est probabilius. Si autem Bulla culpabiliter amittatur, vel rumpatur, vel comburatur,valere tamen docent quidam. Henriquez & 7. Sed contrarium habent verba Bullæ.*p.*1.*tr.*11.*ref.*95.*&* *in Addit.*3.*p.ref.*24.*&* *p.*11.*tr.*2.*ref.*47.*&* 46.

IV. Si externus aliquis veniat ad locum vbi viget Bulla,& eâ acceptâ statim inde recedat,non potest toto anno frui priuilegiis Bullæ.Escobar & 3.Contrarium tamen est probabile. Mendo.*p.*11.*tr.*2.*ref.*37. Imò quemlibet subditum Regis Hispaniæ eorum locorum vbi Bulla viget, etsi extra eius regna, vbi Bulla promulgatur, commoretur, posse eius priuilegiis frui, modò per aliquem in Hispaniâ Bullam accipiat, docet Castropal. & 3. Idemque est de Bullâ compositionis v. g. si beneficiarius omisit multo tempore horas canonicas.*p.*12.*tr.*2.*ref.*29.

V. Prælati Regulares tenentur sub mortali non impedire ne subditi Bullam accipiant;possunt tamen licentiam

ſuam limitare quoad talem , vel talem vſum. Acoſta & Villalob. *p.1.*·*r.11.reſ.99.*

VI. Valet Bulla quam meretrix de turpi quæſtu ſumit, quia licet turpiter faciat peccando, non tamen turpiter accipit pretium At ſi ex furto ſumatur, non valet: vult enim Summus Pontif. hanc ellemoſynam fieri de propriis bonis. Acoſta & 2. *Ibid.reſ.*101.

VII. Non debet quis neceſſariò eſſe in ſtatu gratiæ dum bullam accipit . ne quidem in ordine ad eius indulgentias lucrandas , modò tunc ſit in gratiâ quando eas lucratur. Henriquez & 2. *Ibid. reſ.6.*

VIII. Si quis ſecundâ vice ſumat bullam , debet idem pretium ſoluere quod primâ vice. Trullench. Etſi Henriquez quartam ſolùm partem requirat. Viduæ autem Comitum, Principum &c. non tenentur idem pretium 10. argenteorum ſoluere, niſi maneant vſufructuariæ : ſed dum coniugatæ ſunt tenentur idem pretium ſoluere quod maritus. Trullench. *p.5.tr.13.reſ.53.*

IX. Per Bullam Cruciatæ datur facultas eligendi Sacerdotem approbatum ab Ordinario, qui poſſit ſine licentiâ Parochi conferre hæc tria Sacramenta , Pœnitentiam, Euchariſtiam, & Extremam Vnctionem. Vaſquez. *p.1. tr. 11.reſol.10.*

X. Poteſt quis per Bullam abſolui à cenſuris , & caſibus reſeruatis ante & poſt ipſius ſuſceptionem incurſis. Idem dicendum de votis ſeu commutandis , ſeu diſpenſandis; quia verba Bullæ ſunt generalia, neque reſtringenda. Sanchez & 9. *Ibid.reſ.*17.

XI. Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere à caſibus reſeruatis in bullâ Cœnæ, etiam contentis in primo canone ; quia excipitur ſola hæreſis formalis. Quare abſolui poſſunt legentes libros hæreticos non tamen animo hæretico. De libris chiromanticis & magicis non eſt dubium , cùm non ſint hæretici. Sanchez & 7. *Ibid.reſ.29.&* 30. Neque hæc poteſtas reuocatur per Bullam Cœnæ *p.4.tr.4. reſ.*18.

XII. Confessatius per Bullam Cruciatæ potest absoluere à quibuscumque casibus Summo Pontifici reseruatis, non semel, sed toties quoties, dummodò tamen sint occulti, quia tunc non sunt reseruati Summo Pontifici, sed iure ordinario competunt Episcopis, vt decreuit Concil. Trident. Restrictio autem illa quæ est in Bullâ (*semel in vitâ, & semel in articulo mortis*) posita est quoad casus publicos. Sanchez & 3.*p.*1.*tr.*11.*res.*28. *& in Addit.*3.*p. res.*17. *& p.* 11.*tr.*2.*res.*45.

XIII. Regulares non possunt sine licentiâ Prælatorum, virtute Bullæ eligere confessarium qui illos à reseruatis absoluat, nisi confessarius sit ex deputatis ab eorum Prælatis ad eorum confessiones audiendas: Etsi quoslibet Confessarios extra Religionem posse assumi, & à reseruatis absoluere, velit La Cruz & 4. Sed quia decretum Clementis VIII. circa hoc innouatum est ab Vrbano VIII. Ann. 1630, 19. Iunii, saltem dum viuit Vrbanus, contrarium non est probabile, nec tutum in praxi. Lugo & 4. *p.*1.*tr.*11.*res.*14.*& p.*3.*tr.*2.*res.*64.*& in Addit.*3.*p.res.*9.*& p.* 8.*tr.*7.*res.*78 Imò iuxta idem illud decretum non poterũt per Bullam Cruc. confiteri de reseruatis etiam confessario domûs.*p.*4.*tr.*4.*res.*43. Non est tamen improbabile non obstantibus illis decretis posse Regulares omnes tam viros quam mulieres, inuitis superioribus Bullam sumere, & absolui à peccatis, & casibus reseruatis. Gallego & 5.*p.* 11. *tr.*7.*res.*37.

XIV. Posse Regulares virtute Bullæ absolui à non reseruatis, probabiliter docet Quintanad. & 6. Quod æquè probabiliter negat Lugo & 3.*p.*9.*tr.*6.*res.*10.*& p.*11.*tr.*6. *res.*38. Nouitii tamen possunt sumere Bullam, sicut alii sæculares, non enim censentur religiosi quoad onera Suarez & 4.*p.*1.*tr.*11.*res.*15.

XV. Qui virtute Bullę eligit Confessarium, & scienter inualidè confitetur peccata reseruata, ita vt eius confessio sit irrita, potest à quocumque Confessario absolutionem ab illis obtinere; quia censetur reseruatio subla-

1. Comitol.& 10. *Ibid,ref.*18.*& in Addit.p.*3,*ref.* 16.

XVI. Qui peccat ob ſpem abſolutionis virtute Bullæ obtinendæ, gaudet illius priuilegio. Idem dicendum de Iubilæo. Sanchez & 7. Neque illud ſuperaddit circumſtantiam neceſſariò in confeſſione explicandam. Fagund. & 2.*p.*1.*tr.*11.*ref.* 16. *& tr.*7.*ref.*33.

XVII. Nominatim denuntiatus, vel publicus percuſſor clerici, vel alius cuius excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, poteſt virtute Bullæ abſolui: ſed abſolutio valebit tantùm in foro interiori; nam debebit ſe gerere in publico tamquam excommunicatus ad vitandum ſcandalum; poterit tamen priuatim Miſſam audire, Sacramenta recipere, &c. Sanchez & 3. Quod intellige de cenſuris ab homine latis, ſuper quas aſſerit Pontifex non cadere abſolutionem virtute Bullæ in foro exteriori. Vnde infertur, abſolutionem à cenſuris à iure latis, valere etiam in foro exteriori. Et per conſequens, etiam à percuſſione Clerici quantumuis enormi. Garſias & 3, Imò & quoad cenſuras quaſuis ab homine latas eodem modo valere pro foro externo, docet Suarez & 14. Etiam poſt conſtitutionem Vrbani VIII. Leand.& 2. Sed ego non recedo à contraria ſententiâ propter illam conſtitutionem. Poſſet tamen Iudex in foro externo talem abſolutionem admittere. Nauar. & 14. imò teneri admittere tradit Eſcobar & Vrban.*p.*1.*tr.*11.*ref.*26.*& p.*9.*tr.*4.*ref.*57.*& p.*11.*tr.*2.*ref.*62. *& p.*12.*tr.*3.*ref.*7.

XVIII. Numquam poteſt quis virtute bullæ ab vllâ excomm. abſolui ad reincidentiam, ſed priùs debet ſatiſfieri parti; nam ita præſcribit bulla. De iubilæo tamen aliter videtur dicendum, etſi eodem modo requiratur ſatisfactio partis. Moſcoſ.*p.*5.*tr.*9.*ref.*25.

XIX. Si Bulla accipiatur pro defuncto non poteſt ei prodeſſe vt abſoluatur ab excommunicatione, & ſepeliatur in loco ſacro; quia eius conceſſio dirigitur ſolùm ad viuos. Mendo.& Eſcobat. Etſi contrarium affirmet Henriquez *p.*11.*tr.*8.*ref.*13.

XX. Qui habet Bullam Cruciatæ, non tenetur tempore interdicti audire Sacrum, Quia nemo tenetur vti priuilegio sibi concesso. Coninc & 5. Etsi contrarium doceat Sancius & 8. Quo posito, qui tunc sacrum audiunt, tenebuntur sub veniali preces ad Deum fundere pro vnione Principum Christianorum ad infideles debellandos. Villalob. *1.1.tr.11.res.2.*

XXI. Probabilius est per Bullam non esse dispensabilem vllam irregularitatem, etiam prouenientem ex delicto: quia hęc non includitur sub nomine censuræ, à qua licet per Bullam absoluere. Suarez & 21. Contraria tamen sententia Salas & 17. probabilis est, & in praxi secura, eò quòd tales irregularitates ex delicto sint verę pœnæ, & censuræ. Et sic dispensari posset irregularitas ex rebaptisatione, ex violatione censurarum, ex illegitimâ Ordinum susceptione, vel vsu, & quidem tam vt ministretur in susceptis, quam vt ad superiores adscendatur. Corneio & 3. *Ibid.resol.27. & p.4.tract.2. resol. 81. & par.10.tract. 11. resol.22.*

XXII. Commutatio votorum quę fit virtute Bullæ, satis est, si secundùm partem fiat in eleemosynam ad subsidium temporale belli contra infideles. Sanchez. Vota verò pauperum totaliter in subsidium spiritale commutari possunt. Suarez & *3.p.1.tr.11.res.21.*

XXIII. Qui virtute Bullæ vel iubilæi, potest uota commutare, potest etiam iuramentum circa eandem rem soli Deo facta. Suarez & 7. Imò & vota iuramento firmata; quia votum & iuramentum censentur quasi vnum vinculum. Suarez. Item & iuramenta adiuncta contractui in quo est turpitudo, & iniustitia in creditore, vt cùm latro coëgit ad iuratam promissionem; cùm per talia iuramenta nullum ius homini aaquiratur, sed soli Deo. Ledesm. & 3. *Ibid.res.41. & 43. & p.4.tract.4.resol.19. & p.5.tract.12.resol. 56. & 57.*

XXIV. Possunt per Bullam commutari vota post Bullam susceptam emissa. Henriquez & 2. Etsi quis fecisset

votum de non petendâ commutatione. Sanchez & 4. *p.1. tr.11.res.50.& 51.*

XXV. Vt per Bullam possint vota commutari, non requiritur alia causa; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemosynam in subsidium belli contra infideles. Suarez & 3. Potest autem hæc commutatio fieri in minus bonum, alioquin nullum esset priuilegium Bullæ. Lessius & 5. Etsi multi contrarium doceant, Sanchez & 9. Non tamen possunt per illud vota dispensari; quia maior potestas requiritur ad dispensandum, quàm ad commutandum. Fernandez & 3. *Ibid. res. 39.40. & 42.*

XXVI. Peccaret Confessarius, qui sine iustâ causâ nollet virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis: quippe debet vti priuilegio sibi concesso in fauorem pœnitentis, Sanchez & 2. Non ita Religiosi, si nolint virtute priuilegiorum commutare vota, quia non obstringuntur vti priuilegiis. Sanchez. Licèt contrarium etiam probabiliter affirmet Henriquez & Faust. Sed dicendum est nullos ad hoc teneri nisi postquam electionem sui à pœnitente factam acceptarunt, *Ibid.res.44.& p.8.tr.3.res. 28.*

XXVII. Si quis obstrictus voto castitatis ad nuptias transeat, non potest Confessarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt possit petere debitum. Sanchez. Licet hoc affirmet Viuald *p.1.tr.11.res.66.*

XXVIII. Per priuilegium huius Bullæ, licet in ieiuniis alicuius Iubilæi, vel voti, vel impositis in pœnitentiam, vti lacticiniis; quia hæc omnia ieiunia censenda sunt conformari ieiuniis Ecclesiæ, in quibus cum bullâ vtimur lacticiniis. Sanchez & 9. *Ibid.res.3.& tr.9.res.17.* Quando autem per bullam permittuntur oua comedi, possunt etiam comedi quæ inueniuntur adhuc intra gallinam; quia sunt eiusdem speciei cum aliis. *p.5.tr.6.res.80.*

XXIX: Regulares, & Presbyteri sæculares suscipientes Bullam, possunt diebus Dominicis Quadragesimæ vti lacticiniis, & ouis; quia secundùm ius commune, dies Dominici non appellantur dies Quadragesimales. Castropal.

& 7. Etsi contradicat Herinquez & 6. sine Bullâ autem nulli possunt iis diebus vti lacticinis:quamuis Mendo. & Escobar hoc affirment; eò quòd lacticinia solùm prohibeantur in diebus ieiunij.*p.*1.*tr.*11.*res.*5.*& p.*5.*tr.*14.*res.*13. *& p.*11.*tr.*8. *res.* 14.

XXX. Cardinales si sint Episcopi possunt virtute Bullæ vesci ouis,& lacticiniis in Quadragesimâ, non autem si sint presbyteri Regulares; quia indultum illud spectat solos presbyteros sæculares vel Prælatos. Escobar & 4. Contrarium tamen est etiam probabile. Mendo. Regulares tamen Ordinum militarium etsi sint sacerdotes, possunt vi Bullæ illis vesci.Mendo.& Gallego. Quamuis alij id negent.Escobar.& Bardi.*p.*11.*tr.*2.*res.* 58. *&* 53.

XXXI. Quando virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edendi carnes ex licentiâ vtriusque Medici,non intelligitur,quando causa est manifesta,aut dubia:sed quando est solùm sufficiens ad petendam dispensationem, non tamen ad edendas carnes absque illâ. Sancius.*par.* 3. *tract.* 5.*resol.*70.

XXXII. Ad lucrandas indulgentias Bullæ possunt ex vno loco quinque altaria visitari. Bonacin & 9.Vel si non fuerint quinque, idem altare erit quinquies visitandum: licèt alij putent non esse opus loco dimoueri,sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodò qualibet visitatione finitâ, saltem corpus & caput inclinet in signum distinctæ visitationis.Nugnus & La Cruz.*p.*1.*tr.*11. *res.*102.*& in Addit p.*3.*res.*25.*& p.*5.*tr.*12.*res.*16.

XXXIII. Quando non licet Ecclesiam ingredi propter turbam,potest quis consequi Indulgentias Bullæ orando præ foribus. Villalob.& 4. Etsi hoc neget Zanard, *p.*1.*tr.*11.*res.*103.Quod tamen intellige,quando tantùm requireretur visitatio vnius altaris, non autem quando quinque altarium: tunc enim deberet eo modo visitare quinque Ecclesias. Nugnus. Imò sufficit visitare oratorium in suâ domo approbatum ad Missam celebrandam, Villalob.& 7. Etsi contradicat Lezana. Idque sæpiùs eo-

dem die, vt sæpius indulgentias eas lucreris. Villalob. Oratio autem ex vi Bullæ facienda potest esse mentalis tantùm, & breuissima. *Ibid. res.* 104. *& p.tr.*12. *res.*43. *&* 44. *& p.* 9.*tr.*1.*res.*29. *&* 31.

XXXIV. Per Bullam lucrari quis potest omnes indulgentias stationum Vrbis Romæ, etiam plenarias. Villalob. & 4. Etsi hoc alij negent. Granad. & 5. Imò & sæpiùs eodem die, sicut lucrari quis illas potest Romæ. Villalob. & 3.*p.*5 *tr.*12.*res.*2. *&* 45.

XXXV. Per Bullam lucratur quis indulgentiam plenariam semel in vitâ, & semel in morte: in bello autem quoties confitetur. Villalob. & Rodriquez. *par.* 1.*tract.*11. *resol.* 109.

XXXVI. Etsi Rex non expenderet eleemosynam in bellum contra infideles, non ideo minùs obtinerentur indulgentiæ Bullæ. Mendo. *p.*11.*tr.*2.*res.*49.

XXXVII. Moribundo sensibus destituto, qui petiit confessionem, siue absolutio impendi possit, siue non, potest indulgentia Bullæ applicari. Acosta & 2. Imò etsi non petierit, sufficit enim virtualis petitio: nec debet aliquem Sacerdotem in particulari ad hoc designasse. Suarez. *p.* 1. *tr.* 11.*res.*108. *& p.*5.*tr.*3.*res.*133.

XXXVIII. In articulo mortis indulgentia Bullæ est sub conditione impertienda; ita enim fieri iubet Commissarius Bullæ; vel dicat Confessarius: *Concedo tibi omnes gratias quas concedere possum virtute huius Bullæ.* Rodriquez & Fernand. Ceterùm quando clericus haberi non potest, laicus potest concedere indulgentias Bullæ. Nauarr & 6. Item possunt absenti applicari. Trulleuc. & 3. Imò non esse necessarium vt indulgentia ab aliquo applicetur, docet ex verbis Bullę Quintanad. *p.*1.*tr.*11. *res.*106. *& p.*5.*tr.*3. *res.* 134. *& tr.*12.*res.*46. *& p.*10.*tr.*16.*res.*10.

XXXIX. Per Bullam Cruciatæ suspenduntur altaria priuilegiata Conuentibus quibusdam concessa ad liberationem animę è purgatorio. Villalob. & 2. Contrarium tamen est probabile. Lezan. & 5. Posito autem quod suspen-

dantur, sacerdos sæcularis in altari illo celebrans debet habere Bullam vt liberet animam, non autem is qui celebrari facit. Mendo & 2. p. 1. tr. 11. res. 86. & *in Addit.* 3. *resol.* 22. & p. 9. tr. 2. res. 22 & p. 11. tr. 8. res. 20. Non suspenduntur etiam priuilegia concessa iure communi; & consuetudine approbatâ. Neque Indulgentię Regularium, seu mendicantium, seu non mendicantium, Villalob. & 2. p. 1. tr. 11. res. 87. 88. & 89.

XL. Non tenentur omnes in magna ciuitate sumere bullam eo die quo publicatur, sufficit si intra hebdomadam, & tamdiu durat prior, Henriquez & Villalob. Imò si elapso anno nõ promulgetur noua Bulla, poterit quis frui priuilegio primę, quoad noua promulgetur. Henriquez & 2. Et si ante elapsum annum promulgetur, poterit vti priuilegio primæ, donec annus absoluatur. Sancius, & 2. *Ibid* res. 92. 91. & 93.

XLI. Potest quis frui gratiis & indultis Bullæ etiam extra loca in quibus ea solet promulgari v.g. Romæ, excepto tamen esu carnium & lacticiniorum. Suarez & 9. *Ibid.* res. 1. & p. 12. tr. 2. res. 29. Imò quoad hæc etiam probabile est, si breuis est absentia, (hoc est intra semestre inquit, Piccinus: Quod tamen alij nimis laxum putant) quia statim reuersurus secundùm ius abesse non dicitur. Quidam etiam putant illa verba restrictiua *non extra illa regna*, intelligi posse quasi tantùm sint consilij ad vitandum scandalum p. 5. tr. 14. res. 20. & p. 4. tr. 4. res. 190.

XLII. Per clausulam Bullæ Cœnę, vel per Iubilęum anni sancti, Bulla Cruciatæ non suspenditur; quia priuilegia huius Bullæ conceduntur per modum contractûs; quæ autem sic conceduntur, non censentur à Pontifice reuocari, Salas & 9. p. 1. tr. 11. re. 96. & 97. Posset tamen Pontifex reuocare Bullam etiam intra annum currentem, sed tunc deberet compensationem facere iis qui eam accepissent cùm sit contractus onerosus. Mendo, *pa.* 11. *tract.* 2. *resol.* 49.

XLIII. Commissarius Cruciatæ potest dispensare su-

per qualibet irregularitate, præterquàm ratione homicidij voluntarij, aut simoniæ, vel apostasiæ à fide, vel hæresis, vel propter malam Ordinum susceptionem. Auila & 3. Etsi probabiliter nulla incurratur irregularitas siue propter simoniam in Ordine, vel beneficio (Suarez & 4.) siue per hæresim occultam (Henriquez & 4.) siue per susceptionem Ordinum ab excommunicato vel suspenso. Suarez & 2. Item potest dispensare super irregularitate publicè contractâ ex delicto: quo casu non potest Episcopus. Henriquez & 2. Item super irregularitate proueniente ex homicidio casuali; Coninc & 3. Et ex iniustâ mutilatione membrorum; quia Bulla excipit tantùm homicidium voluntarium. Rodriquez & Villabos *p. 1. r. 11. res.* 110. 111. 112. 113. 114. *&* 115.

XLIV. Potest Commissarius dispensare pro foro conscientiæ, in affinitate consurgenti ex copulâ fornicariâ, in primo & secundo gradu vtriusque lineæ, & prolem susceptam, & suscipiendam legitimam decernere, concurrentibus hisce conditionibus. I. vt matrimonium cum illo impedimento sit iam contractum, nec omissæ fuerint culpabiliter denuntiationes, seruataque sit forma. Trident. *sess. 24. c.* 1. II. vt impedimentum sit occultum, id est, non publicum etsi quibusdam notum sit, & probari posset. Suarez & 12. III. vt adfuerit bona fides saltem ex parte alterius contrahentis ignorantis illud impedimentum. IV. vt coniux qui id ignorauit, certior fiat de prioris consensûs nullitate, non tamen necessariò de impedimento nisi in genere. Sanchez & 2. *Ibid. res.* 116. 117. 118. *&* 119.

C.

CÆCVS.

I. **R**Egularis cæcus si eligatur ad Capitulum generale, valida erit electio in foro exteriori: sed pro foro conscientiæ difficile apparet, quomodo cæcus censeri

possit dignior aliis, cùm tamen sit obligatio eligendi digniorem. Isnard. *p.10.tr.16.ref.49.*

II. Qui planè cæci sunt, vel surdi, vel muti, possunt tanquam personæ miserabiles declinare forum ciuile, & agere in Ecclesiastico. Nauar. & 5. Item sunt immunes à muneribus publicis ciuilibus, neque potest cæcus torqueri, aut puniri pænâ ordinariâ Gizzarell. Surdus autem & mutus non potest ex suâ confessione condemnari, sed ex depositione testium, si ipsum plenè de delicto conuincant. Baldus. Quod si sciret scribere, posset etiam per torturam cogi ad respondendum scripto, si indicia sint sufficientia. *p.5.tr.6.ref.30.33.37.& 31.*

III. Cæcus potest esse fideiussor, non autem muti, & surdi, nisi sponte id faciãt, & non à Notario, vel alio fraudulenter inducti, idque præstent scripto. Item potest cæcus esse Iudex, & officium retinere, secundùm ius ciuile. Etsi Glossa id limitet, nisi vtroque oculo cæcus esset. Idem potest surdus & mutus; quos tamen non posse esse arbitros docet Molin. *Ibid.ref.29.& 36.*

IV. Cæcus causâ mortis donare non potest sine solemnitate *l.hac consultissima.§.qui testam facere poss.* Bocer. & 5. Quamuis alij id affirment. Bald. & 4. Saltem si præsens sit donatarius, vel alius qui pro ipso stipuletur. Seraphin. *p.8. tr.6.ref.75.& p.5.tr.6.ref.25.*

Cambium.

I. CVm pro campsario respondet procurator campsoris de ipsius campsoris pecuniis, videtur cambium probabiliter esse licitum, modò campsor non habeat peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis. Neque tantùm est licitum inter mercatores, sed etiam continuare licet inter personas priuatas. Lessius & 16. Etsi contrarium in his sit probabilius. Molin. & 12. *p.1.tr.8.ref.1.2.3. & 4.& p.9.tr.8.ref67.*

II. Recambium est licitum, non tantùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sed etiam ratione cen-

ptionis & venditionis.Scortia *p.8.tr.8.ref.5.*

III. Ex inueteratâ consuetudine, pro prouisione cambij debetur tertia pars scuti pro singulis centenis; idemque sumi potest pro prouisionibus recambiorum, & continuationum toties quoties. Lessius & 2. Ego verò sum auctor campsoribus, vt in continuationibus non sumant à campsariis integrum interesse cambij. *Ibidem resol. 6. 7. & 8.*

IV. Potest campsor toties quoties, recipere duas prouisiones, vnam in loco vbi fit cambium, alteram in nundinis, per suum procuratorem, seu agentem, ob laborem eius. Scaccia. *Ibib.ref.9.*

V. Campsor iure percipit maius lucrum pro magno cambio, quàm pro paruo, ratione periculi. Scortia. *Ibid. resol.* 10.

VI. Possunt campsores id quod sibi debetur pro prouisionibus & interesse, addere ad sortem; ratione lucri cessantis. Less.& 2.*Ibid.ref.*11.

VII. Consuetudo campsorum de non acceptandâ solutione sortis, nisi simul soluantur detrimenta cambiorum; est licita. Malder. & 3.*Ibid.ref.*12.

VIII. Campsores dantes ad cambium modo supradicto, non sunt in foro externo tanquam vsurarij puniendi. Saluatorius.*Ibid.ref.*13.

IX. Campsor qui bonâ fide dedit pecuniam Petro ad cambium, soluendam Messanæ, & posteà comperit ipsum non habere ibi pecuniam, potest ab eo tantum exigere, quantum lucri percepisset, si Petrus Messanæ soluisset. Molina & Lessius. *Ibid.ref.*14.

X. Si campsor à principio paciscatur cum campsario certum ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis, modò moraliter constet illud esse iustum, non peccat mortaliter. Lessius & 2.*Ibid.ref.*15.

Canonicus.

I. CAnonicus diſpenſatus in ætate lucratur diſtributiones, etſi non habeat vocem in Capitulo ante ſubdiaconatum. Bonacin.& Moneta. *p.10.tr.16.reſ.54.*

II. Canonicus qui recitat quidem officium, ſed non canit in choro, etſi ex iure antiquo,& primâ inſtitutione, videatur peccati mortalis reus;tamen ratione conſuetudinis excuſatur. Leſſius & 8. Et poteſt percipere diſtributiones quotidianas, ſaltem mediam partem, Filliuc. & 2. Imò totas & integras. Caietan. & *5.p.2.tr.12. reſ.6.& 33. & p. 10. tr. 13. reſ. 10.*

III. Canonici notabiliter confabulantes in choro, peccant mortaliter, & tenentur ad diſtributionum reſtitutionem. Suarez & *9.* Licet de reſtitutione quidam negent Garſias & *4.p.2.tr.12.reſ.7.*Quod iam iudico abſolutè probabile ex auctoritate Sanchez & 4.dantur enim eæ diſtributiones, vt chorum ſuâ præſentiâ cohoneſtent Quare,etſi nec ibi, nec priuatim recitarent horas, non tenerentur ad earum reſtitutionem; quia hæ non includuntur ſub nomine fructuum.Sanchez & *2.p.4.tr.4.reſ.149.& p.10.tr.13.reſ.10.* Sed nunc contrarium iudico ob Bullam Pij V.qua talibus & fructuum & diſtributionum reſtitutio præcipitur.*p.10.tr.16.reſ.48.*

IV, Canonicus cæcus, vel ſurdus, poteſt abeſſe à choro, & tamen lucrari diſtributiones. Baiboſ.& 2. Etſi hoc neget Sanchez.*p.5.tr.6.reſ.14.*

V. Canonius etſi ex conceſſione Tridentini poſſit tribus menſibus per annum abeſſe à choro, & percipere fructus beneficij, non poteſt tamen tunc percipere diſtributiones. Bonacin. & 6. Quamuis etiam has illi concedat Sanchez & 4. etiam cùm illud tempus malè impendit luſui & vitiis. Imò quamuis toto anno non ſoleat choro aſſiſtere, poſſe tamen recipere diſtributiones reſpondentes illis tribus menſibus,docet Sanchez.*p.10.tr.11.reſ.58.*

VI. Ca-

VI. Canonicus agens negotia Ecclesiæ etsi posset ea expedire extra tempus diuini Officij, absens tamen licitè percipit distributiones. Bonacin. Item qui habet iustam causam vt absit v.g. vt recipiat hospitem, etsi id faciat extra tempus Diuini Officii, probabiliter poterit distributiones accipere absens; quia nihil detraxit cultui Diuino cum potuerit tempore Officii id facere. Escobar. Item infirmitas est iusta causa, etsi propriâ culpâ causata esset Sanchez & 2. Imò etsi quis ideo eam causasset vt abesset à choro. Bonacin. & S. Fausto. Sed contrarium est probabilius. Quando etiam infirmitas illa obueniret eo tempore quo aberat sine iustâ causâ non excusaret. Sanchez & 2. *p.10.tr.16.res.54.*

VII. Probabile est, Canonicum qui abest à choro sine causâ, animo amittendi distributiones, non peccare mortaliter. (Etsi contrarium sit probabilius. Suarez & 6.) modò absit contemptus, & non sit causa, cur officium diuinum in Ecclesiâ non dicatur, aut non cum debitâ solemnitate. Reginald. & 8. Non omittitur autem chorus, si quatuor sunt præsentes: nam quatuor Canonici constituunt chorum. Macigni Imò nec venialiter tunc peccare putat Medin. Quod tamen Sanchez non admittit nisi iusta causa excuset. Positâ tamen obligatione contrariâ, etsi quis tribus, vel quatuor diebus vltra tempus à Concilio permissum abesset à choro, peccaret solùm venialiter, ex paruitate materiæ. Castropal. & 2. Quidquid Suarez solùm excuset à mortali absentiam vnius diei. *p. 2.tr.12.res. 31.& p.4.tr.4.res.217.& p.5.tr.5.res.26.*

VIII. Coadiutor Canonici præbendę presbiteralis, sedere debet in choro ante Canonicos præbendæ diaconalis, & Coadiutor diaconalis ante omnes subdiaconalis: quia Coadiutores inseruiunt in eodem ordine, in quo coadiuti. Gauant; & Leone *p.4.tr.4.res.88.*

Capellanus.

I. QVando fundator Capellaniæ Sacerdotalis, illam constituens, vsus est verbis affirmatiuis, v.g. *instituatur Capellanus Sacerdos qui Missas celebret*, poterit illa conferri etiam illi, qui non est actu Sacerdos, modò sit aptitudine, ita vt intra annum fieri possit, sicut fit in beneficiis parochialibus. Gonzalez & 3. Quod si tantùm dicat; *Instituatur Capellanus qui Missas celebret*, poterit illa conferri etiam Clerico 14. annorum, quia illa verba non exigunt vt celebret per se, sed poterit celebrare per alium. Castrop. & 3. Quamuis autem Capellania aliqua actu, vel habitu sit sacerdotalis, posset Episcopus, ex consensu hæredis, pro vnâ atque alterâ vice dispensare, vt conferatur Clerico 14. annorum. Nauar. & 2. Licèt contrà sentiat Castrop. & 5. eò quòd Trident. prohibeat Episcopis, etiam cum consensu patroni tollere qualitates in beneficii fundatione appositas. *p.4.tr.4.ref.227.*

II. Si Capellanus ægrotauerit per aliquot dies putà 10. aut 15. non obligatur ad Missas per alium celebrandas. Barbos. & 5. Etsi Nauarra & Naldus etiam per spatium vnius, vel duorum mensium excusent; duos enim menses breue spatium docet Lugo & 4. *p.2.tr.14.ref.27. & p.5.tr.13.ref.51.* Nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo obstet. *p.4.tr.4.ref.238.*

III. Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam vt ipsemet celebret, licèt in fundatione Capellæ dicatur Capellanum debere celebrare, nisi expressè caueatur à testatore, vt Capellanus per se ipsum hoc agat. Barbos. & 14. Hîc notandum: Capellam ex se non esse sacerdotalem, proindeque simplici clerico annor. 14. posse conferri. *Ibid. ref.87. & p.2.tr.14.ref.18. & p.9.tr.2.ref.14.*

Capitulum sede vacante.

I. Capitulum sede vacante succedit in omnibus quæ ad ordinariam iurisdictionem Episcopi spectant tam in spiritalibus, quàm in temporalibus ex Trid. *sess.* 24.c.16. Vnde si Episcopus habet iurisdictionem temporalem, potest eam exercere Capitulum etiam in sæculares Rodriquez & 3. Item succedit non tantum in contentiosâ, sed etiam in voluntaria. Suar. & 12. Vel competenti solùm Episcopo ex consuetudine. Molin & 2. Imò vt quidam volunt etiam in iurisdictione delegatâ. Machad. & 2. Et hæc vera sunt siue Sedes vacet per mortem Episcopi, siue per depositionem, vel captiuitatem &c. Vel si Episcopo existente in remotis moriatur interim eius Vicarius; nam longa absentia morti æquiparatur. Quarant. & 3.p.8.*tr.*4.*res*.1.16.3.18.2.& 4.

II. Cùm Episcopus transfertur de vno Episcopatu ad alium, vacat primus statim à translatione per Papam approbatâ, & consensu translati, ante possessionem secundi, & per conseq. tunc etiam incipit potestas Capituli vt Sedis vacantis. Solorzan. Etsi alii contrarium doceant. Azor. & 10. *Ibid.res*.33.

III. Primis octo diebus antequam Capitulum elegerit Vicarium, non potest Archidiaconus administrare iurisdictionem (etsi hoc velit Vulpe. & 2.) sed ipsum totum Capitulum (Quarant.) quia vicaria iurisdictio solùm competit Archidiacono Sede repletâ, non autem vacante. *Ibidem res*.36.

IV. Non potest Capitulum dimissorias intra annum concedere, ne ad primam quidem tonsuram, etsi propriè non sit ordo. Zypæus. Qui tamen sic esset ordinatus, validè beneficium reciperet, quia non amittit priuilegium clericale ipso iure. Nauar. & Rodriquez. Potest tamen intra annum dimissorias concedere iis qui ad beneficium aliquod vocantur, vel ius habent, si requirat Ordinem

quem ipsi nondum habent. Machad.& 2. Potest etiam intra annum dare litteras testimoniales de vitâ & moribus, vbi quis impetrasset à Pontifice vt possit ordinari ab alieno Episcopo. Molin. & 2. Vicarius autem Papæ potest intra annum etiam statim post Sedem vacantem dimissorias concedere. Henriquez & 2. *Ibid. resol.* 43.44.41. *&* 42.

V. Potest tamen Capitulum dare licentiam cuiuis Episcopi intra annum vt conferat Ordines Regularibus. Themud, & Portel. Et per alium Episcopum Pontificalia exercentem ordinare suos diœcesanos. Nauar. Et Confessarios approbare. La Cruz. Item potest reuocare licentiam Ordines conferendi, vel Pontificalia exercendi alteri Episcopo concessam à defuncto, sicut ipse defunctus id potuisset. Themud.& Portel, *Ibid. res.* 73.41.46. *&* 72.

VI. Quouis tempore potest dispensare in interstitiis, etiam cum non potest dimissorias concedere. (Suarez & 6.)& dispensare cum illegitimis quoad minores Ordines, & beneficium simplex. Vega & Solorzan. Vicarius tamen Capituli hoc non potest sine speciali mandato. Rodriq.& 3. Potest etiam dispensare in casibus Pontificiis, quando non est facilis recursus ad Papam. Meroll. Item in petitione debiti pro incestuosis, & dare facultatem absoluendi à reseruatis. Molin. Dare licentiam assistendi matrimonio. Pontius & 2. Et ingrediendi monasteria Monialium. Pellizzar. Potest dispensare in votis. Sanchez & 8. Absoluere à iuramento. Rodriquez & 3. Et compellere executores testamentorum ad executionem, & ad rationes reddendas. Barbos.& 5. Et disponere de vltimis voluntatibus sicut potest Episcopus. Azor. & 3. Imò & eas commutare, quando Episcopus iure ordinario id potuisset. Molin.& 2. *Ibid. res.* 5.6.9.47.49.45.23.24. *&* 34. *& tr.* 5. *res.* 61.

VII. Potest concedere indulgentias: quia hoc est iurisdictionis. Molin. & 3. Tutius tamen putat Azor vt Capitulum nomine suo curet eas concedi per alium Episcopum. Item potest ferre censuras: imò & eius Vicarius. Hurtad. Et ferre interdictum tam locale, quàm personale.

Auila. Et concedere monitoria, seu præcipere sub pœnâ excommunicationis reuelationem alicuius delicti v. g. bonorum amissorum. Rodriquez & Meroll. Et absoluere à quauis excommunicatione, à qua potest Episcopus, etiam ex percussione Clerici. Molin. & 3. Et ab Episcopo condemnatis, vel depositis pœnas remittere; quia succedit etiam in iurisdictionem voluntariam. Riccius & 2. *p.* 8. *tr.*4. *ref.* 35. 11. 17. 12. *&* 19.

VIII. Potest cognoscere causas in primâ instantiâ, ita vt non possit alius iudex Curiæ Rom. de iis in primâ instantiâ cognoscere, aut partes euocare; quia hoc Episcopis competit. Sanchez & 6. Item cognoscere de causis matrimonialibus. Molin. & 4. Et statuta perpetua facere. Et ab Episcopo statuta reuocare. Non potest tamen iudicare de causis pertinentibus ad ipsum Episcopum, ne generetur præiudicium Episcopo futuro. v. g. an aliquis sit subiectus Episcopo, an exemptus: vel an locus aliquis sit de diœcesi, vel non: vel an aliquod beneficium sit, de iure patronatus, necne. *Ibid. ref.* 21. 22. *&* 10.

IX. Potest visitare diœcesim. Molin. & 4. Non tamen monasteria monialium exempta. Barbos. & 9. Quamuis hoc etiam concedat Molin. & 3. In casu tamen vrgentis necessitatis id potest ex potestate ordinariâ: sicut & concedere iis licentiam exeundi in casibus permissis ex Bullâ Pij V. Sanchez. Non tamen potest ex aliis causis, propter declarationes S. Congreg. etsi id velit Bauny. *Ibid ref.* 13. 14. *&* 39.

X. Tenetur soluere debita Episcopi defuncti ex fructibus Episcopatûs, & residuum futuro Episcopo reseruare. Et tenetur ex iis dare eleemosynas ad quas Episcopi tenentur. Themud. Item non potest alienare bona Ecclesiæ seu Episcopatûs. Bauny. Potest tamen licentiam dare Clerico transeundi ad aliam diœcesim, vel ad dignitatem Ecclesiasticam, vel aliam ob causam; quia hæc non censetur alienatio rerum Episcopatûs. Molin. & 5. *Ibid. ref.* 74. 38. *&* 20.

XI. Etsi possit instituere in beneficiis quibusuis ad præsentationem Patroni : non potest tamen conferre beneficia vacantia , nisi quorum collatio spectabat ad Episcopum, simul & Capitulum. Molin. & 2. Idemque est de ceteris omnibus quæ coniunctim ad Episcopum & Capitulum spectant Potest tamen commendare beneficia ad tempus, donec idoneus beneficiarius detur. Azor & 5. Sed hoc de simplicibus tantùm intellige, non de curatis. Nauar. & Garsia. Potest etiam Oeconomum statuere qui ea administret, donec fuerit à superiore prouisum. Rebuff. & 4. . 8. *tr.* 4. *res.* 25. 30 & 32.

XII. Potest confirmare vel instituere præsentatos à Patronis. Molin. & 4. Non potest tamen conferre quæ sunt debita certo solùm generi personarum v. g. consanguineis Fundatoris, sed tantùm quæ debita sunt determinatę personæ , & in quibus conferendis nulla exercetur liberalitas. Meroll. Quamuis etiam priùs velit Garzias. *Ibid. res.* 25. & 26.

XIII. Posse conferre quæ iure deuolutionis ob negligentiam inferioris collatoris aliàs spectarent ad Episcopum, docet non improbabiliter. Molin. & 6. Sed contrarium est probabilius. Azor. & 10. Potest tamen resignationes beneficiorum admittere. Garsia & 9. Etsi id neget Barbos. & 4. Si tamen fiant ex causâ permutationis, probabiliùs non potest; cùm non possit illa conferre permutantibus. Meroll. Licet hoc etiam concedat Azor. & 7. Item potest Clericos ob delicta priuare beneficiis quorum collatio ad Episcopum spectat. Bauny. *Ibid. res.* 27. 28. 29. & 40.

XIV. Potest facere vniones beneficiorum quas potest Episcopus. San hex & 8. Non potest tamen supprimere canonicatum, vbi Episcopus hoc potest. Riccius & 4. Nec potest eligere Pœnitentiarium , si fortè vacet Pœnitentiaria, etsi collatio præbendarum esset coniunctim Episcopi & Capituli , vel etiam solius Capituli. Garsias & Barbos. *Ibid. resol.* 31. 50. & 52.

XV. Poteſt dare licentiam volenti ædificare Eccleſiam, vt acquirat in eâ ius patronatus. Barboſ. & 5. Poteſt etiam creare Clericos ſaluaticos (hoc eſt qui ſine Ordine clericali perpetuo ſeruitio alicuius Eccleſiæ addicuntur) illoſque ſeruitio Eccleſiæ aſſignare. *Ibid. reſ.* 54. & 51.

Cardinalis.

I. Cardinalatus non eſt niſi de iure humano, vnde per Pontificem extingui poſſet. Sanchez & 4. Etſi multi contrarium doceant. Turrecrem. & 11. Quamuis autem Cardinales communiter ex omni natione ſint eligendi, iuxta conſtitut. Sixti V. conuenientiùs tamen ex terris Eccleſiæ aſſumi, docet Garſias. Eorum numerus ex eâdem conſtitut. Sixti V. eſt 70. ita ſcilicet vt is non excedatur, non autem quaſi ſemper impleri debeat. Baleor. Naque tenentur in ſuâ aſſumptione præſtare iuramentum fidelitatis Pontifici; quia cenſentur vnum quid cum ipſo. *p.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 2. 18. 22. & 95.

II. Presbyteri Cardinales debent habere ætatem Epiſcopalem 30. annorum: Diaconis tamen ſufficiunt anni 22. ex ſanctione Sixti V. etſi Pontifex etiam minores poſſit aſſumere. Henriquez & 3. Quòd ſi eſſet coniugatus, ſufficit quòd vxor caſtitatem voueat, ſiue vetula ſit, ſiue iuuenis. Sanchez & Pontius. *Ibid. reſ.* 19. & 39.

III. Cardinalis, quamuis inferior ſit Epiſcopo poteſtate Ordinis, eſt tamen ſuperior adminiſtratione, & dignitate. Vaſquez & 18. Vnde habet ius præſentiæ, & ſententiæ in Conciliis. Suarez & 4. Imò ad gerenda negotia conſilium eorum adhibere debet Pontifex, ſaltem ex honeſtate. Malder. Quando autem Pontifex vult indignum promouere ad Epiſcopatum, non tenentur id impedire, ſed tantùm ſincerè reſpondere ad interrogata. Et vniuerſim quando in Conſiſtorio aliquid non benè determinatur, ſi certò & euidenter eſt contra bonum Eccleſiæ, non poſſunt tacere veritatem, etſi ſibi odium parerent: ſi autem dubium eſt, poſſunt ſe maiori parti accommodare.

Azor. *Ibidem resol.* 1. 3. 4. 21. & 49.

IV. Non expedire docet Gerund. vt Cardinales ordinentur Episcopi, nisi fortè in primariis vrbibus. Sed contrarium habet praxis *p.12. tr.* 1. *res.* 67. Priuilegia tamen Episcopis concessa propter dignitatem status extenduntur ad Cardinales. Layman & 5. Vnde & celebrare possunt, & facere sibi celebrari vnâ saltem horâ post meridiem, & duabus horis & mediâ ante auroram, ex Suarez & aliis. Imò & probabiliter eorum Capellani, ipsis absentibus, id possunt in sacellis eorum domesticis: Etsi contrarium videatur verius. Item possunt in iisdem sacellis eorum plures eodem die Missæ celebrari; sunt enim instar publicæ Ecclesiæ. Vnde & satisfaciunt præcepto audiendi Missam qui ibi intersunt, etsi non sint domestici. *p.5. tr.* 2. *res.* 48. & 77. & *p.* 6. *tr.* 8. *res.* 40.

V. In suis titulis habent iurisdictionem Episcopalem etiam ad criminalia. Layman & 3. Vnde & leges ferre possunt. Suarez & 6. Et priuatum carcerem habere quoad familiares suos. A sententiâ tamen vnius Cardinalis appellari potest, quidquid aliqui contradicant; sed non à sententiâ Collegij Cardinalium. Azor & 9. Item possunt ibi cõferre tonsuram, & minores Ordines. Vasquez & 20. (quãuis hoc abrogatum esse per Trident. putet Sanchez) & assistere matrimonio, & licentiam ad hoc dare. Sanchez & 4. Et dispensare in votis, & absoluere in casibus Episcopo concessis à Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Et derogare fideicommissis ad illas Ecclesias pertinentibus. Et commutare vltimas voluntates, sicut possunt Episcopi. Imò & concedere indulgentias centum dierum. Sotus & 6. Possunt etiam sibi, & familiæ suæ eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo. Suarez & 17. *p.* 5. *tr.* 2. *res.* 7. 12. 71. 25. 36. 5. 35. 58. 59. 61. 57. 6. & 10. & *p.* 8. *tr.* 1. *res.* 85. Imò & familiari suo dare licentiam eligendi determinatũ aliquem non approbatum à quo absoluatur. Lugo & 7. *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 13. Sed in vtroque illo casu approbationem requirit Mendo. & 3. Ego verò eius definitionem ad Sacr. Congrega-

tionem remitto. *p. 12. tr. 1. resol.* 105.

VI. Cardinales quando sunt in Vrbe, habent potestatem conferendi beneficia in suis titulis. Barbos. & 4. Item recipiendi resignationes beneficiorum in illis existentiū. Paris. Eorum verò familiarium beneficia per obitum vacantia non conferuntur etiam à Papa, sine consensu Cardinalis patroni. Barbos. & 3. *p.* 5. *tr. 2. res.* 13. 14. & 41.

VII. Cardinales possunt conferre beneficia Episcopatuum resignatorum, quamdiu resignatarius nondum adiuit possessionem: aut antè quàm ipsi possessionem habeant Episcopatum ad quos assumpti sunt; sicut & ante eam vel ante ostensionem litterarum possunt exercere iurisdictionem: etsi Episcopi ea non possint. Barbos. & 3. Item possunt in Curiâ conferre sine concursu parochialem Ecclesiam quæ vacauit in eorum diœcesi, modò is cui confertur, sit examinatus per deputatos à Papa. Germon. & Massobr. Neque comprehenduntur ipsi in regulâ 8. Cancellariæ de reseruatione mensium. Castrop. & Garsias. Et quoties patroni sunt discordes, possunt ipsi in suis titulis prouidere Ecclesiis iurispatronatûs, sicut id possunt Episcopi. Grilenz. *Ibid. res.* 44. 45. 47. 42. 28. & 94.

VIII. Beneficia simultaneæ collationis Episcopi cum Capitulo, si vacent in mense Apostolico, debent à Cardinali simul & Capitulo prouideri: cetera verò reseruata quæ de se sunt simultaneæ collationis, quando Cardinali per indultum conceditur iis prouidere, confert ipse solus sine Capitulo, quia ipsi soli priuilegium conceditur Garsias. Beneficia autem reseruata quæ vacarunt tempore antecessoris non Cardinalis, tunc potest prouidere, si indultum eius extenditur etiam ad beneficia vacantia. Garsias & 3. Quod si viuente ipso tale vacet, posse id conferre successorem eius non Cardinalem, docet Castrop. Negat Gonzal. & Massobr. vtrimque probabiliter. *Idem res.* 26. & 27.

IX. Etsi sint in patrimonialibus diuites, possunt tamen viuere de reditibus Ecclesiasticis. Manfred. & Barbat. Pos-

ſunt etiam ab Eccleſiis titularibus exigere caritatiuum ſubſidium, ſicut Epiſcopi. Megal. & 2. Quamuis autem quorumdam tituli nunc ſint monaſteria Regularium, non videntur tamen ſuam in ea poteſtatem amiſiſſe, cum eæ Eccleſiæ in conſtitutione titulorum videantur fuiſſe ſæculares. Moneta. *Ibid. reſ.* 38. 55. *&* 60.

X. Cardinales in materiâ fauorabili veniunt nomine Clericorum non in odiosâ. Barboſ. & 7. Nec tenentur ſoluere decimas pro generali ſubſidio à Papa imperato. Legibus autem Pontificiis generaliter ferentibus cenſuras, vel pœnas, vti & regulis Cancellariæ an comprehendantur, alij negant, (Rebuff. & 13.) alii communiùs affirmant. Saltem in ſententiâ ſuſpenſionis, vel interdicti non includuntur. Henriquez & 8. Non poſſunt tamen ingredi monaſteria monialium, propter Bullam Gregorij XIII. *Ibid. reſ.* 69. 68. 16. 17. 46. *&* 20.

XI. Cardinales eo ipſo ſoluuntur à patriâ poteſtate. Molin. & 8. Ipſis egentibus tenetur Papa ſubuenire. Azor & 6. Eorum lites deciduntur per ſolum Papam priuatiuè quoad omnes alios, appellatione remotâ, ex Bullâ Pauli IV. Imò propter intimam coniunctionem cum Papâ non poſſunt permittere ſibi venam aperiri ſine licentiâ Papæ. vbi commodè haberi poteſt. Garzias & 5. *Ibidem reſol.* 32. 23. *&* 33.

XII. Cardinales non poſſunt recuſari iudices, vt ſuſpecti; niſi eſſent iudices alterius Cardinalis. Decian. & 6. Alij tamen contrà ſentiunt vbi iuſta eſt cauſa, ſed hæc debet eſſe maior quàm in aliis. Alban. & 5. Cum verò cauſa ipſis demandatur cum clauſulâ *appellatione remotâ*, tollitur omnis appellatio etiam iuſta, licèt illa clauſula aliàs non intelligatur niſi de appellatione friuolâ & fruſtratoriâ, non autem de verâ & iuſtâ. Barboſ. & 8. Quod ſi cauſa ab ipſis non decidatur, non committitur poſteà alteri inferiori. Manfred. & Iacobat. *Ibid. reſ.* 30. *&* 37.

XIII. Si Cardinalis obuium habeat condamnatum ad mortē, poteſt eum à morte liberare. Bald. (niſi fortè crimē

eius esset de atrocissimis vt est crimen falsi, læsæ maiestatis Diuinæ vel humanæ, proditionis patriæ &c. Barbos.& 8.) Salrem si casu reum obuium habeat:asserenti autem casu esse factum creditur sine iuramento (Barbo.& Germõ.) sicut & in quauis ali. re, etiam cùm affirmat aliquid à Papa viuæ vocis oraculo factum in præiudicium tertii:Decius & 2.Etsi multi hoc negent Barbos.& 3.& quoties deponit in facto proprio,facit plusquam semiplenam probationem;ad effectum verò iustificationis sui familiaris plenè probat,Ita sacra Rota.*Ibid. ref.29.31.& 93.*

XIV. Cardinales habent priuilegium testandi iure militari I.vt sufficiant duo testes. II, vt possint decedere pro parte testati,& pro parte intestati.III. vt possint instituere hæredem personam incapacem. Alban. & 5. Facultas autem testandi ipsis concessa non restringitur ad vnicum testamentum,sed semper durat.Azor. Neque expirat morte Pontificis qui eam concessit.Molin. & 6.Vtrùm tamen ex licentiâ Papæ testari possint de bonis perceptis intuitu Cardinalatûs,attendenda est consuetudo Curię Romanæ, *Ibid.ref.51.52.53.54.& 50.*

XV. Cum partium iura sunt ambigua, iudicandum est in fauorem Cardinalis. Cucchus & 2. Et possunt eorum familiares pro ipsis esse testes, etsi regulariter in aliis id vetitum sit. Alban. Imò & de familiaribus Cardinalium illud priuilegium asserit Felin.Porrò damnari non possunt Cardinales Episcopi nisi conuincantur per 72.testes:vel per 64. si solùm sunt presbyteri : vel per 27. si diaconi,ex *c. præsul.2.q.4.* Hoc tamen non est in praxi,quando Papa contra eos procedit.*Ibid.ref.78.56.& 24.*

XVI. Possunt sine consensu Pontificis congregare Concilium, quando id necessarium esset ad subueniendum extremæ necessitati Ecclesiæ : quamuis illud tunc erit imperfectum, & carebit prærogatiuâ Conciliorum ex defectu consensûs Papæ. Perez.Similiter mortuo Papa, etsi non habeant potestatem Pontificiam, possunt tamen, vbi immineret periculum amissionis alicuius loci

sunt etiam ab Ecclesiis titularibus exigere caritatiuum subsidium, sicut Episcopi. Megal. & 2. Quamuis autem quorumdam tituli nunc sint monasteria Regularium, non videntur tamen suam in ea potestatem amisisse, cum eæ Ecclesiæ in constitutione titulorum videantur fuisse sæculares. Moneta. *Ibid. ref.* 38. 55. *&* 60.

X. Cardinales in materiâ fauorabili veniunt nomine Clericorum non in odiosâ. Barbos. & 7. Nec tenentur soluere decimas pro generali subsidio à Papa imperato. Legibus autem Pontificiis generaliter ferentibus censuras, vel pœnas, vti & regulis Cancellariæ an comprehendantur, alij negant, (Robuff. & 13.) alii communiùs affirmant. Saltem in sententiâ suspensionis, vel interdicti non includuntur. Henriquez & 8. Non possunt tamen ingredi monasteria monialium, propter Bullam Gregorij XIII. *Ibid. ref.* 69. 68. 16. 17. 46. *&* 20.

XI. Cardinales eo ipso soluuntur à patriâ potestate. Molin. & 8. Ipsis egentibus tenetur Papa subuenire. Azor & 6. Eorum lites deciduntur per solum Papam priuatiuè quoad omnes alios, appellatione remotâ, ex Bullâ Pauli IV. Imò propter intimam coniunctionem cum Papâ non possunt permittere sibi venam aperiri sine licentiâ Papæ, vbi commodè haberi potest. Garzias & 5. *Ibidem resol.* 32. 23. *&* 33.

XII. Cardinales non possunt recusari iudices, vt suspecti; nisi essent iudices alterius Cardinalis. Decian. & 6. Alij tamen contrà sentiunt vbi iusta est causa, sed hæc debet esse maior quàm in aliis. Alban. & 5. Cum verò causa ipsis demandatur cum clausulâ *appellatione remotâ*, tollitur omnis appellatio etiam iusta, licèt illa clausula aliàs non intelligatur nisi de appellatione friuolâ & frustratoriâ, non autem de verâ & iustâ. Barbos. & 8. Quod si causa ab ipsis non decidatur, non committitur posteà alteri inferiori. Manfred. & Iacobat. *Ibid. ref.* 30. *&* 37.

XIII. Si Cardinalis obuium habeat condamnatum ad mortē, potest eum à morte liberare. Bald. (nisi fortè crimē

eius esset de atrocissimis vt est crimen falsi, læsæ maiestatis Diuinæ vel humanæ, proditionis patriæ &c. Barbos.& 8.) Saltem si casu reum obuium habeat:asserenti autem casu esse factum creditur sine iuramento (Barbo.& Germō.) sicut & in quauis alia re, etiam cùm affirmat aliquid à Papa viuæ vocis oraculo factum in præiudicium tertii:Decius & 2.Etsi multi hoc negent Barbos.& 3.& quoties deponit in facto proprio,facit plusquam semiplenam probationem;ad effectum verò iustificationis sui familiaris plenè probat,Ita sacra Rota.*Ibid. res.29.31.& 93.*

XIV. Cardinales habent priuilegium testandi iure militari I.vt sufficiant duo testes. II, vt possint decedere prò parte testati,& pro parte intestati.III. vt possint instituere hæredem personam incapacem. Alban. & 5. Facultas autem testandi ipsis concessa non restringitur ad vnicum testamentum,sed semper durat.Azor. Neque expirat morte Pontificis qui eam concessit.Molin. & 6.Vtrùm tamen ex licentiâ Papæ testari possint de bonis perceptis intuitu Cardinalatûs,attendenda est consuetudo Curię Romanæ. *Ibid.res.51.52.53.54.& 50.*

XV. Cum partium iura sunt ambigua, iudicandum est in fauorem Cardinalis. Cucchus & 2. Et possunt eorum familiares pro ipsis esse testes, etsi regulariter in aliis id vetitum sit. Alban. Imò & de familiaribus Cardinalium illud priuilegium asserit Felin.Porrò damnari non possunt Cardinales Episcopi nisi conuincantur per 72.testes:vel per 64. si solùm sunt presbyteri : vel per 27. si diaconi,ex *c. præsul.2.q.4.* Hoc tamen non est in praxi,quando Papa contra eos procedit.*Ibid.res.78.56.& 24.*

XVI. Possunt sine consensu Pontificis congregare Concilium, quando id necessarium esset ad subueniendum extremæ necessitati Ecclesiæ : quamuis illud tunc erit imperfectum, & carebit prærogatiuâ Conciliorum ex defectu consensûs Papæ. Perez.Similiter mortuo Papa, etsi non habeant potestatem Pontificiam, possunt tamen, vbi immineret periculum amissionis alicuius loci

facere quascumque prouisiones, & ordinationes necessarias. II. pro coercendis flagitiis & seditionibus imponere pœnas tum corporales, tum spiritales. III. ad eundem finem mutare quosuis officiales, etiam Gubernatorem vrbis, tam vltra pontem, quàm citra. IV. iudicare Papam esse intrusum, dum ipsi vacant legitimæ electioni. Lauorius. *Idid. res.* 62. *&.* 9.

XVII. Offendentes Cardinalem sunt rei lęsæ maiestatis, ac aliarum plurium pœnarum ex *c. felicis de pœnis in* 6. Quod etiam de iniuriosâ læsione solùm verbali intelligit Felin. 3. Quod alij negant Gouarr. & 5. Easdem pœnas incurrunt receptatores, & defensores interficientium Cardinalem, si illos scilicet ante crimen commissum receptent, vel defendant, etiam tantùm vt amicos, & non vt formaliter criminosos: non tamen si post crimen commissum. Barbos. & 2. Et idem est de pœnis Bullæ cœnæ. Suarez & 5. Quam censuram etiam incurrunt qui Clericos eorum familiares offendunt ipsorum intuitu. Sayr. & 2. Saltem incurrunt excomm. reseruatam Pontifici in *c. felicis.* & Bullâ Pij V. Sousa & Alter. *Ibid. res.* 80. 91. *&* 83.

XVIII. Incurrunt in censuras Bullæ Cœnę qui insultum faciunt in domos Cardinalium ad horum ignominiam. Alterius. Etsi alij contra doceant. Barbos. & 4. Item qui eiiciunt illos è terris vbi nati sunt, vel domicilium habent, etsi non exerceant ibi aliquam legationem, aut iurisdictionem. Bonacin. & 3. Item qui offensionem in Cardinalem, cùm possit, non impedit. Alterius, & 2. Item qui vel leuissimè eos percutit, v.g. chirothecâ, modò adsit infamia. Scortia. Item mandantes eos offendi, vel offensionem suo nomine factam ratam habentes. Peregrin. & 2. Imò qui sciens aliquem conspirasse contra Cardinalem, non denuntiat, incidit in excomm. latam à Pio V. quamuis per correptionem fraternam emendatio speraretur. Bonacin. & Alterius. Ipsi tamen se percutientes non incurrunt censuram Bullæ Cœnæ, Bonacin. *Ibid. res.* 81. 82. 88. 92. 87. 89. 84.

Caritas.

I. PRæceptum dilectionis Dei obligat vt non diu differatur post adeptum vsum rationis. II. in fine vitæ. III. aliquoties in vitâ, ita vt saltem non differatur vltra tres, vel quatuor annos. Suarez & 2, Quamuis alij velint solùm obligare in articulo mortis. Vasquez & Sancius.*par.5.tra. 14.resol.*105.

II. Vt quis teneatur alienæ saluti cum vitæ suæ periculo opem ferre, debet salus alteri esse physicè impossibilis nisi ego succurram. Aliud tamen est in iis qui ex officio obligantur, vt Pastores. Hurtad. Vti alij quoad omnes sufficere docent vt alter non possit nisi cùm graui difficultate vitare damnationem æternam, etsi physicè possit. Suarez & 5, *Ibid.tr.*13.*ref.*24.

III. Non teneris cum discrimine vitæ propriæ adire, & absoluere illum, qui in articulo mortis putat se non habere contritionem, & ideò petit Confessarium, nisi fortè talis esset ita rudis, vt vel nesciret contritionem esse necessariam, vel modum illam excitandi. Nauarr. & Coninc, Quamuis contrarium doceat Suarez & 3. Neque cum simili periculo docere teneris, qui ab hæretico concionatore seducuntur, ita vt vincibiliter veritatem ignorent: vel qui cum eâdem ignorantiâ contractum iniustum celebrant: vel cùm quis filiam vult prostituere, etsi filia illa videatur spiritualiter peritura. Coninc & Lorca contra Valent. Neque si infans aliâs sine baptismo sit moriturus, vt docet Sotus & Sà. Sed in hoc contrarium affirmat Suarez & 7. Vnde obstetrix quæ plures infantes inualidè baptisasset ante multum temporis, ita vt ij variè iam dispersi sint, etsi per se videatur obligari, prodere se magistratui etiam ad supplicium, si aliter defectus ille innotescere non potest: quia tamen hoc non est ita certum, non posset ad hoc planè vrgeri. Layman.*p.3.tr.5 ref.*50.*&* 51.

IV. Qui est in peccato mortali, non tenetur pro alie-

nâ salute vitam suam periculo exponere, nisi periculum esset mortis inferendę in odium fidei, vel pietatis; quia enim tunc esset martyrium, sola attritio sufficeret: aliàs contritio semper potest esse dubia. Hurtad. *par. 5. tract. 13. resol. 23.*

Carthusianus.

I. CArthusianum extra morbum, secluso etiam scandalo, non posse comedere carnes sine peccato mortali, communiùs docent Vasquez. Salas. Nauarr. Etsi contrarium quidam doceant cum Sà, ex eo quòd non teneatur abstinere ex voto, sed tantum ex consuetudine. *par. 3. tr. 2. resol. 39.*

II. Carthusianus etiam in articulo mortis non tenetur comedere carnes, sed potest tamen; vnde qui inscio præberent cibos ex carnibus, non peccarent. Sanchez & *3. p. 5. tr. 3. resol. 136.*

Casus reseruatus.

I. DVum sit reseruatio aliquorum casuum, intelliguntur non solùm posteà committendi, sed etiam iam commissi, nisi quis esset iam antè confessus, & ea peccata legitimâ de causâ omisisset. Bordon. & 4. Quamuis hoc de iam commissis neget Pasqualig. *p. 8. tr. 7. res. 70. & p. 10. tr. 15. res. 39.*

II. In dubio an casus sit reseruatus, præsumitur non reseruatus & potest absolui; quia reseruatio est odiosa, & per consequens strictè interpretanda Suarez & *6. p. 4. tr. 3. resol. 4.* Similiter qui habet peccata dubia reseruata, potest à quouis absolui; quia dubitans est in possessione non reseruationis. Quod si in illis casibus culpa habeat annexam censuram, etsi sic absolutus fiat postea certior de reseruatione, non tenebitur se præsentare superiori. Ianuar. *p. 10. tr. 14. res. 63.*

III. Posset Pontifex, non autem inferiores Prælati, re-

seruare etiam peccata venialia, supposito quòd quis ab iis vellet absolui. Lugo & 6. Et mortalia merè interna. Suarez & 5. quia ad vtraque hæc requiritur iurisdictio ab Ecclesiâ Alij tamen hæc negant. Item posset reseruare omnia mortalia, etsi in hoc peccaret; quia esset potius in destructionem. Lugo & Megal. *p.8.tr.1.res.52.53.& 54.*

IV. Non potest Pontifex sine iustâ causâ casum aliquē validè reseruare respectu eorum qui ex officio habent iurisdictionem. Vasquez & 3. Contrarium tamen est satis probabile Suarez. & *9.p.10.tr.14. res.5.*

V. Moniales Episcopo subiectæ tenentur casibus & censuris quas reseruat pro sua diœcesi, etsi de Monialibus mentionem non faciat Pellizzar. *p.10.tr.13.res.52.*

VI. Locus exemptus v. g. Monasterium Regularium non excusat à reseruatione, si in eo committatur à sęculari casus ab Episcopo reseruatus. Suarez & 8. Etsi contrarium non improbabiliter doceat Pellizzar. & 4. *par.10.tract.14. resol.7.*

VII. Casus reseruati Superiori non pertinent ad Nouitios; quia hi non tenentur ad onera Religionis. Azor & 15. Est tamen viuę vocis oraculo à Paulo V. concessum Superioribus vt casus reseruare possint etiam quoad Nouitios. Peyrin. *p.3.tr.2.res.110.* Alumni autem viuentes in seminariis Regularium exemptorum v. g. Societatis Iesu, subduntur casibus reseruatis Episcoporum. *part. 7. tr. 12. resol.14.*

VIII. Ad reseruandos casus enumeratos in decreto Clementis. VIII. non est opus consensu Capituli, sed solùm ad reseruandos alios nouos. Auersa. Etsi illud velit Bordon. *p.8.tr.7.res.69.*

IX. Non videtur superior vi decreti Clementis. VIII. posse reseruare censuras magis quàm peccata. Etsi hoc, etiam probabiliter, affirmet Suarez & 4. Item non potest reseruare furtum quo Religiosus aliquid alteri Religioso vel sęculari abstulit, etiam quatenus est peccatum proprietatis; quia Pontifex concessit tantùm Supe-

rioribus Religionum reseruationem furti de rebus monasterij,& conuentûs.Ledesm.*p.3.tr.2.res.13.& p.1.tr.6.resol.44.& 45.*

X. Potest Prælatus Regularis pro Monialibus sibi subiectis reseruare casus, & censuras sine Capitulo ; nam hoc solùm requiritur in reseruatione respectu hominum Religiosorum , non verò respectu Monialium quæ non habent vsum talis Capituli.Pellizzar. *par.10. tract. 13.resol. 52.*

XI. Posse Episcopum respectu Monialium exemptarum casus aliquos spectantes ad clausuram reseruare vt delegatum Sedis Apostolicæ quoad custodiam clausuræ , iuxta Tridentin.*sess.25.cap.5.de Regular.* docet Pellizzar.& Bautius. Sed contrarium est verum ; quia illa delegatio solùm est pro foro externo,vt patet ex verbis. *Ibid.*

XII. Etsi Episcopus casum aliquem reseruet summo Pontifici , potest tamen hoc non obstante, ab eodem absoluere Metropolitanus in casibus sibi aliàs à iure permissis ; quia nemo potest iuri suo renuntiare in præiudicium tertij.Nouar.*p.3.tr.4.res.158.*

XIII. Reseruato peccato carnis , reseruatum censetur illud solum quod secundùm quantitatem operis externi , & sine relatione ad consensum internum , certò est mortale.Et idem est de aliis peccatis. Henriquez. & Grand. *p.4.tr.4.res.163.& p.5.tr.5.res.46,*

XIV. Vbi pollutio voluntaria etiam sine complice, est reseruata , quando tamen oritur ex solâ delectatione morosâ, vel ex adspectu libidinoso cum illo coniuncto,nón est reseruata;nisi esset aspectus omnino turpis nudi corporis,aut saltem partium libidinosarum. Kiene. & *3.p.4.tr.4.resol.61.*

XV. Superior Regularis non potest sibi reseruare tactus impudicos , & oscula : quia non comprehenduntur verbo *lapsùs carnis voluntariè opere consummati*,in Decreto Clement.VIII. Suarez & 2. Licèt aliqui affirment. Tamburin.& Sorbo.*p.3.tr.2.res.118.*

XVI. Si

XVI. Si quis Religiosus tactibus alium polluat; non incidit in casum reseruatum Clementis VIII. Mendo. Neque si quis copulam inchoasset, modò destiterit ante seminationem: Iunip. Etsi contrà sentiat Suarez. *par. 11. tract. 2. resol.* 16.

XVII. Si lata sit excommunicatio, vel reseruatio contra homicidas, & confiteatur quis post propinatum venenum, ante mortem tamen alteriùs, quando posteà mors illius sequitur, non incurrit excomm. vel reseruationem. Idemque est de quolibet alio delicto, vt de procurante abortum &c. Mazuchell. *par. 8. tr. 7. res.* 85.

XVIII. Qui ignorat alicuius peccati reseruationem, non incurrere illam, quidam probabile putant; quòd omnis reseruatio sit pœnalis, & odiosa, vt docet Bonacin. & 6. Sed non est recedendum à contrariâ sententiâ; quia cõmunis est. *p. 6. tr. 6. res.* 42. Aliud tamen esset quando reseruatio facta est in pœnam peccantis. vt in *extrauag. Sixti V.* contra malè promotos cùm simonia reali *p. 11. tr. 4. resol.* 4. Idem est quando reseruatio facta est per modum statuti seu in synodo; tunc enim probabile est tamquam pœnalem non ligare ignorantes. Ianuar. & 2. *p. 10. tr. 14. res.* 63.

XIX. Qui bonâ fide confitetur casum reseruatum, nesciens esse reseruatum, validè absoluitur, siue Sacerdos peccet, siue non: quia Ecclesia tacitè dat iurisdictionem. Præpos. Sicut & qui confessus fuerat vt dubium peccatum quod erat reseruatum, etsi posteà recordetur certò se illud fecisse, non tenetur ad superiorem recurrere. Lugo. *p. 6. tr. 6. res.* 40.

XX. Quando superior Regularis moritur; aut ab officio amouetur, cessat reseruatio ab eo facta. Granad. Idem est moriente Episcopo, nisi reseruatio facta esset per statutum: sicut enim hoc durat post eius mortem, ita & reseruatio. Sanchez & 4. *p. 3. tr. 2. res.* 23. *&* *p. 4. tr. 4. res.* 108. *&* *p. 6. tr. 6. res.* 41.

XXI. Quando conceditur facultas absoluendi à casibus reseruatis, intelliguntur etiam censuræ reseruatæ, etsi

propriè non sint casus. Texeda.*p.*10.*tr.*14.*res.*4.

XXII. Quando quis à superiore petit facultatem pro vnâ personâ vt absoluatur à reseruatis, intelligitur de actiuâ & passiuâ, nisi superior restringat, ideoque poterit talis vti eâ facultate pro suâ personâ. Villalob.& 2.*p.*3.*tr.*4.*res.* 142 *& p.*8.*tr.*7.*res.*91. Probabilius tamen est hoc non habere locum quando petitur facultas absoluendi; sed solùm quando facultatem eligendi confessarium petenti pro aliquâ personâ, superior concedit; tunc enim includitur etiam ipse petens. Lead. & 2.*p.*11.*tr.*8. *res.*48.

XXIII. Quando quis à Sac. Pœnitentiariâ obtinuit facultatem vt possit eligere Confessarium à quo absoluatur à reseruatis *pro hac vice*, per eam particulam intelligitur confessio ad quam Ecclesia obligat quotannis, ideo tali casu posset quis tamdiu confessionem differre, & tunc absolui ab omnibus etiam post obtentam licentiam commissis, Idemque est si talis licentia concedatur ab Episcopo. Quando verò conceditur à Prælato Regulari intelligitur ea confessio quam regula præscribit. Dicastill.*p.*11.*tr.* 8.*res.*48.

XXIV. Qui obtinuit licentiam aliquem absoluendi à reseruatis, potest absoluere etiam ab iis quę commisit post concessam licentiam; quia concessio tacitè intelligitur de similibus casibus qui post illam concessionem clauibus bonâ fide subiiciuntur. Quod verum est etsi petens licentiam scripsisset non esse periculum relapsûs, si id bonâ fide fecerit Præpos.*p.*4.*tr.*4.*res.*109.

XXV. Si Superior Regularis Confessario petenti potestatem absoluendi à casu reseruato, dare noluerit, potest pœnitentem absoluere pro illâ vice, ex decreto Pauli V. apud Nald. Henrinq. & 6. Itemque ex decreto Sac. Cõgreg. cum consensu Vrbani VIII. idque toties quoties ita petita fuerit, & negata. Idem est si non confessarius, sed ipse pœnitens eam facultatem petat. Pellizzar. & 3.*p.*3.*tr.*2.*res.*126. *& p.*6.*tr.*6.*res.*56.*& p.*9.*tr.*3.*res.*15.

XXVI. Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis non pre-

test ex vi officij sui absoluere à casibus Episcopo reseruatis. Nauar. & 9. Neque etiam talis est consuetudo saltem vniuersalis. *p. 9. tr. 8. ref.* 11. & 12. Quicumque autem habent potestatem delegatam, non possunt eandem alteri concedere vt absoluat toties quoties opus erit: possunt tamen prò casu particulari occurrenti eam facultatem alteri dare. Homobon. *p. 2. tr. 17. ref.* 53.

XXVII. Confessarius non habens potestatem absoluendi à reseruatis, non potest absoluere peregrinos, etsi eadem in ipsorum diœcesi non essent reseruata. Multo minùs si peregrinus ea commiserit in eâ diœcesi. Suarez & Lugo. Contrarium tamen est probabile. Mendo & 4. *p. 11. tr. 2. ref.* 48.

XXVIII. Sacerdos non potest absoluere pœnitentem, qui habet peccata reseruata cum onere, vt ea sola Superiori confiteatur. Coninc. Licèt contrarium sit etiam probabile. Syluester & 3. Saltem quando pœnitens bonâ fide confitetur putans se ita posse absolui. Layman. *p. 3. tract. 4. resol.* 58. Hoc tamen certò licet, quando pœnitens non potest adire Superiorem, nisi post longam moram temporis. Suarez & Granad. Vnica autem nox interposita non potest censeri longum tempus: etsi de eo dubitet Hurtad. *p. 5. tr. 13. ref.* 8. Item hoc licet quando in iubilæo requiritur confessio, & non conceditur facultas absoluendi à reseruatis; poterit enim tunc etiam à censurâ reseruatâ absolui vt lucretur iubilæum, cum onere tamen eam absolutionem postea iterum petendi à Iudice competenti. Texeda. *p. 10. tr. 14. ref.* 4.

XXIX. Quando quis confitens casus reseruatos non potest ad Superiorem recurrere sine graui notâ, & infamiâ, potest ab ijs absolui directè; eo quòd tunc non debeant censeri reseruata. Dicastill. Quamuis autem solùm indirectè posset ab iis absolui (vt alij docent) posset tamen sic absolui etsi propter ea peccata incidisset in excomm. reseruatam, maxime quando excommunicatio est tolerata. Dicastill. *p. 11. tr. 8. ref.* 49.

XXX. Qui non potuit à Superiore per pium confessarium obtinere facultatem vt absoluatur à reseruatis, potest se gerere acsi non haberet copiam Confessarij: etsi enim posset confiteri Superiori, hoc tamen inter Regulares censetur notabile incommodum. Tamburin.& Quart. Quod verum est etsi reseruatis annexa esset censura reseruata. *p.*12.*tr.*1.*ref.*43.

XXXI. Regulares extra monasteria existentes cum licentiâ superioris, non possunt a reseruatis absolui. Nec quoad hoc valet præsumpta superioris licentia, vt vult Herrera; quia tantùm conceditur ab Innocentio VIII. vt possint à quouis sacerdote absolui, sicut possent à Confessario sui Ordinis. *p.*8.*tr.*7.*ref.*78. Si tamen etiam ex industriâ ne se cogantur sistere superiori, proficiscantur aliò vbi casus non est reseruatus, poterunt ibi absolui; quilibet enim quoad hoc sequitur leges loci in quo est. Baudy. Etsi contrà sentiat Zambell. *p.*6.*tr.*7.*ref.* 57.

XXXII. Habens reseruata, si confessus est legitimo Superiori, vel habenti potestatem absoluendi per Bullam, iubilæum &c. etsi per obliuionem omiserit reseruata, tollitur reseruatio. Coninc & 12.*p.*1.*tr.*11.*resol.*19.*&p.*10.*tr.*13.*r.*.56.*&p.*11.*tr.*2.*ref.*39. Idemque est quando confessus est quidem reseruata, sed inualidè siue defectu doloris siue integritatis. Præpos. & 2.*p.*4.*tr.*4.*ref.*124. Quę vera sunt etiamsi Confessarius tantùm habuerit delegatam potestatem absoluendi Coninc.*p.*8.*tr.*7.*ref.*65.

XXXIII. Si superior absoluit subditum à reseruatis tantùm, tenetur posteà illa ipsa cum aliis non reseruatis inferiori Sacerdoti confiteri. Coninc & 3. Etsi Io. de la Cruz cum Ledesm. contrà sentiat. *p.*3.*tr.*4.*ref.*74.

XXXIV. Absolutus à reseruatis in articulo mortis per inferiorem Sacerdotem, non tenetur, si conualuerit, comparere coram Superiore, sicut tenentur qui eo modo sunt absoluti à censuris. Suarez & 3.*p.*4.*tr.*4.*ref.*199.

XXXV. Subditus ex facultate concessâ absolutus à reseruatis cum onere comparendi, non tenetur compare-

re,si ante absolutionem dictum onus ignorauit Vasquez, & Hurtad. *Ibid.*

XXXVI. Quando non patet recursus ad Episcopum potest Confessarius absoluere à casibus ipsi reseruatis, sicut tunc posset à reseruatis Papæ. Granad. & 2 *p* 5.*tr*.14. *res*. 58. Idem est de casibus aliorum Prælatorum. Hurtad. & Dicastill. Quod si impedimentum sit perpetuum, reputari debet pro vero articulo mortis in ordine ad obtinendam absolutionẽ. Dicastill. *p*. 11.*tr*.8.*res*.2. Alias absoluens à casibus Episcopo reseruatis sine prætextu alicuius priuilegij, incidit in censuram & pœnas decreti Clementis VIII. nisi excuset ignorantia, inconsideratio, aut spes ratihabitionis. Non tamen incurreret in has Religiosus qui sine facultate absolueret à casu in Religione reseruato. Homobon. & Floron. Porrò Sacerdos qui incidit in hanc excomm potest ab Episcopo absolui. Homobon. & 4.*p*.3.*tr*.4.*res*.73.

XXXVII. Etsi decretum Clementis VIII. auferat Regularibus potestatem adsoluendi à casibus reseruatis Episcopo: non tamen absoluendi à censuris similiter reseruatis. Megal. Etsi hoc etiam probabiliter affirmet Marull. Item possunt eo non obstante absoluere à casibus qui de iure communi reseruantur Episcopis. Auersa contra Bordon. Item à casibus Papalibus occultis; quia hi post Tridentin. sunt Episcopales. Sanchez & 17. Quamuis autem illud decretum referatur ad omnes Confessarios degentes in Italiâ probabiliter non comprehendit degentes in insulis adiacentibus Siciliâ, Sardiniâ & Corsicâ. Nunc tamen illud decretum ab Vrbano VIII. A. 1628. extensum est ad omnes etiam extra Italiam. Quibus non obstantibus qui de proximo volunt Religionem ingredi possunt ab illis casibus absolui à Prælatis illius Religionis. Vecchius. *p*.3.*tr*.2.*res*.13.&46.&*p*.2.*tr*.17.*res*.30.&*p*.5.*tract*.14 *res*.88.&*p*.8.*tract*.7.*res*.71.& *p*.9.*tract*.6.*resol*.51.& *p*.12.*tr*. 2. *res*.28.

XXXVIII. Non obstantibus illis decretis Pontificum

posse Regulares absoluere à casibus Episcopo reseruatis, docet Mendo & 7. Imò & ab his, & à quinque illis Papalibus specialiter iussu Clementis VIII. reseruatis, posse absoluere virtute saltem confirmationum priuilegiorum postea factarum *ex certâ scientiâ*, docet Vidal & 2. Sed hæc prorsus reiicienda sunt vt contraria decretis quatuor Pontificum Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII. & Innocentij X. *p.10.tr.13.ref.22.& p.11.tr.2.ref.9. & p.12.tr.2 ref.28.*

XXXIX. Absolutus à casibus Episcopalibus ex priuilegio Pontificio non tenetur comparere coram Episcopo, vt perperam vult Donatus ex eo quod Episcopi potestatem reseruandi habeant ex iure Diuino: nam illam, sicut & iurisdictionem, habent à Pontifice. Suarez & 9. *p.10. tract. 12.ref.18.*

XL. Episcopus si in casum incidit reseruatum Summo Pontifici, à quo ipse potest alios absoluere, delegando eam facultatem alteri, ab eo absolui potest. Suarez & 9. *p.3.tr.4.ref.142.*

Censura.

I. AD censuram vt valida sit, non requiritur essentialiter monitio præuia: (Coninc & 7.) sed de iure debet præmitti trina; etiam quando excommunicatio à iure decreta est sententiæ ferendæ. Suarez & 2. Et quidem debet esse monitio sub pœnâ censuræ, Suarez & 9. Idque quamuis sciretur non profutura. Quare si trina monitio omitteretur, esset quidem valida censura, sed illicita. Et idem est in Prælatis Regularibus ferentibus censuras. Auila. *p.5.tr.9.ref.18.55.19.& 20.*

II. Potestas ferendi censuras acquiri potest consuetudine. *ibid.ref.42.* Et ex dispensatione Pontificis communicari potest etiam feminæ; quia hoc repugnat solùm iuri humano. Suarez & 10. (Etsi contra sentiat Coninc & 2.) Ob quam rationem concedi posset etiam infideli. Hurtad. & 3.*p.8.tr.1.ref.39.*

III. Pueri ante annos pubertatis nullis tenentur censuris vel pœnis siue ab homine latis (Vasquez & 3.) siue à iure : excepta excomm. ob percussionem Clerici. Castrop. Vnde puer impubes occidens alterum non fieret irregularis. Auila & 2. Quamuis tamen in eâ ætate decedant, non possunt sepeliri in loco interdicto ; quia prohibitio illa non tam ipsos spectat quàm sepelientes. Suarez & 3. *par. 3. tr. 6. res. 88. & p. 5. tr. 9. res. 46. & p. 4. tr. 2. res. 67. & p. 11. tract. 2. resol. 56.*

IV. Censuræ non incurruntur ob actum internum saltem nisi vt coniunctum cum externo. Vasquez & 8. Imò debet opus illud externum esse significatiuum actûs interni sub ratione qua actus externus est prohibitus ab Ecclesiâ. Vasquez & Turrian. Semper autem debet esse peccatum mortale. Suarez & 9. etsi veniale ad hoc sufficere velit Caietan & 5. *p. 5. tr. 9. res. 48. & 49. & p. 3. tr. 6. res. 51.*

V. Ignorantia etiam mortaliter culpabilis siue iuris, siue facti, modò non sit crassa, excusat à censuris, & pœnis ; imò sola ignorantia non crassa excommunicationis, seu censuræ, vel irregularitatis excusat, licet adsit scientia iuris. Sanchez & 11. Est autem ignorantia crassa, quæ ex malitia, vel nimia negligentia procedit. Portel. Excipienda est tamen irregularitas homicidij, à qua nulla ignorantia excusat; quia non est solùm est delicto, sed etiam ex defectu lenitatis. Omnem etiam irregularitatem ex delicto excipit Suarez & 9. sed contrarium est probabile. Sanchez & 8. Quod si verba censuræ sic haberent, *Qui scienter hoc fecerit, vel qui præsumpserit*, ignorantia etiam crassa, imò & affectata excusaret. Bonacin. & 6. *p. 3. tr. 5. res. 12. 13. & 67. & tr. 6. res. 7. & 41. & p. 4. tr. 2. res. 36. & 85. & tract. 4. res. 187. & p. 5. tr. 9. res. 17. & p. 9. tr. 6. res. 13. & p. 12. tr. 1. res.* 104. Hinc ignorans hæresi externæ annexam esse excommunicationem: vel etsi hoc sciebat, dum tamen eam proferret, erat inculpabiliter oblitus nullo modo ad hoc reflectendo, non erit excommunicatus. Vasquez & 3. *p. 11. tr. 4. res. 4.* In regnis tamen vbi est Inquisitio, vix videtur in

Hæretico posse admitti ignorantia excomm. Hurtad. *p. 5. tr. 13. res.* 18.

VI. Censura cum fertur ob aliquod peccatum, debet hoc esse in suo genere consummatum. Suarez & 3. Hinc si lata est in scribentem ad aliquem non incurritur nisi scriptura ad hunc perueniat. Couinc & Hurtad. Item lata in facientem aliquid non ligat mandantem, aut consulentem, nisi id exprimatur. Suarez & 8. Quod cum sit, non tamen incurrit qui mandatum, vel consilium antè reuocauit. Auila & 4. *p. 5. tr. 9. res.* 56. 57. *&* 58.

VII. Quando censura fertur sub disiunctione, v.g. Qui hoc fecerit sit excommunicatus, vel suspensus, relinquitur arbitrio rei vt alterutram pœnam eligat: aut si nolit eligere, obligetur vtrâque donec eligat; hæc enim videtur intentio ferentis eo modo censuram, ne aliàs sententia eius sit omninò inefficax. Suarez & 2. Quamuis alij velint censuram tunc non habere effectum. Gordon. & 4. Idem est siquis suspendatur ab officio, vel à beneficio: vel si simpliciter dicatur; *suspendo te* non exprimendo determinatè an ab officio, an à beneficio. Etsi Mercer. tunc velit ab vtroque suspendi. *Ibid. resol.* 63. *& tract.* 10. *res.* 13. *&* 14.

VIII. Censura potest ferri sub conditione, quæ tunc incurritur impletâ conditione v. g. nisi intra mensem debitum soluas. Couar. & Vgolin. Appellatio tamen facta ante eam impletam suspendit censuram. Hurtad. & 2. Potestque appellari toto tempore ante impletam conditionem, & non solùm intra 10. dies, vt in sententiis absolutis. Suarez & 5. Quod si creditor tempus à Iudice concessum proroget, suspenditur censura, & probabiliter ita vt posteà non incurratur, etsi secundo illo tempore finito non soluat. Vgolin & Sayr. Contrarium tamen etiam probabile est. Suarez & Cornejo. Porrò censuram sic latam incurreret etiam qui pendente conditione forum mutaret: non tamen si Iudex interim moreretur. Quando autem conditio de futuro esset omninò impertinens, probabiliter redderet censuram inualidam, pro-

pter abusum spiritalis potestatis. Suarez & 2, Etsi contrarium probabiliter doceat. Turrian. *part. 5. tract. 9. resol. 64. & 65.*

IX. Potest quis absolui à censuris & irregularitatibus extra Sacramentum Pœnitentiæ siue virtute Bullæ Cruc. (Sanchez & 12.) siue per priuilegia Regularium, etsi in iis dicatur, vt absoluantur *auditâ prius confessione.* Coninc. & *3.p.1.tr.11.res.25.&p.3.tr.2.res.20.& tr.4.res.63.& p.9.tr.8. res. 50.* Ac propterea non repugnat talem absolutionem dari absenti.*p.4.tr.2.res.103.*

X. Potestas absoluendi à censuris per Bullam Cruciatæ, vel priuilegia Regularium, vniuersalis est quoad omnes suspensiones, siue à iure, siue ab homine, &c. sine vllà exceptione. Henriquez & *5.p.4.tr.4.res.115.*

XI. Pœnitens oblitus censuræ exigentis satisfactionem partis, manet absolutus per generalem absolutionem quæ dari solet ad cautelam, si detur à Confessario habente potestatem. Auila. Contrarium tamen est probabilius. Coninc & 3. Ab aliis autem omnibus per illam generalem absolutionem manet absolutus, etsi aliquas culpabiliter non expressisset. Bossius, *p.7.tr.10.res.12.*

XII. Si super eodem peccato censura feratur ab Episcopo & Pontifice, & postea tollatur censura Papalis, vsu communi censetur sublata etiam Episcopalis. Etsi contrarium de iure sit dicendum. Graff, & *3.p.5.tr.9.res. 70.*

Vide *Absolutio ab excommunicat. Excommunicatio. Irregularitas.*

Census.

I. Pactum de retrouendendo in fauorem emptoris census, est licitum, neque debet tunc emptor censûs computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori ad arbitrium boni viri, compensetur. Tamen ob periculum vsuræ, eiusmodi pacta non sunt suadenda. Malder. & *10.p.3.tr.5.res. 75.*

II. Si quis emat censum impositum minori pretio, quàm taxatum fuerit, non tenetur ad restitutionem, si rogatus fuerit à venditore; quia merces vltroneæ vilescunt. Nauar. & 2. & quidem vt aliqui putant pro tertiâ parte. Lessius & 5. vel etiam pro medietate. Salas & 3. *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 36. & 53.

III. Census irredimibilis si ematur iusto pretio, hoc est maiori quam redimiles, non includitur in prohibitione Pij V. secus si non ematur maiori pretio. Molin. & 16. Etsi includi doceat Lugo & 5. *pár.* 10. *tract.* 12. *ref.* 3.

Cessio bonorum.

I. Cessio bonorum est beneficium quo debitores qui soluendo non sunt, si bona sua creditoribus dimittant, carcerem euitant. Lugo & 3. Quod non conceditur iis, qui debita ex delicto habent, sed tantùm pro debitis ciuililus ex contractu, vel quasi contractu. Molin. & 22. Neque qui dolo malo, fastu, & luxuriâ sua bona consumpserunt, vel etiam qui partim ita, & partim etiam fortunæ vitio. Menoch & 16. Aut quamuis non dolosè, tamen suâ culpâ, etsi simul etiam fortunę vitio sua bona amiserunt, Ruland. & 5. *t.* 7. *tr.* 8. *ref.* 1. 2. 3. & 12.

II. Etsi creditores offerant dilationem quinquennalem, adhuc potest quis eâ reiectâ bonis cedere. Item etsi debitum antè negauit, & per sententiam ad illud sit condemnatus. Plures tamen hic contrà sentiunt Couar. & 7. Sicut & hæres non confecto inuentario, etsi teneatur in solidum creditoribus defuncti, potest tamen vti beneficio cessionis. Hunnius. *Ibid. ref.* 17. 10. & 14.

III. Non gaudent priuilegio cessionis decoctores, & qui semel bonis cesserunt (Zasius & 4.) aut qui soluendo posterioribus creditoribus, se reddiderunt insufficientes respectu aliorum. Natta & 4. Neque qui aliquid in fraudem creditorum alienauit. Rebuff & 13. Neque qui dolosè debitum contraxit, cum sciret se insufficientem soluere. Bartol. & 9. Neque qui spe huius beneficij contraxit,

Hunn.& 7.*Ibidem resol.* 19.11.*&* 13.

IV. Qui renuntiauit huic beneficio, & cum creditoribus ita pactus est, non potest posteà cedere. Happrecht. Etsi communiter contrarium doceant. Couarr. & 13. Neque qui aliquid è bonis occultauit, etiam parum, vsque ad obolum. Molin.& 15. In foro tamen conscientię potest quis occultare necessaria sibi, & familiæ suæ vt parcè se sustentet. Hurtad.& 10. Etsi id neget Lugo. Quod verum est etsi debita sint ex iniustitia & delicto notorio contracta, quamuis tunc non possit tantum retinere quantum aliàs. Lessius & 3. Et idem est de vxore, vel filiis defuncti. Cælestin.*Ibid.res.*15.5.6.*&* 7.*&p.*4.*tr.*4.*res.*78.*&p.*5. *tract.* 14.*resol.*57.

V. Ei qui bonis cessit relinquendum est aliquid à Iudice ad necessaria alimenta. Lessius & 6. Etsi communiùs contrarium doceant, adeò vt nec artifici, instrumenta suæ artis relinquenda. Lugo & 5. De bonis tamen posteà acquisitis etiam in foro externo debent relinqui necessaria ad parcam sustentationem. Lugo 4. Quod ius procedit etiam quoad forum conscientiæ. Molin. & 3.*par.*7.*tract.*8. *res.*4.8.*&* 9.

VI. Vt cessio bonorum sit efficax, debet cedens priùs cauere de soluendo residuo, si fortè ad pinguiorem fortunam deinde perueniat. Couarr. & 6. Quæ cautio debet fieri per fide-iussores, aut si hoc ob paupertatem fieri non possit, per iuramentum. Couarr.& 5. Et quamuis non cauisset, semper tamen manet obligatus in conscientia ad plenè soluendum posteà cum poterit. Lugo & 9. Quod verum est etsi cessio fieret cum actibus ignominiosis, vt quibusdam locis fit sedendo in loco publico cum corbe capiti imposito. Molin.& 6. Quamuis aliqui putent illam ignominiam pœnalem tunc succedere loco debiti pecuniarij. Menoch.& 6.*Ibid.resol.*16.20.*&* 21. *& par.*4.*tract.*4. *resol.* 78.

VII. Etsi debitor principalis bonis cesserit, non tamen ideò liberantur fide-iussores, imò in similes casus dantur.

Lugo & 8. Quidquid aliqui asserant. Tuschus & Guido. Quod si Clericus esset fide-iussor pro laico, gauderet priuilegio.*cap. Odoardus, de solut.* vt præstitâ cautione iuratoriâ de soluendo cum poterit, liberetur: non autem si laicus fide-iussit pro Clerico *p.7.tr.8.res.*18.

VIII. Cessio bonorum ignominiosa iuxta, Haiolum causat infamiam vnde nascatur irregularitas. Sed hoc difficile videtur, cùm nec sit ignominia facti, vt pote non orta ex delicto, nec iuris: ideò tu cogita. Quidam tamen putant inducere infamiam facti. Tuschus. *Ibid. res.* 22.

Vide *Debitum.*

Circumstantia in confessione explicanda.

I. CIrcumstantiæ notabiliter aggrauantes nòn sunt in confessione necessariò aperiendæ, quia speciem non mutant, & consequenter nec notabiliter minuentes, vt si puella metu, mortis, vel inopiâ cogente fornicetur. D. Thom. & 37. Etsi contrarium doceat Suarez & 19.*p.*1.*tr.*7. *res.*1.*& p.*3.*tr.*4.*res.*67.*& p.*5.*tr.*14.*res.* 85.

II. Circumstantia ingratitudinis quod quis peccauerit post obtentam semel remissionem peccatorum, non est necessariò exprimenda. Lessius. Etsi id velit Scotus.*par.*10. *tr.*13.*res.*40.

III. Scandalum actiuum quando non est speciale peccatum, est circumstantia adeò aggrauans, vt sit in confessione explicanda: nam qui induxit mulierem ad peccandum, non satisfacit integritati confessionis, si dicat *Peccaui cum quadam muliere*, nisi addat, *Et illam ad peccandum induxi*: Explicandus est etiam numerus personarum, quibus datum est scandalum, etiam vnico peccato. Sanchez & 5. Contrarium tamen est probabile. Lugo & 4.*p.* 3.*tr.* 4.*resol.* 114.*& p.*11.*tr.*5.*res.*49.

IV. Qui cum feminâ fornicatus est, non debet necessariò in confessione addere se illam induxisse ad peccatū; hoc enim satis intelligitur, quia communiter ita fit. Vnde aliud esset si femina induxisset virum, aut si inductio fa-

cta esset precibus æquiualentibus violentiæ morali. Salas & 2.*p.5.tr.13.res.5.*

V. Quoties quis alterum inducit ad idem peccatum quod ipse facit, & quod non nisi à duobus committi potest, vt est fornicatio, non esse necessariò illam inuitationem in confessione explicandam, eò quòd sit idem numero peccatum, docet probabile ex Vasq. Mærat. *Ibid.*

VI. Circumstantia inductionis ad peccatum, quando altera parata erat ad peccandum, v.g. meretrix, non est necessariò explicanda in confessione, quia non est moralis inductio, cùm voluntas de se esset disposita. Suarez & 3. Idem dicendum, si quis vtitur aliquâ personâ paratâ vt maleficium soluat maleficio cum pacto dæmonis. Tenetur tamen talis confiteri peccatum aditionis sagę. Fagund. *p.1.tr.7.res.34.*

VII. Qui furatus est ingentem pecuniarum summam satisfacit in confessione, si dicat se commisisse furtum in re notabili. Vasquez & 6. *Ibid. res.14.*

VIII. Si Iudex furetur rem alienam, quam tenetur ex officio custodire non debet necessariò illam officii circumstantiam aperire, neque enim multùm aggrauat peccatum. Henriq. *Ibid. res.36.*

IX. Qui rem sacram furatur ex loco sacro, tenetur vtramque circumstantiam explicare; quia sacrilegium erga rem & locum sacrum, sicut & erga personam distinguuntur specie. Lugo & Auersa. Etsi contrarium doceat. Fagund. *p.8.tr.7.res.76.*

X. Consuetudo peccandi non est circumstantia necessariò in confessione aperienda, nisi orta sit ex occasione proximâ, quam pœnitens tenetur rescindere. Vasquez & 4. Imò pœnitentem non teneri eam fateri, etsi à Confessario de eâ rogetur, sed posse negare cum æquiuocatione, docet Sancius & 2. Sed contrarium est tenendum. Candid. & 5. & proptereà à Sac. Congreg. Indicis in operibus Sancij deletum est *p.1.tr.7.res.15.& 55.& p.9.tr.9.res.66.& p.11.tr.7.res.37.*

x i. In percussione Clerici si qui percutitur sit simul superior, præter malitiam contra Religionem, erit alia contra obseruantiam. Ouiedo. *p. 9. tr. 4. res. 28.*

x i i. Clericos vel Religiosos si ludendo ludo taxillorum vel alearum fraudauerint aliquem in notabili quantitate, non teneri in confessione explicare circumstantiam talis ludi, eò quòd per illum non peccent mortaliter, docet Megal. Sed ego id approbare non audeo. *par. 9. tract. 9. resol. 66.*

x i i i. Circumstantia peccati perpetrati in die festo solemni, non est necessariò in confessione aperienda. Vasquez & 5. Idem dicendum de die quo quis Eucharistiam sumpsit. Henriquez & Homobon. Neque si quis peccauit delectatione morosâ, aut simili peccato, dum orabat vocaliter. Sanch. vel etiam dum celebrabat. Pellizz. *p. 1. tr. 7. res. 32. & p. 6. tr. 7. res. 36. & p. 9. tr. 3. res. 7.*

x i v. Apostasiæ circumstantia non est necessariò in confessione aperienda tamquam distincta ab hæresi; cùm ab illa non differat specie. Sanchez & 8. *par. 1. tract. 7. resol. 54.*

x v. Qui omnes horas canonicas vel notabilem partem omisit, satisfacit in confessione dicendo, se commisisse peccatum mortale in recitatione horarum; non exprimendo quantitatem omissionis. Squillante. *par. 2. tract. 12. resol. 23.*

x v i. Medicus non satisfacit in confessione dicendo, se sine legitima causa dedisse licentiam comedendi carnes die vetito, si is fuit ieiunij; quia in hoc casu violatur duplex præceptum. Sancius. Quidam tamen censent eam esse solùm circumstantiam aggrauantem. Montesin. *p. 1. tr. 7. resol. 60.*

x v i i. Qui fornicatus est, non tenetur in confessione explicare tactus, oscula, &c. quæ præcesserunt, aut subsecuta sunt copulam: quia cum actu principali vnum tantùm peccatum constituunt. Henriquez & 7. Idem est quando quis peccaret cum femina habente votum virgi-

nitatis pro primâ ſolum copulâ; etſi enim tunc actus poſt copulam non ſint amplius contra votum , ſunt tamen vnus moraliter actus cum copulâ Dicaſtill. Idem eſt de delectatione & gaudio de fornicatione quæ habetur immediatè poſt copulam.Lugo & Leand. Vnde qui totâ nocte cum meretrice impudicè egit , ſatisfacit explicando numerum copularum.*Ibid.reſ.*42.*&* 39.*&* *p.*3.*tr* 4.*reſol.*67. *&* *p.*5.*tr.*14.*reſ.*10. Qui tamen ſine intentione fornicandi adiuit ad meretricem,vt eius tactibus frueretur , ſi poſteà fornicetur, præter fornicationem debet confiteri illos tactus tamquam peccatum diſtinctum ; quia ſicut ibi neque ordinantur,neque ſunt inchoatio ad copulam,ita neque cum hac vnum peccatum conſtituunt. Vaſquez & 4. Etſi contrarium doceat Leand.& Ouiedo.*p.*4.*tr.*4.*reſ.*205. *&* *p.*9.*tr.*9.*reſ.*66.*&* *p.*11.*tr.*5.*reſ.*41.*&* 42.

XVIII. Copula vxoricidæ , vel adulteri cum promiſſione matrimonij,non eſt circunſtatia neceſſariò in confeſſione explicanda : quia quando impedimentum matrimonij imponitur in pœnam delicti , & ad præcauendum damnum , tunc copula cum habente tale impedimentum tantùm aſt ſimplex fornicatio. Sanchez & 2. Contrà verò quando imponitur ratione peculiaris motiui quod in ipsâ copulâ reperitur, vt eſt in cognatione , affinitate &c. Perez *p.*3.*tr.*4.*reſol.*140.*&* *p.*10.*tr.*16.*reſ.*82.

XIX. Concubitus viri Chriſtiani cum infideli , eſt circumſtantia in confeſſione aperienda;quia mutat ſpeciem. Sanchez & 7. Probabile eſt tamen ſolùm eſſe circumſtantiam aggrauantem , & per conſequens non neceſſariò confitendam Filliuc.& 6.*p.*3.*tr.*4.*reſ.*138.*&* *p.*7.*tr.*7.*reſ.*72. *&* *p.*9.*tr.*9.*reſ.*3.

XX. Eunuchus vel frigidus ſi copulam habeat , tenetur explicare circumſtantiam impotentiæ, reducitur enim ad peccatum contra naturam. Sanchez & 3. Quod tamen non ita certum reputat Filliuc.*p.*6.*tr.*6.*reſol.*35.*&* *par.*3.*tr.* 4. *reſol.* 139.

XXI. Sponſus,vel ſponſa de futuro , & cum eis ſe car-

naliter commiscentes, non tenentur illam sponsalium circumstantiam explicare;quia non mutat speciem, cùm non sit adulterium.Couarr. & 3. Ideoque & filii inde nati sunt naturales,& non spurij.Sanchez & 5.contra.Texed.*p.1. tr. 7.res.5.&p.3.tr.4.res.67.& p.9.tr.7.res.70.*

XXII. In copulâ sodomiticâ habitâ cum virgine, non est necessarium exprimere circumstantiam virginitatis. Caram & 2.Imò neque quòd fuerit cum mare, vel feminâ,aut cum bestiâ huius vel illius speciei,sed sufficit si dicat:*peccaui in sodomiâ,vel bestialitate.* Contrarium tamen est probabilius quoad sodomiam. Ouiedo & *2.p.1.tr.7.resol.2. & p.5.tr.14.res.56.& p.7.tr.12.res.16.& p.8.tr.7.res. 86.& p.9.tr. 9. res. 66.*

XXIII. Copula cum feminâ mortuâ non continet malitiam bestialitatis, vt vult Pellizz. & Gesuald. Nec fornicationis:sed pollutionis,quæ fit in eo cadauerer sicut cum statuâ.Sanchez & Tambur. Vnde in confessione sufficeret dicere;se habuisse pollutionem; cum aliud sit tantùm circunstantia aggrauans.*p. 9.tr.9. res. 1.*

XXIV. Si quis cognoscat feminam dormientem quæ antè non consensit, præter malitiam propriam actus respectu feminæ v.g. si coniugata sit, vel consanguinea &c. habere etiam malitiam raptûs, docet Pellizzar. Sed hoc difficile est,cùm raptus requirat abductionem de loco ad locum, vt docet Hurtad.& 9. Sed de hoc viri docti iudicent.*Ibid. res. 2.*

XXV. Mulier quæ peccauit cum Sacerdote Religioso, satisfacit dicendo in confessione, se peccasse cum Sacerdote,nec tenetur dicere illum fuisse Religiosum. Sanchez & 9. Item Sacerdos, vel Religiosus satisfacit si dicat se violasse votum castitatis, neque mentionem faciat voti solemnis,aut Ordinis sacri. Sanchez & *6.p.1.tr.7.res.3. & 4.& p.3.tr.4.res.67.* Secus si talis tentaret matrimonium contrahere;nam tunc peccaret duplici peccato, & contra votum, & contra prohibitionem Ecclesiæ *part. 10. tract. 11.resol.12.*

XXVI. Non

XXVI. Non sunt circumstantiæ necessariò explicandæ, si soluta peccet cum nouitio, vel solutus cum nouitiâ. Megala. Aut si Sacerdos alium percutiat vel occidat. Nugnus. *p.1.tr.7.res.7. & 8.*

XXVII. Religiosus professus qui peculiare votum emisit de non fornicando, aut mollitie committendâ, non tenetur id explicare: quia multiplicatio votorum circa eandem rem, ne aggrauantem quidem circumstantiam addit. Fagund. *Ibid.res.9.*

XXVIII. Si Religiosus alium Religiosum inducat ad peccandum contra castitatem, non peccat contra votum castitatis, sed tantùm peccato scandali; vnde in confessione tenetur explicare statum peccantis: non autem suum. Sanchez & *2.par.7.tract.11.resol.27.& par.9.tr.6.resol.4. & tr. 9. res. 66.*

XXIX. Pollutio procurata propriis tactibus, vel cum puero nondum doli capace, vel cum feminâ dormiente. vel cum bestiâ citra copulam, non differt specie. Vnde nec eæ circumstantiæ in confessione necessariò sunt explicandæ. Caietan. & 3. Sed in praxi non est recedendum à contrariâ sententiâ probabiliori. Quando autem consummata est cum aliquo doli capace, explicandum id est ratione participationis peccati alterius, non autem ob mutationem specificam. Reginald. Modus autem non est necessariò explicandus, etsi super alterum sicut super mulierem incubuisset, sed satis erit dicere: *tangendo alterum impudicè, pollutus sum.* Etsi contrarium doceat Llamas. *p.7.tr. 12. res.15.& 32 & p.1.tr.7.res.52.*

XXX. Qui se pollui permisit tactibus Religiosi, aut Clerici, aut cùm hi alios polluerunt qui non habent votum, non teneri illam circunstantiam personæ exprimere: eò quòd in illis casibus non sit violata persona sacra, docet Llamas. & 5. Sed hoc prorsus est reiiciendum, & in operibus eius iussu Inquisitionis Hispan. expunctum est. *par.1.tract.7.resol.53.& par.7.tract.11.resol.27.& par.9.tract. 9. resol. 65.*

XXXI. Desiderium copulæ cum duabus quarum vna est mater alterius non habet malitiam incestûs; quia hæc solùm contrahitur quando quis desiderat copulam cùm muliere iam antea sibi consanguineâ, vel affine. Bordon. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 13.

XXXII. Qui commisit incestum cum matre, filiâ, sorore, &c. non tenetur exprimere circumstantiam personę Hurtad. & 7. (etsi copula sit sodomitica. Auersa & 2. *p.* 7. *tr.* 12. *res.* 18.) quâuis enim grauior sit incestus cum matre, aut filiâ, quàm cum nepte; tamen quia ista grauitas auget malitiam intra eandem speciem, non est necessariò explicanda. D. Thom. & 15. (Idem est contumeliis vel odio erga ita coniunctos. Tamburin. & Bordon. *par.* 10. *tr.* 14. *res.* 16.) Incestus tamen cum nouercâ viuente patre habet malitiam specie distinctam, quàm si pater obiisset: etiamsi tunc nouerca alium virum duxisset. Lugo. *p.* 1. *tr.* 7. *res.* 31. *&* *p.* 5. *tr.* 4. *res.* 67. *&* *p.* 5. *tr.* 14. *res.* 56. *&* *p.* 9. *res.* 21. *&* *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 63. Consanguinitatem etiam non esse necessariò distinguendam ab affinitate: eò quòd vtraque malitia sit eiusdem speciei, docet Caietan. & 5. Licèt id neget. Nauarr. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 234. *&* *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 13.

XXXIII. Episcopus, & Generalis alicuius Religionis si fornicentur, non tenentur explicare istam circumstantiam dignitatis, nisi fornicatio illa esset publica, vt scandalum pareret; tunc enim peccatum haberet specialem malitiam ex statu. Sanchez & 5. Quidquid Nugnus velit Episcopum in omni peccato mortali, etiam interno, teneri circumstantiam status sui explicare. *par.* 1. *tr.* 7. *res.* 6. *&* *p.* 12. *tr.* 1. *res.* 98.

XXXIV. Confessarius qui carnaliter cognouit pœnitentem non tenetur hanc circumstantiam explicare; quia notabiliter tantùm aggrauat, nec speciem mutat; Sacramentum quippe pœnitentiæ non inducit propriè cognationem spiritalem. Pontius & 7. Et quamuis teneretur illam explicare, non tamen eodem modo si peccasset cum viro filio confessionis; quia canones de solis feminis a-

gunt. Pontius & 2.*p.*1.*tr.*7.*ref.*12.*&* 56.*&* *t*.2.*tr.*17.*ref.*11. *&* *p*.5.*tr*.14.*ref.*110. Contrarium tamen eſt dicendum, ſi peccauit cum pœnitente, vel in ipsâ confeſſione, vel proximè ad illam; propter iniuriam contra Sacramentum. Hurtad. & 2.*p*.4.*tr.*5.*ref.*34.

XXXV. Reliquias ſacras dare amaſiæ ex gratitudine aut beneuolentiâ, non autem vt pretium actus (tunc enim eſſet ſacrilegium) non eſt circumſtantia explicanda. Filliuc. ſicut nec illarum geſtatio in actu venereo. Sanchez & 6. Quod tamen non auderem extendere ad geſtantem reliquias S. Crucis, clauorum, vel ſpineæ coronæ propter contactum phyſicum corporis DOMINI noſtri: & multo minus ſi quis occultè ſecum deferret Sac. Euchariſtiam. Lugo & Dicaſtill. Imò in hoc caſu Sac. Euchariſtiæ videtur irreuerentia grauis, ſi quis interim vacaret detractationibus, periuriis, aut ludis minùs decentibus vt chartarum, vel alearum. Dicaſtill. Et hæc omnia eadam videntur etſi quis non peccaret cum complice, ſed ſe v.g. pollueret. Imò idem videtur ſi Parochus deferens ſacrum oleum in itinere fornicaretur. *p*.1.*tr*.7.*ref*.18.*&p*.3.*tract*.4.*ref*.67.*&p*.11. *tr*.8.*ref*.58.

XXXVI. Si quis fornicaretur ſtatim poſt ſumptam Euchariſtiam, deberet hanc circumſtantiam in confeſſione explicare. Lugo & 2.*p*.11.*tr*.8.*ref*.59.

XXXVII. Qui furatur propter fornicationem, non tenetur dicere ſe commiſiſſe furtum vt fornicaretur, ſed ſufficit ſi dicat, *furatus ſum*; & poſteà ſubiungat, *habui intentionem mœchandi*: quia malitia illius finis non eſt diuerſa ab ea, quæ reperitur in intentione mœchandi. Nauarr. & 2. Quando autem finis intentus non eſt malus vt cum quis ſacrum omiſit propter ſtudium, nihil de illo eſt explicandum. Vaſquez & 4.*t*.1.*tr*.7.*ref*.23.*&* 62.

XXXVIII. Qui confeſſus eſt peccatum, oblitus alicuius circumſtantiæ, ſatisfacit ſi poſteà ſolam circumſtantiam confiteatur ſi commodè poteſt ſeparatim explicari: v.g. qui furatus eſt calicem Eccleſiæ, & ex obliuione dixit

tantùm se furtum commisisse; in proximâ confessione satisfaciet, si solum sacrilegium accuset. Suarez & 3. *Ibid. resol.* 45.

Comitia, seu Parlamentum Regni Siciliæ, & Neapolis.

I. DOnatiua quæ à Sereniss. Rege Siciliæ exiguntur tertio quoque anno, ad subueniendum necessitati regni, sunt veræ impositiones necessariæ, & iustę. Suarez & 4. Quando autem dubitatur de iustitiâ donatiui, consulendi sunt Theologi qui liberè veritatem declarent. *p.* 1. *tr.* 3. *res.* 1. *&* 32.

II. In comitiis credendum est Regi affirmanti se esse in necessitate, nisi moraliter constet de contrario. Menoch. *Ibid. res.* 11.

III. Quando Vasalli, & Communitates sunt multum oneratæ tunc potest Princeps suspendere pensiones, & concessiones, ipsasque etiam tollere; quia publicum commodum priuato est anteferendum. Aponte & 4. *Ib.d.reso.* 14 *& p.*3.*tr.*5.*res.*78.

IV. Non potest Rex imponere noua tributa regno Siciliæ ob causas necessarias de iure communi tantùm: propter priuilegia ei concessa. Et benignissimè in hoc cum eo regno agendum est; quia non armis partum est, sed sponte se subdidit Regi Petro. *p.*1.*tr.*3.*res.*15.*&* 31.

V. Si populus onus tributi ferre non potest, non tenentur Barones & regni proceres contribuere; quia tenentur ad seruitium militare. Valenzuola. *Ibid. res.*26.

VI. Sufficit maiorem partem conuocatorum consentire in donatiuum. Sed in Siciliâ debet necessariò semper concurrere brachium Ecclesiasticum. *Ibid.res.*27. *& p.*3.*tr.*5.*res.*78. Donatiuum tamen per aliquot annos duraturum, non potest nunc pro tunc ad alios annos prorogari, propter incommoda quæ interuenire possunt. Valenzuola. *p.*1.*tr.*3.*res.*24.

VII, Conuocati ad Comitia Prouincialia, non possunt donatiuum offerre Proregi sine licentiâ Regis:& quando offertur etiam cum licentiâ Regis, debet fieri ex consensu omnium congregatorum, nec sufficit consensus maioris partis. Barbosa & 4. *Ibidem resol.* 29. *& par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 78.

VIII, Exteri in Parlamento rarò sunt inter Regnicolas admittendi,aut ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas:quia indigenæ maiorem curam gerunt suarum Ecclesiarum, & magis in iis resident, quam exteri. Barbosa & 18. *p.1.tr.3.res.6.*

IX, Etsi in rigore possent plures vniuersitates, & Barones regni constituere vnum aut alterum procuratorem quos nouerint esse timoratæ conscientię, vt intrent in Parlamentum, atque ita vnus multorum nomine posset interesse, tamen communiter hoc reputandus est abusus, atque ita exterminandum. Aponte. *Ibid.resol.*7. *& p.*3.*tract.* 5.*reso*.78.

X. Procuratores in Comitiis non debent sedere eo loco,quem eorum Barones occuparent,si adessent. Aponte, *p.1.tr.3.res.28.*

XI. Procuratores Communitatum, & alij intrantes in Parlamentum,debent proponere id quod spectat ad commune bonum, licet ab eo qui præest non proponatur. Molfes.*Ibid.res.*9.

XII. Qui intrat in Parlamentum tamquam Procurator, non debet rogatus substituere alium procuratorem, quia hoc cedit in damnum regni.*Ibid.res*,8.

XIII. Quoad iustitiam donatiui vel tributorum possunt sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori. Sancius & 9.(Quamuis alij id negent.Vasquez & 6.)Hinc qui ingreditur Comitia vt Baro,& vt Procurator alicuius Communitatis, si habet rationes probabiles in vtramque partem, potest dare suffragium affirmatiuum, & negatiuum : id tamen rarò contingit. Aponte. *Ibidem resol.* 20.& 10.

XIV. In Comitiis seu Parlamento postquam numerus sufficiens suffragatus est pro re iniustâ, si quis posteà pro eâdem re det suffragium, peccat quidem mortaliter. (Etsi contrarium non improbabile dicat Thom. Hurtad) sed non tenetur ad restitutionem: quia non cooperatur ad damnum. Vasquez & 14. Idemque est de electione indigni ad beneficium. Qui verò priore loco sententiam dixit pro re iniustâ, tenetur damnum resarcire cuius est causa, etiamsi sciret sequentes in eamdem sententiam ituros. Vasquez & 8. *Ibid. res.* 16. *&* 17 *&* *p.* 11. *tr.* 4. *res.* 5.

XV. Quando per occulta suffragia lata est iniusta sententia, & dubitas an tuum suffragium fuerit efficax causa damni, an verò ex posterioribus, post sufficientem iam numerum ad concludendum; etsi peccasti, non teneris restituere; quia es in possessione. Gordon. *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 63.

XVI. Qui subscribit sententiæ à maiori parte Comitiorum conclusæ, cùm ipse contrarium suffragium dederit, si sententia euidenter est iniusta, peccat mortaliter. Maderiaga. *p.* 1. *tr.* 3. *res.* 30.

XVII. Quando quis certò scit in Comitiis pro re iniustâ concludendum à maiori parte, potest illo die abesse à Comitiis, nisi speret suum suffragium profuturum. Ledesm. & 2. At quando omnium suffragia debent concurrere ad concludendum, nullus potest abesse: quia potest vnus suo calculo iniustam conclusionem impedire. Garsias & 4. *Ibid. res.* 18. *&* 19.

Concionari.

I. Non est peccatum, concionari in peccato mortali occulto, sed tantùm in publico: quia actus concionandi non est consecratus, neque ex suâ naturâ, neque ex institutione Ecclesiæ, neque certo Ordini deputatus. Idem dicendum est de Lectore sacræ Theologiæ, & scripturæ, etsi sit in peccato publico, modò absit scandalum, Suarez & 3. Quidquid in vtroque hoc contrarium asse-

rat D.Thomas & 3.*p*.3.*tract*.4. *resol*. 197. *& par*. 7.*tract*.3. *resol* 14.

II. Qui fine licentiâ concionantur, peccant mortaliter tam Regulares, quàm sæculares. Caietan. & 3. Sed si tantùm semel id facerent,forté esset materia parua. *par*. 8. *tr*.7.*res*.11. Non est tamen necesse Regulares approbari ab Episcopo in ordine ad conciones. Barbos.& 3.*p*.4.*tr*.4.*res*. 22.Quin & contradicente Episcopo concionari possunt in suis Ecclesiis,modò non concionentur illâ horâ qua Episcopus concionari voluerit.Barbos.& 2.*p*.3.*tr*.2.*res*.58. Et externis,etiam laicis concedere vt in iisdem concionentur. Baldell.*p*.9.*tr*.9.*res*.68.Dum autem Episcopi licentiam illis concedunt vt in alienis Ecclesiis concionentur, non habent ius ipsos examinandi iuxta Tridentinum. Henriquez & 10.Praxis tamen est in contrarium,quæ canonisata est à Sac.Congreg.Barbos.& 2.*p*.3.*tr*.2.*res*.111.*& p*.6.*tr*. 8.*res*.20.*& p*.9.*tr*.9.*res*.42.*& p*.11.*tr*.2.*res*.29.

III. Tenentur Regulares benedictionem petere ab Episcopo vt concionentur etiam in suis Ecclesiis quouis tempore,& non solùm tempore Aduentûs & Quadragesimæ:etsi id neget Bordon. & Bruno, Possuntque Episcopi illam negare si nolint coram se emittere professionem fidei Gauant.& 4.*part*.7.*tract*. 12.*resol*.24. *& part*.11.*tract*.2. *res*.1.

IV. Si Religiosi concionentur in suis Ecclesiis sine Episcopi benedictione,vel in alienis sine eiusdem licentiâ, possunt ab eo vt delegato Sedis Apostolicæ puniri etiam per censuras,ex constitut.Gregorij XV. Gauant. & 2. Sed alij hanc reuocatam docent ab Vrbano VIII.Anno 1625. Quam tamen reuocationem quidam putant solùm localem pro diœcesi Giennensi in Hespaniâ *p*.7.*tr*.12.*res*.25.*& p*.3.*tr*.2.*res*. 111.

V. Episcopos non posse suspendere licentiam prædicandi Regularibus concessam, nisi in casibus à iure expressis (qui sunt si concionentur falsa vel dubia miracula si prophetias non fundatas in scripturâ,si in concione a-

gant contra Episcopum, aut alios superiores, aut si concionentur propositiones hæreticas, erroneas, vel scandalosas) docet. De Bellis. Sed in praxi Episcopi contrarium obseruant. *p.7.tr.12.res.30.*

VI. In historiâ aliquâ Sac. Scripturæ mutare aliquam circumstantiam, & proponere illam tamquam à Deo reuelatam, etsi expressè contrarium interiùs scias, non esse mortale, docet Arriag. Sed alii viri docti dissentiunt. *p.10. tr.16.res.38.*

VII. Possunt Fratres Prædicatores & Minores, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, concionantes in suis domibus, concedere auditoribus suis 18. annos & 320. dies indulgentiarum. Extra suas vero Ecclesias 18. annos & 222. dies tantùm. Tempore verò Quadragesimæ in suis domibus feriâ 2.4 & 6. annos 156. & 24. dies. Debent tamen illas indulgentias expressè concedere nomine suæ Sanctitatis, aliàs essent nullæ. Rodriquez & 2.*par.* 4. *tract.* 4.*resol.*22.

VIII. Eleemosyna danda Concionatori, vel eius sustentatio in ciuitate in qua est Episcopatus, debet præstari ab Episcopo: aliàs debet ab omnibus iis qui in eâ parochiâ decimas percipiunt. Papon. & Mynard. nisi contraria sit consuetudo. Riccius. *p.3.tr.5.res.71.*

Confessarius.

I. Quilibet sacerdos vi suæ ordinationis iure Diuino accipit completam potestatem absoluendi à quibusuis peccatis quosuis Christianos qui se sponte huic iudicio submiserint, modò ab Ecclesiâ non prohibeatur. Amic. *p.8.tr.1.res.84.*

II. Confessarium præsertim Regularem, si numquam aliorum confessiones audiat, peccare mortaliter docet Bordon. Sicut si sacerdos numquam celebraret. Sed contrarium est verius, nisi ab extrinseco ex debito obedientiæ, vel caritatis obligetur. Auersa. *p.8.tr.7.res.90.*

Approbatio necessaria.

III. Confessio facta simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo est inualida,etsi bonâ fide fiat. Lugo & 8. Et quod contra docet Armacan.& 3.reiicitur vt improbabile,imò vt erroneum.D.Thom, & 7. Imò neque Prælati Religionum,sine approbatione Ordinarij , possunt sæcularium confessiones audire : etiam virtute Bullæ, vel iubilæi. Suarez 13. Quamuis contrarium affirmet Bossius & 8, Neque Licentiati in Theologiâ, vel iure canonico. Etsi plures id doceant. Bannez & 4. Imò neque Cardinales possunt quorumuis confessiones audire sine approbatione,etsi hoc affirmet Hurtad. ratione dignitatis eorum. *p.5.tr.12. res.52.& p.6.tr.6.res.52.& p.2.tr.16. res.44. & par.8. tract.1.res.90.&86.&p.10.tr.14.res.6.&p.11.tr.2.res. 12.& 52.& tr.4.res.13.& 14.*

IV. Religiosos B. Ioannis à Deo vulgò *Bonfratelli*, vel alios Regulares gaudentes priuilegiis Mendicantium posse in suis hospitalibus confessiones infirmorum audire,etsi ipsi non sint ab Episcopo approbati,docet Bordon: eò quòd omnes personæ de familiâ Religiosorum quoad sacramenta subdantur Prælatis Regularium iuxta Tridentinum *sess. 25. c. 11.* Sed est nimis laxa acceptio familiæ, de qua solùm censentur qui verè sunt de familiâ & continui commensales.Gauant.& Auersa,vt sunt famuli vel alumni.Lezan & 2.Sed etiam quoad hos inuenio difficultatem propter bullam Vrbani VIII. ideò tu cogita *p. 8. tr. 7. res. 95, & p. 11. tr. 4. res.14.*

V. Quemlibet simplicem Sacerdotem sine approbatione Episcopi, posse absoluere etiam à mortalibus in priori confessione per obliuionem omissis,docet Valerus : an probabiliter,alij iudicēt.*p.2.tr.16.res.44.* Saltem à venialibus & mortalibus aliàs confessis,quilibet potest absoluere. (Quidquid reclamet Faber, & Ludou: à Cruce.) Sed hoc tamen non est à iure Diuino vt docet.Vasquez & 6.

Sed ex concessione Ecclesiæ. D. Thomas & 8.Vnde eam potestatem Pontifex auferre posset.*p.5.tr.14.res.76.& p.8. tr.1,res.96.& 55.*

VI. Non obstante Concilii Tridentini decreto, posse Parochum ad excipiendas confessiones exponere simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, docent nonnulli.Ledesm.& 7. Sed hoc est practicè improbabile. Suarez & 5. Idem est etsi aliqui s esset approbatus in aliâ diœcesi; non est enim probabile posse propterea censeri vbique approbatum,& assumi, repugnante decreto Innocentii X. in causam Angelopolitanâ.Imò idem erat etiam antè ex vi decreti Vrbani VIII.Anno 1628.Etsi plures doceant posse tunc à Parocho vel Superiore Regularium tales assumi ad confessiones alibi audiendas sine nouâ approbatione. Coninc & 2.Quod saltem verum est si quis alibi beneficium parochiale habeat. Suarez & Vasquez. *p.3.tr.4.res 146.110.&160.&p.10.tract.16.resol.75.&p.11. tr.4.res.13.*

VII. Quando multæ sunt confessiones audiendæ, vt in hebdomadâ sanctâ.vel Iubilæo, posse Parochum approbare Sacerdotem doctum,si non sit facilis recursus ad Episcopum,docet Henriquez & 3.Sed hoc in praxi non videtur admittendum,cum apertè repugnet Tridentino Trullench.*p.5.tr 12.res.48.& p. 10.tr.16.res.75.*

VIII.Qui habet generalem facultatem eligendi Confessarium, non potest eligere non approbatum. Suarez & 3. Aliud est in Regularibus ad quorum confessiones non requiritur approbatio.Sotus & *5.p.11.tr.5,res. 30.*

IX. Qui habuit facultatem eligendi Confessarium pro vnicâ vice, potest postea eidem iterum confiteri peccata oblita.Dicastill.sicut potest postea absolui à reseruatis qui tempore Iubilæi in confessione ea per obliuionem omisit.*p.11.tr.8.res.28.*

X. Qui Religionem proximè ingressurus est, potest absolui à sacerdote qui solū approbatus est à Prælato Religionis,sicut potestNouitius.Pellizzar.& 2.*p.11.tr.4.res.16.*

XI. Probabile est, Religiosos iniustè ast Episcopo non approbatos, posse nihil ominùs confessiones audire; quia ipso iure approbantur in *Clem. ntmâ Du dum, de sepult.* quem Concilium Tridentinum non videtur reuocasse. Fagund. & 22. Sed contrarium est probabilius. Vasquez & 11. Et illud priuilegium *Clementinæ* vix potest in praxi esse vsui, propter limitationes cum quibus concessum est Ita Lugo. *p.3.tr.2.res.24.& p.5.tr.13.res.45.& p.6.tr.7.res.60.& p.8.tr.1.res.85.& p.11.tr.2.res.12, & 19. & tr. 4. res. 14.*

XII. Non potest Episcopus Regularibus approbationem negare ex eâ causâ quod dicat se habere superfluitatem Confessariorum; cum illi per sua priuilegia sint quasi Parochi fidelium à Pontifice ad tale ministerium delegati Vasquez & 4. *p.11.tr 8.res.27.*

XIII. Possunt Episcopi ex iustâ causâ restringere Religiosorum approbationes ad audiendas confessiones virorum tantùm. Suarez & 10. Quòd si tamen limitatio careret iustâ causâ, esset inualida. Henriquez & 7. Nec ordinariè saltem adest talis causa, cùm passim clerici 24. annorum per beneficium parochiale sine vllâ limitatione approbentur. Villalob. & *4.p.3.tr.2.res.25.& p.4.tr. 4. res. l. 200.& p.11.tr.2.res.19.* Contrarium tamen verius videtur quia siue iustè, siue iniustè limitetur, talis non est pro illo tempore, vel ad tales confessiones approbatus. Lugo & 13. *p.6.tr.7.res.61.& p.8.tr.1.res. 85.* Quoad Regulares autem non permittitur Episcopo aliud examen nisi super litteraturâ iuxta Concil. Lateranense & Leonem X. Vnde non possunt eorum approbationem limitare ob defectum ætatis, aut suspicionem in moribus v. g. vt non audiant confessiones feminarum ante annum 40. Dicastill. & 7. *p.11. tr.8.res.27.*

XIV. Nouus Episcopus, vel etiam idem potest approbationem à se vel suo prædecessore Regularibus vel Parochis concessam suspendere, & de nouo illos examinare. Sancius & 2. Quamuis nonnulli contrà sentiant quoad Parochos. Homobon & 2. (Etsi meliori ratione quoad Re-

gulares; nam Bulla Pii V. reuocata probabiliter est per Bullam Gregorii XIII. Vasquez & 3.*p.11.tr.8.ref.52.*) Sicut non potest id facere Capitulum sede vacante, vel eius Vicarius, ob peculiare Regularium priuilegium. Fagundez & Bordon. Quidam tamen negant Episcopum id posse, saltem generaliter quoad omnes. Villalob. Quod si reuocet sine iustâ causâ, inualidè id faciet, nisi ab initio concesserat solùm *ad beneplacitum* Lugo & 2.*p.3.tr.2.ref.27.& par.4.tract.4.ref.59.& p.6.tract.7.ref.62.& p.8.tr.4. ref.48. & tr. 7. ref.94.*

XV. Potest Episcopus sine examine admittere ad confessiones audiendas, quos nouerit idoneos. Coninc. & 3. contra Nouar. Posse tamen tunc Episcopum sine causâ eam licentiam reuocare, eò quòd fuerit priuilegium planè gratiosum, docet Bordon. & 4.*p.7.tr.11.ref.33.*

XVI. Religiosus à Prælato suo non præsentatus, potest ab Ordinario approbari, & de eius licentia confessiones sæcularium audire, & virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ eligi: quia in eo reperiuntur omnia requisita approbatio scilicet, & iurisdictio. *in Addit.3.p.ref.7.*

XVII. Non potest Episcopus approbationem semel concessam ad confessiones audiendas, reuocare sine iustâ causâ, & quidem nouâ, & pertinente ad ipsas confessiones, aut ob non seruatum interdictum ad ipsis Ordinariis positum. Ex decreto Sacræ Congregationis; quamuis quoad sæculares sacerdotes id affirmet Turrian. & 3. Item non potest debitè præsentatum & examinatum, reiicere; quia potestas illi data est in ædificationem; & hæc reuocatio, vel reiectio est nulla. Suarez & 5. Quòd si concessa esset *ad beneplacitum*, posset pro libitu reuocari. Barbos. & Lugo. Quod tamen negat Fagund. & 4 Probabile est approbationem etiam sic concessam, non expirare morte concedentis: quia etsi in rigore iuris id deberet fieri, cum per mortem cesset beneplacitum, communiter tamen illud intelligitur, quasi diceret; *donec reuocauero.* Castrop. *p.3.tr.2.resol.22.& 26.& par.4.tractat.4.resol.200.& par. 5.*

*tract.*14.*resol.*21.& *p.*6.*tract.*6.*res.*48.& *p.*8.*tr.*7.*res.*74.& *p.*11.*tr.* 4. *res.* 15.

XVIII. Qui ad solas virorum confessiones approbatus est, non autem mulierum, potest nihilominus eligi privilegio Bullę, non solùm à viris, sed etiam à feminis, quia hic Confessarius est simpliciter approbatus; illa enim limitatio non apponitur ex defectu scientię, sed ętatis. Henriquez & 5.*p.*1.*tr.*11.*res.*9.

XIX. Ad valorem huius approbationis sufficit quod Episcopus exteriùs illam det, etsi iudicaret non esse idoneum, imò etsi interiùs nollet approbare; fit enim per modum sententiæ iudicialis. Lugo & 3. Etsi id neget Bonacin.& 2..*p*11.*tr*..4*res*.17. Neque est necesse approbationem vel licentiam habere in scriptis. Reginald.& 2.*par.*5.*tr.*14. *resol.* 41.

XX. Confessarius approbatus à quocumque Episcopo. seu Ordinario, potest per Bullam vel Iubilæum vbique confessiones audire, absque nouâ Ordinarij loci approbatione, & potest à quocumque eligi: Bulla enim aliud non requirit, nisi vt Confessarius sit ab Ordinario approbatus. Henriquez & 11. Idemque dicendum de habente beneficium curatum, quia talis per Concil. Trident. est absolutè approbatus. Suarez & 8. Nullibi tamen eligi potest qui Episcopus, vel Parochus beneficio suo cessit, vel priuatus est. Barbos.& 5. Etsi contrarium etiam probabile sit. Villalob.& 8. Quæ vera sunt etiam in Regulari qui à suo Prçlato prohibitus est audire confessiones. Salas & 7. Neque peccabit mortaliter sic absoluens, nisi ex vi suarum constitutionum obligetur ad peccatum mortale. Molfes. & Megal.*p.*1.*tr.*11.*r.*5.7.8.&13.&*p.*5. *tr.*12. *resol.*47.53.& 50. & *p.*11. *tract.*4.*resol.*8.

XXI. Confessarius in vno tantùm oppido ob defectum scientiæ approbatus, non est per Bullam eligibilis; quia est approbatus cum restrictione propter insufficientiam, vt qui est approbatus ad audiendas confessiones puerorum, & rusticorum tantùm. Rodriquez & 2. Contrarium

tamen est probabile. Bossius & 4.*p.*1.*tr.*11.*res.*10.*&* *part.*5. *tr.*12.*res.*49.

XXII. Qui ad certum tempus est approbatus, transacto illo tempore per Bullam est eligibilis etsi posteà ab Ordinario reprobetur, modò constet id non esse factum ex propriâ culpa, vel ex crimine inducente infamiam, sed ex maleuolentiâ Ordinarij, seu Officialis, aut in pœnam alicuius inobedientiæ. Acosta.*p.*1.*tr.*11.*res.*11.*&* 12.

XXIIIi Confessarius in vnâ diœcesi approbatus, potest aliquem illius diœcesis absoluere extra territorium: cùm enim eiusmodi confessarij habeant iurisdictionem in personas pœnitentium, non est habenda ratio territorij. Suarez & 14.*p.*3.*tr.*4.*res.*144.*&* *p.*10.*tr.*14.*res.*39. Quando tamen Confessarius approbatus v.g. Romæ transfert domicilium Neapolim; non potest ibi absoluere Romanos sine nouâ approbatione Episcopi Neapolitani. Lugo.*par.*11. *tr.* 4. *resol.* 16.

Iurisdictio.

XXIV. Vt possit Sacerdos validè confessiones audire. sufficit ratihabitio de præsenti: est enim consensus tacitus & interpretatiuus, qui sufficit. Sanchez & 8.*par.*3. *tract.* 4. *resol.*68.

XXV. Etsi in *cap. placuit* permittatur in casu ignorantiæ proprij parochi confiteri alieno Sacerdoti, sine licentiâ proprij: non tamen potest quis tunc confiteri non approbato ab Ordinario: imò neque non habenti aliàs iurisdictionem v.g. parocho alieno, si adest alius qui poterat etiam aliàs saltem per priuilegium absoluere. v.g. Regularis. Hurtad. & 3.*p.*8.*tr.*1.*res.*86.

XXVI. Facultatem audiendi confessiones delegat Pontifex duraturam in perpetuum: Episcopi verò pro suâ tantùm vitâ. Amic. Sed contrarium probabile docet Suarez & Nauarra. Confessarius autem ipsius Papæ vel immediatè à Christo accipit iurisdictionem (Oparou.) vel ex potestate generali absoluendi quam habet iure Diuino

absoluit sponte se submittentem (Amic.) vel accipitt eam ab ipso Papa Præpos. *p.*8.*tr.*1.*res.*83.

XXVII. Quando sacerdoti data est facultas audiendi confessionem alicuius particularis, non expirat ea morte concedentis, etsi res sit integra siue nondum cæpta confessio. Pontius & Escobar. Multo magis hoc locum habet quando ipsi pœnitenti talis facultas concessa est; quia tunc est gratia ipsi facta. Suarez & 2. Idem est de facultate recipiendi Ordines extra tempora, comedendi carnes diebus vetitis &c. *p.*11.*tr.*7.*res.*7.

XXVIII. Si proprius Pastor iniusté deneget alicui licentiam confitendi alteri, tamen confessio alteri facta est valida Henriquez & 6. Si quis tamen in Paschate non potest sine periculo salutis & famæ proprio Parocho confiteri, & non vult Parochus illi concedere facultatem alteri confitendi; non violat præceptum Ecclesiæ si non confiteatur; quia est etiam probabile non posse alteri confiteri Layman & 8. atque ita potest se gerere vt non habens copiam Confessarij, & eliciendo actum contritionis, potest ad Eucharistiam accedere. *p.*3 *tr.*4.*res.* 79.

XXIX. Confessarius sæcularis vnius diœcesis potest absoluerere pœnitentem alterius diœcesis à casibus ibi reseruatis, modò id non fiat in fraudem proprij Ordinarij; quilibet enim iudicandus est iuxta forum loci in quo est. Henriq. & Villalob. *Ibid.res.*103.

XXX. Confessarius concubinarius potest audire confessionem suæ concubinæ, nisi interueniat periculum vel noui consensûs, vel defectûs doloris: imò aliquando poterit hoc esse expediens. Sancius & Pontius. *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 110.

XXXI. In Sacramento Pœnitentiæ quando dubium est de iurisdictione Sacerdotis, licitum est sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Sanchez & 5. Contrarium tamen in praxi sequendum est. Quando verò non sunt rationes, sed ambiguus hæret annimus, non potest Sacerdos absoluere nisi vrgente necessitate, idque cum one-

re eadem peccata iterum confitendi Sacerdoti habenti certam iurisdictionem. Suarez & 4. Quamuis illud onus neget Salas. *p.4.tract.4.resol.4.& tract.3. resol.38.& p.9. tr. 7. resol. 59.*

Obligationes Confessarij.

XXXII. Quando Confessarius videt aliquem sine sufficienti examine accedere, plerumque meliùs faciet eum examinando, quàm dimittendo. Neque tenetur exactissimè examinare, cum nec pœnitens ad tale examen teneatur, sed ad suaue & humanum, & tale quo Sacramentum non reddatur nimis onerosum. Lugo & 2.*par.*10. *tract.*14. *resol.* 31.

XXXIII. Cautè admodum se gerere debent Confessarij, quando de quibusdam peccatis interrogant, maximè feminas: præstat enim aliquando minùs perfectè peccatum pœnitentis cognoscere, quàm vel illi, vel sibi scandalum creare. Coninc. & 3. *p.* 3. *tr.*4.*res.*99.

XXXIV. Non licet Confessario interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad ipsius correctionem, quia finis Sacramenti Pœnitentiæ est iustificatio pœnitentis, non emendatio complicis. Malder. & 10. *Ibid. res.* 113.*& p.5.tr.*11.*res.*39.*& p.7.tr.*3.*res.*34. Posset tamen esse casus, quo Confessarius absolutionem meritò negaret, nisi complex indicaretur. Lugo & Medin. *p.*6.*tr.*7.*res.*2. Vnde non spectat ad casus Inquisitionis, etsi Confessarius nollet absoluere pœnitentem, nisi reuelet complicem: quia etsi hæreticum sit asserere, licere infamare proximum, disputatur tamen an illa censenda sit infamatio. Villalob. & 2.*part.* 4.*tract.*8. *resol.* 97.

XXXV. Tempore pestis potest Confessarius timens infectionem non integram confessionem audire. Suarez & 6. Imò teneretur id facere quando aliàs non posset ceterorum confessiones audire, vt in bello vel simili casu. Vasq. *p.*5.*tr.*3.*res.*74.

XXXVI. Si Confessarius intelligat pœnitentem labo-

tare ignorantiâ inuincibili, vel saltem mortaliter non culpabili, & nullum speret fructum ex admonitione, sed potiùs animi inquietudinem, rixas, vel scandala, dissimulare debet, & cauere ne dum à pœnitente interrogatur, plus respondeat quàm interrogatur. Sanchez. 6. *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 80.

XXXVII. Quando Confessarius scit certò pœnitentem commisisse peccatum, & non esse confessum, non debet illum absoluere: quia non est applicanda forma Sacramenti subiecto non disposito. Suarez & 4. Contrarium tamen docet Megal. ideò quòd persuadere sibi possit pœnitentem fortassis iustam ob causam illud negare. *Ibidem resol.* 105.

XXXVIII. Confessarius quicumque tenetur sequi pœnitentis opinionem probabilem, licet illam ipse iudicet falsam, modò inter Doctores probos probabilis habeatur. Suarez & 12. Et peccat mortaliter si nolit absoluere, quando de mortalibus fit confessio. Sanchez & Sancius. *p.* 2. *tr.* 13. *resol.* 11.

XXXIX. Quando prior confessio fuit inualida, si in posteriori Confessarius saltem confusè statum pœnitentis recordetur, non tenetur pœnitens priora peccata repetere. Vasquez & 3. Quòd si ne in confuso quidem recordetur, sed tantùm sciat sibi fuisse confessum, & ita absoluat, valida erit absolutio; peccabit tamen Confessarius, quia sic non potest rectè suo munere fungi in pœnitentiâ imponendâ. Layman. & 2. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 123. & *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 203. Sed iam puto etiam sine peccato id posse facere: ex Granad. & Leand. Quod Fertantin. conatur extendere, etsi confessio fiat diuerso Confessario. Sed hoc singulare est & refellendum. *part.* 5. *tract.* 14. *res.* 51. & *p.* 11. *t.* 6. *resol.* 60. & *tr.* 8. *res.* 41.

iXL. Quando Confessarius absoluit ab aliquo casu reseruato vel aliter non habens iurisdictionem, si pœnitens credit se fuisse validè absolutum, secundùm quosdam non est quòd posteà Confessarius laboret; cùm enim fuerit

pœnitens absolutus ab omnibus peccatis, fuit etiam indirectè absolutus à reseruatis per infusionem gratiæ. Valerus & 2. Sed contrarium est probabilius. Granad. & 2. Quod si absolutio ex eo defectu fuisset planè inualida, tenetur pœnitentem de hoc admonere, quando hic esset in periculo moriendi sine aliâ confessione. *p.2.tr.15.res.60. & p.11.tr.4.res.9.*

XLI. Si Confessarius auditâ confessione per inaduertentiam non absoluit aliquem, nec possit eum reuocare, debet eum absoluere si est præsens licet aliquantum remotus. Ochagau. *p.5.tr.13.res.56.* Quando vero ex negligentiâ etiam culpabili non interrogauit pœnitentem de circumstantiâ necessariâ ad integritatem confessionis; non tenetur posteà de eo defectu pœnitentem monere petitâ ab eodem licentiâ: sed tunc solùm ad hoc tenetur quando defectus versaretus circa substantiam & valorem Sacramenti Filliuc. & *2.p.2.tr.15.res.7.*

XLII. Confessarius qui ex ignorantiâ etiam vincibili, non obligat pœnitentem ad restitutionem, non tenetur ipse restituere, modò pœnitenti obligato restituere non dicat vt non restituat, vel cogat restituere cùm non teneatur. Suarez & 8. *Ibid. tr.16.res.1.*

Confess. audiens in peccato.

XLIII. Qui successiuè & sine notabili interruptione multorum confessiones excipit in statu peccati mortalis, vnum tantùm peccatum committit, & sufficit vt dicat quando confitetur; *Administraui Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali* Fagund. & 3. Idem est de Episcopo plures confirmante in peccato mortali. Contrarium tamen quoad vtrumque est probabilius. Dicere autem nullum peccatum probabiliter committi etsi confessio, vel alia Sacramenta ministrentur in statu peccati mortalis, vt dicit Vidal, est omnino improbabile, & iussu Inquisitionis Hispaniæ deletum in operibus Llamas. Sed si sacerdos eliciat actum contritionis, antequam absoluat, non administrat

Sacramentum in peccato mortali. Nec peccat incipiendo sic audire confessionem cum proposito pœnitendi, antequam absoluat. Henriquez & 2.*p.*1.*tr.*7.*res.*43.*&* 47.*& p.* 3. *tr.*4.*resol.*67 *& p.* 5. *tract.*7. *resol.*7.*& p.*9.*tract.*7. *resol.* 58. *& p.*10.*tract.*16.*res.*28.

XLIV. Licet accipere Sacramenta à Sacerdote existente in peccato, si illum inuenio in loco publico excipientem confessiones, etsi possem accedere ad alium; quia hoc non est inducere ad peccatum, cùm ipse se offerat. Ledesm. & 6. Imò hoc videtur verum, etsi esset excommunicatus, nec adesset qui illum posset absoluere; quia etsi tunc non videatur posse nisi malè Sacramentum ministrare, potest tamen quantum est ex vi censuræ, si à me rogetur, idque ex vi Concilij Constantiensis, ideoque tunc non fiet irregularis. Sanchez & 3.*p.* 3.*tract.*4.*resol.*59. *& p.*4.*tract.*4.*resol.*21.*& par.* 5.*tract.*7.*resol.*4.*& tract.*9. *resol.* 133.*& p.* 7.*tract.*12.*res.*33.

Vide. *Absolutio.*

Confessariorum in confessione sollicitantium denuntiatio.

I. Confessarius ad turpia sollicitans in confessione (non autem si fiat in administratione aliorum Sacramentorum v. g. baptismi. Castropal.&8.) denuntiandus est Inquisitoribus, etsi nullo modo de tali crimine sit infamatus. Castropal & 7. Neque in illâ sollicitatione datur paruitas materiæ ob quam possit non denuntiari (Sancius & 5.) v.g.premere manum vel pedem pœnitentis, vel digitos intorquere &c. Bordon.& 2. (Etsi contrarium putet Castropal. & 3.) quia etsi leue sit in genere castitatis, sit tamen graue in genere religionis ob iniuriam Sacramenti. Fagund. & 4.*p.*4, *tract.*5. *resol.*1.16.*&* 5. *& p.*1. *tract.* 4. *res.* 21.*& p.*5.*tract.*5.*res.*9.*& p.*10.*tract.* 14. *res.* 44.*& p.*11. *tract.* 6. *resol.* 53.

II. Non tantum qui feminam in confessione sollici-

tauit, denuntiandus est, sed post Bullam Gregorij XV. etiam qui puerum sollicitauit. Naldus & 3. Imò & seclusâ eâ bullâ: Nec contrarium probabile est; quia à Paulo V. sic est declaratum. Non est tamen obligatio denuntiandi sollicitationem commissam ante editas bullas id præcipientes. *part.* 1. *tractat.* 4. *reso.* 12. & 25. & *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 3. 33. & 40.

III. Si Confessarius à muliere sollicitatus, eius libidini consensit, non est denuntiandus. Sancius & 4. *p.* 1. *t.* 4. *res.* 11. Sed contrarium est probabilius, quia cùm consensus fiat verbis, eo ipso miscet illicitos & inhonestos sermones, quod Bulla prohibet. Fagund. & 2. *Ibid.* & *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 4. & 42. & *p.* 9. *tr.* 9. *res.* 32. Quòd si metu cogeretur ad assentiendum v. g. si minaretur se exclamaturam vim sibi ab ipso fieri, nisi consentiat, non esset denuntiandus, aut puniendus. Sancius & 6. Probabilius tamen puniendus esset pœnâ extraordinariâ sine abiuratione. Sousa. *p.* 4. *tr.* 5 *resol.* 15. & *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 40. Similiter esset denuntiandus qui concubinam suam ex zelotypiâ obiurgaret, quòd alios amet; nam & ij sermones maximè sunt inhonesti. Sancius & Fagund. Etsi id neget Freitas. *p.* 4. *tr.* 5. *res.* 43.

IV. Qui confessario mandat, vt sollicitet pro se pœnitentem, non est denuntiandus: quia verba legis pœnalis non sunt extendenda. Etsi contrarium doceat Riccius & 3. & *p.* 1. *tr.* 4. *res.* 22. & *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 42.

V. Mulier sollicitans confessarium non est denuntianda: quia Bullæ Pontificum in confessarios diriguntur, non in pœnitentes. Sancius & 2. *p.* 1. *tr.* 4. *res.* 23.

VI. Interpres confessionis, etiam Sacerdos, non incurrit pœnas sollicitantium: quia absolutè non est confessarius, sed potiùs ex parte pœnitentis se tenet. Fagund. & 3. *p.* 4. *tr.* 5. *res.* 9. Aliunde tamen subiicitur Inquisitoribus, quod & iniuriam faciat Sacramento, & suspectus videatur in fide Fagund. *p.* 9. *tr.* 9. *res.* 32.

VII. Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi confessiones, sollicitat feminam in confessione, fingens se

habere talem potestatem, ex vi Bullæ est denuntiandus. Sancius & 3. Idem est si, laicus simulans se esse Confessariu n sollicitaret ad turpia; quia saltem hoc fit prætextu & simulatione confessionis. Escobar. *Ibid. & p.1.tr.4.res.17. & p.4.tr.5.res.8.*

VIII. Confessarius sollicitans feminam ad peccata quæ non sint carnalia, non est ex vi Bullæ denuntiandus; quia Pontifex loquitur de sollicitatione ad turpia. Sancius & 8 *p 1.tr.4.res.20.p.4.tr.5.res.17.*

IX. Si pœnitens animo solùm confitendi, se accusauit de voluntate peccandi cum ipso confessario, vnde hic occasionem atripuerit eam sollicitandi, tenetur ipsa confessarium denuntiare. Secùs dicendum putat Bonacinna, si id fecisset animo Confessarium prouocandi ad turpia. *p.4.tr.5.res.20.*

X. Denuntiandus est Confessarius qui in confessione à pœnitente vel domum petit vt eò adducat concubinam, vel pecunias dandas meretrici, vel qui cum pœnitente agit de prostituendâ sibi, vel aliis puellâ consanguineâ, vel amicâ (Sancius & 3.) quia Bulla pœnas decernit Sacerdotibus sollicitantibus pœnitentes ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda. *Ibid. res.12.&45.&p.1.tr.4.res.19*

XI. Si Confessarius & femina ad inuicem se sollicitent, debet ille denuntiari. Sousa & Freitas. *p.4.tract. 5.resol.14.* Quod si Confessarius sollicitatus ad fornicationem consentiat in sola oscula & tactus, probabile est non debere denuntiari. Castrop. Etsi id affirmet Sancius. *Ibidem resol.13.*

XII. Vt debeat Confessarius denuntiari, satis est si verbis vel signis dubiis sollicitet. Sousa, & Peitin. Vel etiam implicitis solùm v. g. laudando pœnitentis pulchritudinem. Barbos & 4. Aut etiam si ex pœnitentiâ à se impositâ nudam verberet. Sousa. Aut si in confessione tantùm tradat chartam posteà legendam, in quâ sollicitet. Sancius & Fagund. Nec excusat etsi statim post sollicitatio-

nem pœniteat eum sollicitasse. Bonacin. & Sanctarel. *Ibid, resol.* 25.18.47.2.*&* 22. Negat tamen Bordon. de eo qui mulieri diceret: *si essem sæcularis, ducerem te vxorem.* De quo tu cogita; cum videantur velde excitatiua ad Venerem. *p. 9, tr. 9. resol.* 32.

XIII. Si Confessarius det mulieri in confessione aliquod donum, non censeri per hoc illam sollicitare, nec esse denuntiandum, docet Bordon. quod tamen affirmat Trimarch. Et hoc videtur verum si donum est magni momenti; secus autem si est minimi valoris. *Ibidem resol.* 34.

XIV. Confessarij etsi non in ipsâ confessione, sed paulò antè, vel pòst; vel qui in confessionario, sine vllâ tamen confessione, sollicitant, fiunt nihilominùs de hæresi suspecti, & debent abiurare. Videtur tamen plerisque hæc suspicio non esse vehemens, sed leuis. Sousa & 3. *p.* 4. *tr.* 5. *res.* 50, *&* 51. *& p.* 10. *tr.* 14. *res.* 41. Ex quo sequitur, tales saltem esse denuntiandos. Henriquez & 15. At si laicus sedeat in tribunali confessionis, ibique per speciem confessionis, feminam sollicitet; non videtur denuntiandus ex vi Bullæ. Quòd si talis etiam absolutionem dedisset, esset hoc titulo denuntiandus. Sanctarel. & Acugn. *p.* 1. *tr.* 4. *res.* 13.14.15, *&* 16. Quòd si Confessarius cum pœnitente ante confessionarium stante vel sedente agens, illam sollicitet, quidam sentiunt non denuntiandum, ex eo quòd ne simuletur quidem tunc confessio: (Sancius & 6.) Sed propter declarationem Vniuersalis Inquisitionis Romanæ non est à contrariâ sententiâ recedendum, *p.* 4. *tract.* 5. *resol.* 38. *& p.* 9. *tr.* 9. *res.* 33.

XV. Si feminâ dicente se non velle iam, sed cras confiteri; Confessarius incipit illam sollicitare, est denuntiandus. Fagund. Etsi contrarium doceat Castropal. & Sancius. Item quando de communi consilio confessionem simulant, vt liberiùs de talibus colloquantur. Sancius. Aut si feminam ad confessionem accedentem ante crucis signum sollicitet, dilatâ in aliud tempus confessio-

ne, aut si id faciat quando ex aliâ iustâ causâ non potest eam absoluere. Sancius. Quia in his omnibus casibus sollicitatio saltem fit in confessionario, & per simulationem, vel occasionem confessionis. *p. 4. tr. 5. res.* 6. 10. 39. 46. *&* 30. *& p. 1. tract. 4. res.* 18.

XVI. Si statim post confessionem ducens puerum ad cubiculum, vt tradat ei chirographum confessionis, ibi eum sollicitet, est denuntiandus, quia iste casus ratione dependentiæ includit confessionem. Castrop. & 3. At quando propter audita in confessione feminam à templo discedentem insequeretur, & sollicitaret, etsi quidam putent denuntiandum, (Lezana & 2.) alij tamen id negant. Ego verò de meo nihil hic assero *p. 4. tr. 5. res.* 11. *&* 7. Quòd si pretextu confessionis ad domum pœnitentis vocatus, etiam ex pacto præcedenti ibi sollicitaret, non est denuntiadus, quia in illo casu prætextus confessionis remotus est à peccato. Freitas. *Ibid. res.* 37.

XVII. Si Confessarius in confessione, vel actu proximo ad illam, arte aliquâ feminam in somnum, vel paroxysmum induceret, & sic illam cognosceret, esset denuntiandus tanquam sollicitator. Idem est etsi id fieret feminâ sponte in somnum labente. Leand. & Escobar. Sed contrarium est probabile. Baldell. & 4. *part.* 10. *tract.* 14 *resol.* 43.

XVIII. Femina etsi consensit sollicitationi, tenetur tamen ad denuntiandum, vt resoluit sacra Cardinalium Congregatio. Non tamen tenetur fateri proprium consensum, neque de hoc interrogari possunt aut ipsa, aut Confessarius; & quamuis hic vltrò diceret, non debet referri in acta, tamquam impertinens ad officium Inquisitionis. *p. 4. tr. 5. res.* 31.

XIX. Qui audiuit aliquem Confessarium sollicitasse, etsi audiuit ab hominibus infimæ conditionis, famæ, & fidei, tenetur sub excomm. denuntiare Inquisitoribus. Imò ad id tenetur qui hoc intellexit sub sigillo secreti naturalis. Castrop. & Freitas. *Ibid. res.* 28. *&* 32. *& p. 1. tr. 4. res.* 24.

XX. Denuntiatio facienda est quocumque tempore anni; prius enim edictum durat donec sequenti anno promulgetur nouum, Fagund & Auila. Quòd si autem negligentiâ Inquisitorum sequenti anno non promulgaretur, tenerentur alij nihilominùs denuntiare, non tantùm sub mortali, sed etiam sub pœnâ censurarum; quia cùm confessarij sollicitantes sint suspecti de hæresi, semper sunt denuntiandi. Castropal. & *5. p. 4. tr. 5. res. 27. &* 41.

XXI. Qui ignorauit edictum, si iam expirauit terminus præfixus intra quem tenebatur denuntiare, vbi id resciit non tenetur, nisi infra similem terminum dierum qualem designauerat edictum. Sancius. Sed Suarez & Fillinc. putant teneri statim. At si quis vltra illum terminum distulit ob iustum impedimentum, tenetur statim. Suarez & Sancius. *Ibid. res. 26.*

XXII. Qui præuidet expirante termino præfixo se fore impotentem denuntiare, putà quia erit absens, non tenetur probabiliter præuenire, saltem ex vi præcepti positiui: etsi contrarium sit probabilius. Sancius. *Ibidem resol. 29.*

XXIII. Si femina, quæ ob neglectam denuntiationem incurrit excommunicationem, posteà denuntiet, poterit vel per Bullam Cruciatæ, vel per Regularium priuilegia absolui, cùm parti iam sit satisfactum, nec tenebitur fateri Inquisitoribus se negligentem fuisse in denuntiatione. Sancius. *Ibid.* Item potest confessarius absoluere illam quæ firmiter promittit se denuntiaturam confessarium, si subsit causa propter quam denuntiatio prudenti confessario videatur differenda: alias verò non potest, Sancius & 2. Idem dicendum est de denuntiando hæretico, Sanctarel. & 3. Quòd si tamen propter dilatam denuntiationem incurrisset excommunicationem, non potest absolui, nisi antè denuntiet; quia neque à peccatis ante absolutionem à censurâ: neque ab hac, nisi parti sit satisfactum. Sancius & 2. *Ibidem resol. 35. & part. 1. tract. 4. resol. 17.*

XXIV. Ex vnius fœminæ quantumuis honestæ delatione,non est Confessarius in carcerem detrudendus, vel torquendus.Illa tamen delatio est sufficiens ad Inquisitionem,in qua si Confessarius deprehendatur leuis, & malæ, vitæ, poterit etiam capi. Freitas. Quot autem mulierum testimonium vniuersim requiratur, sit penes Inquisitores iudicium. *part.1.tract. 4.resol.28.& part.4.tr.5.res.55.& tr. 6.res.21.*

XXV. Excusatur à denuntiatione, qui probabiliter inde timet graue damnum vitæ,famæ, vel bonorum in se, vel in consanguineis. Fagund.& *5.p.4.tr.5.res.19.* Eodem modo feminam quæ multa beneficia à Confessario acceperit,excusari,ne sit ingrata,docet Saucius;sed hoc probabile non est,& iussu Sacr. Congregationis in eius operibus deletum *p.10.tr.13.res.46.*

XXVI. Si pœnitens non denuntiauit, sed Confessarius aliunde accusatus fuit, & conuictus abiurauit pro eâdem illâ sollicitatione,non tenetur ampliùs denuntiare. Sousa & *3.part.4.tract.5.resol.49.& p.1.tr.4.resol.16.* Quòd si posteà pergeret sollicitare, denuntianda esset vtraque sollicitatio,& hæc & præterita,pro qua fuerat punitus. Freitas. *p.4.tr.5.res.21.*

XXVII. Post Bullam Gregorij XV. possunt Episcopi de hoc crimine cognoscere.Bonacin.& *3.p.1.tract.4.res.29.* In regnis tamen vbi est Inquisitio Hispanica non possunt separatim ab Inquisitoribus de eo cognoscere, sicut non possunt de ceteris causis fidei. Molina & 4.Imò & in locis in quibus non est illa Inquisitio, etsi possint Episcopi de causâ cognoscere,non tamen ferre sententiam sine Inquisitoribus, non tantùm condemnatoriam (Molin. & 6.) sed etiam absolutoriam. Azor & 5. Quamuis hoc posterius alij negent. Molina & 2. *part. 4. tract. 5. resol. 52. & 53.*

Vide *Denuntiatio.*

Confessio.

I. SI in aliquâ diœcesi prohibeatur audire confessiones in domibus priuatis, vel mulierum ante solis ortum &c. idque sub pœnâ suspensionis, non propterea confessiones aliter auditæ redduntur inualidæ. Auersa. Etsi id affirment Bordon & Trimarc. *5.p.8.tr.7.res.73.*

II. Confessio quocumque fine fiat, etiam venialiter malo, non redditur inde inualida quamdiu suscipiens per hoc non peccat mortaliter. Vasquez & Soto. *par.4.tract. 4. resol. 212.*

Dolor necessarius.

III. Quando quis confitetur peccata olim confessa, non tenetur necessariò elicere nouum dolorem, modò prior dolor saltem moraliter perseueret. Ledesm & 5. Etsi contrarium doceant Henriquez & Filliuc. *p.3.tr.4.res.116. & p.10.tract.16.res.31.& p.11.tr.5.resol.21.* Sicut & quando quis confitetur peccata in priori confessione oblita, sufficere priorem dolorem non retractatum docet Lugo & De Ianuar. præsertim si quis statim post priorem confessionem illa iterum confitetur. Lugo & *2.p.9.tract.3.resol.5.& tract. 9. resol. 51.*

IV. Qui confitetur etiam sola venialia, tenetur elicere actum doloris formalis & efficacis, sicut tenetur in confessione de mortalibus, alioquin Sacramentum erit inualidum, & per consequens peccabitur mortaliter. Lugo & 4. Quamuis virtualem sufficere velit Tamburin. *p. 9. t.9.res. 31.* Sufficit tamen si de vno tantùm sic doleat: quia vnum remitti potest sine alio. Sed esse mortale confiteri aliquod peccatum veniale de quo non doleas, docet Suarez: sed contrarium est probabilius. Henriquez & 2. Idemque est de proposito. Lugo nisi quis vellet ab omnibus venialibus confessis simul absolui. Io. Pontius. *p.3.tr.4.res.117.& p.11. tr.5.res.22.& tr.7.res.38.*

V. Probabilius eſt ad venialium remiſſionem extra Sacramentum ſufficere in iuſtis attritionem cum propoſito illa vitandi in poſterum. Suarez & 3. Sed & quemlibet actum meritorium ſufficere, dummodo ab operante referatur ad illum effectum obtinendum Dicaſtil. Imò nullam pœnitentiam ad remiſſionem venialium eſſe neceſſariam, docet, D. Bonauent. & 6. Sed contrarium eſt tenendum. *p.3.tr.4.reſ.117.& p.11.tr.5.reſ.22.& 31.*

VI. Qui cùm dolore vniuerſali accuſat ſe de venialibus non determinando peccata in particulari, abſoluitur ab omnibus ad quæ legitimus dolor ſe extendit. Dicaſtill. *p.11.tr.5.reſ.24.*

VII. Si pœnitens poſt narrata peccata eliciat actum doloris, ſufficit ad veram rationem confeſſionis quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Lugo & 2. Quod verum eſt etſi cœpiſſet confiteri ſine propoſito eliciendi poſteà dolorem. Imò etiamſi poſt elicitum dolorem admitteret nouum peccatum, ſufficeret de hoc ſolo nouum dolorem elicere. Amic. *par.3.tract.4.reſol.134.& par.9.tract.9.reſol.37.*

VIII. Attritio de peccatis ob malum temporale quatenus prouenit à Deo, eſt ſufficiens ad confeſſionem, & eius effectum; non verò ſi eſt ob malum temporale, vt aliunde eueniens, vel euenturum, & ſine reſpectu ad Deũ. Hurtad. & 12. Multò magis ſufficit attritio ex mero timore pœnarum purgatorij, vel inferni. Lugo & 10. *p.4.tr.4.reſ.193.& p.9.tr.9.reſ.51.& p.11.tr.8.reſ.43.*

IX. Qui veſperi examinans conſcientiam elicit dolorem de peccatis, proponens ſequenti die confiteri, etſi nullum de nouo dolorem tunc eliciat; valida eſt confeſſio. Præpoſ. Imò quantouis tempore præceſſerit dolor, ſufficiet quamdiu non fuit retractatus. Hurtad. & 2. Nec eſt neceſſarium vt ad confeſſionem ordinetur. Lugo & Ianuar. *p.5.tr.14.reſ.67.& p.9.reſ.51.& 37.*

X. Poteſt dari confeſſio valida, ſed informis, non ſolùm ex defectu examinis, ſed etiam ex defectu doloris. D.

Thom.& 11.*p.2.tr.17.res.31.& p.3.tr.4.res.65*. Quare non tenetur tunc pœnitens eadem peccata iterum confiteri, sed ea tantùm quæ omisit, & saltem ad cautelam, negligentiam per quam sunt omissa. *Ibid.* Nunc autem iudico quando negligentia ea crassa est & culpabilis, confessionem esse inualidam,& per consequens iterandam; cúm in ipsâ confessione peccatum fuerit admissum, & non confessum.Suarez & 6.*p.10.tr.14.res.* 19.

XI. Ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum, sufficit implicitum propositum non pecandi in posterum,quod in ipsâ detestatione peccatorum virtualiter continetur:quare si quis occupatus,vel in conscientiâ examinandâ, vel in vitâ anteactâ detestanda, vel in Dei misericordiâ implorandâ,vel in amore Dei excitando, non cogitet actu dicens,*Volo abstinere à peccatis*, sed bonâ fide eat ad confessionem,verè est contritus, quia in illis actibus suprà memoratis includitur sufficiens propositum vitæ emendandæ. Granad. & 7. Multò magis id sufficit quando quis in articulo mortis confitetur. Suarez & 2. *par.3.tract.4.resol.119.&par.5.tract.14.res.66.&par.6.tract.7.res.34.*

XII. In confessione venialium requiritur propositum abstinendi ab iis quæ quis confitetur:quando autem quis confitetur omnia,& dolet de iis ex motiuo generali,sufficit si propositum sit in ordine ad totum aggregatum ita vt quis statuat non committere in posterum æquali tempore tot & tanta venialia. Item etsi impossibile sit omnia vitare, potest tamen dari propositum vniuersale affectiuum;sicut datur detestatio affectiua de peccato præterito, volendo vt commissum non esset. Palauicin.*p.* 11. *tract.5.resol.23.*

XIII. Dolor & propositum circa omnia venialia ex motiuo vniuersali non intelligitur reuocatum per aliquod veniale,quod deinde in ipso actu confessionis committitur,ita vt sit necesse dolorem & propositum renouare,sed sufficit si maneat dolor de aliquibus, etsi detestatio alio-

rum cessauerit per illius venialis admissionem. Lugo & 2. *Ibid.res.*25.

Qualitas confessionis.

XIV. Confessio per litteras valida est, quoties pœnitens ignorat decretum Clementis VIII. aliàs enim sic confitendo peccaret: sed quamuis confessarius illud sciret, adhuc validè absolueret. Gaminach. *part.* 5. *tractat.* 14. *resol.* 60.

X V. Si quis inter Hæreticos ad mortem damnatus non posset aliter confiteri, posset id facere per litteras, & rogare vt Confessarius in loco supplicij præsentem, & Confessarium intuentem absolueret; quia in casu necessitatis sufficit in tali confessio minùs stricta, si absolutio detur præsenti: sicut fit in moribundo sensibus destituto. Lugo & 3. *p.* 11. *tr.* 7. *res.* 30.

XVI. Si quis prohibitus verecundiâ, non auderet peccata ore confiteri, non peccaret mortaliter, si per scriptum præsenti Sacerdoti confiteretur. Vasquez & 5. Expedit tamen vt tunc generatim se accuset de peccatis ibi scriptis. Sed parum refert siue id faciat postquam lecta sunt, siue ante. Io. Pontius & Leand. Quamuis post lecta hoc fieri velit Lugo & 2. Item si ægrotus præ gutturis & faucium dolore ægrè posset confiteri, posset autem faciliùs per schedam, omninò esset absoluendus; quia consuetudo ore confitendi, non obligat tam grauiter. Layman. Idem suadendum est surdis, ne ab aliis audiantur: qui propterea etiam non sunt interrogandi nisi de planè necessariis. Posseuin. *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 127. *&* *p.* 5. *tr.* 6. *res.* 5. *&* *p.* 11. *tractat.* 7. *resol.* 1.

XVII. Neque in Paschate, neque in articulo mortis tenetur per scriptum confiteri, qui aliter non potest: quia hic confitendi modus de se est publicus. Henriquez & 10. Quamuis contrarium probabile. sit Granad. & 3. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 128. *&* *p.* 5. *tr.* 6. *res.* 4. Vti & per interpretem confiteri, nemo vmquam tenetur: est enim aliquo modo publica

confessio. At si ægrotus probabiliter dubitat, an habeat contritionem, tenetur ex caritate sui per interpretem cōfiteri, si aliter nequit, ne se exponat periculo damnationis. Vasquez & 7. Potest tamen subticere peccata maioris infamiæ; (Suarez & 3.) imò potest confiteri aliqua venialia in specie, & generatim omnia mortalia. Coninc & 2. Tamen in eo statu suadendum est omnia peccata confiteri, quia interpres tenetur seruare sigillum, & de contritione semper est dubitandum. *p.3.tr.4. res.129.& p.5. tr.3. res.71.& 72. & p.9.tr.3.res.10.& p.11.tr.7.res.1.*

XVIII. In nullâ necessitate confessio facienda est laico, nisi fortè consilij causâ, vel simili. Vnde mos nautarum, quo sibi mutuo tunc confiteri solent, tamquam abusus tollendus, sed potiùs de contritione tunc cogitent. Fagund. & 3. *p.5.tr.3.res.73.*

XIX. Pœnitens qui labilis est memoriæ, non tenetur scribere peccata: quia etsi iubemur præmittere sufficiens conscientiæ examen; non tamen conseruare memoriam peccatorum. Vasquez & 4.*p.2. tr.17. resol.46.* Neque post mediocrem adhibitam in eo diligentiam, tenetur vlteriùs de anteacta vita cogitare; quòd si quid occurrat, quod non videatur explicatum in confessione, poterit sibi persuadere, illud cum ceteris fuisse memoratum. Sancius. *p. 3. tr. 4. res. 107.*

XX. Qui accedit ad Confessarium, generalem confessionem facturus, non tenetur aperire omnia peccata mortalia. Henriquez. Quòd si non vult Confessario manifestare se aliquod peccatum commisisse ab vltima confessione, potest illud confiteri inter alia priùs confessa. Lugo & 7. quia non est necesse dicere tale se peccatum commisisse, ante vel post vltimam confessionem nisi per hoc mutaretur species peccati. *Ibid. res.86.& 62.& p.11. tract. 6. resol. 22.*

XXI. Qui confitetur peccatum v.g. fornicationem, de quo dubitat an aliàs sit confessus, non tenetur in confessione illud dubium aperire. Neque tenetur quis in confes-

sione explicare, se hoc vel illud peccatum fecisse post vltimam confessionem, nisi obstet circumstantia mutans speciem, vel proxima occasio peccandi. Homobon. Quod immeritò improbabile dicit Turrianus. *part.* 4. *tractat.* 3. *resol.* 65.

XXII. Qui duos habet Confessarios, quorum alteri confitetur mortalia, alteri venialia, non peccat: est enim confessio integra, neque est vera hypocrisis, neque mendacium. Suarez & 5. Per accidens posset esse mortale, si ob hanc causam pœnitens maneret in occasione peccati mortalis *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 132.

XXIII. Qui furatus est 100. aureos non satisfacit si in confessione dicat: furatus sum 50. aureos; quia in hoc indiuiduo ne confusè quidem continetur peccatum commissum, nempe furtum 100. aureorum Ouiedo. *part.* 11. *tr.* 8. *resol.* 64.

XXIV. Qui solùm meminit se peccasse mortaliter, speciem autem peccati non recordatur, potest illud in genere confiteri; est enim sufficiens materia absolutionis. Coninc & 2. Vti & quidam dicunt sufficere si is qui non habet mortalia, dicat in genere se venialiter peccasse, non explicatâ specie peccati. Dicastill. Sed contrarium est tenendum. Suarez & 2. *part.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 66. & *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 53.

XXV. Potest quis qui non habet conscientiam peccati mortalis confiteri solùm peccatum aliquod mortale in genere, v.g. peccaui aliquando in vita grauiter contra castitatem, & sic absolui etiam licitè. Caspens. Non tamen sufficeret dicere in genere se venialiter peccasse, sed deberet saltem vnicum dicere in specie, v. g. mendacium. Bonacin. & Possent. *p.* 11. *tr.* 7. *res.* 35.

XXVI. Quando multis imminet periculum vitæ, vt in naufragio, bello, peste, &c. possunt omnes simul aliqua peccata confiteri: aut si periculum aliud non permittat, signo aliquo significare se peccasse in communi, & dolorem ostendere, & sic omnes simul vnicâ formâ absolui;

talis enim confessio est formaliter integra. Coninc & 4. *p.2.tr.16.ref.41.& p.5.tr.3.ref.71.*

Integritas confessionis.

XXVII. Potest confessio fieri non integre materialiter si periculum est ne pœnitens inter confitendum moriatur; quòd si superuiuat,reliqua deinde confiteatur. Sà. Item si balbutientis linguæ,aut ignoti idiomatis omnia explicare nequeat.Henriquez.Et quibus casibus non potest aliquis rationabiliter huic Confessario omnia confiteri.*par.3.tr.4. resol.* 131.

XXVIII. Habens casus reseruatos vrgente necessitate communicandi, ad vitandam grauem infamiam, probabiliter potest confiteri non reseruata, & reticere reseruata,(Soto & 3.) vel potest elicere actum contritionis, & sic communicare absque confessione.Sancius & 5.Sin peccata reseruata habeant annexam excommunicationem potest conteri, & sic communicare;(Vasquez & 7.)vel si est tantùm attritus, potest confiteri inferiori Secerdoti non reseruata. Suarez & *5.p.2.tr.14.ref.65.p.3.tr.5.ref. 98. & tr.4.ref.104.& part.5.tract.13.resol.10.& part.9.tract.3.resol.11.& 15.& tr.9.ref.56.& p.12.tr.2.ref.32.*

XXIX. Qui ex confessione alicuius peccati mortalis timet graue damnum,etsi possit illud omittere, tenetur tamen illud tunc confiteri in genere, dicendo se peccatum aliquod mortale fecisse: sicut qui solùm recordaretur in genere se aliquod mortale fecisse.Dicastill.& 3. Etsi contrarium doceat Suarez & Bonacin. Quando autem ex iustâ causâ peccatum aliquod in confessione omittitur, non tenetur pœnitens de eo peculiariter contritionem elicere,sed sufficit attritio.Lugo & *2.p.11.tr.8.ref.45.*

XXX. Quando qui ex iustâ causâ peccata aliqua in confessione omisit,non tenetur illa statim pòst confiteri, sed tantùm cum obligabit præceptum confessionis. Suarez & Granad. quamuis illud affirmet Henriquez ex

Soto

Soto *part. 5. tractat. 14. resol. 54. & p. 9. tr. 9. ref. 56.*

XXXI. Cùm omnes contumeliæ sint eiusdem speciei, & conueniant in ratione formali, quæ est intentio lædendi alterius famam, satis est in confessione dicere: *Toties contumeliâ affeci meum proximum;* nec necesse est addere: *Illum vocaui ebrium, scurram furem,* &c. Azor & 6. Idem dicendum de iudiciis temerariis vel detractionibus, imò & de hæresi, vel superstitione vel diuinatione. Lugo & 5. Quidquid contra asserat Sanchez & 2. *p. 1. tr. 7. ref. 28. 46. & 66. & p. 3. tr. 4. ref. 67. & p. 11. tr. 7. ref. 54.*

XXXII. Peccatum odij videtur vnius tantùm esse speciei, quare sufficit vt pœnitens dicat se toties odisse proximum, neque opus est explicare an illud odium versetur circa famam, diuitas, &c. Quia licet mala volita specie differant; tamen optantur sub vnâ ratione formali, quæ est odium proximi. Bonacin. & Ledesma. Quamuis contrarium sit etiam probabile, quod docent Suarez & Syluius *p. 1. tr. 7. ref. 30. & p. 3. tr. 4. ref. 67.*

Numerus peccatorum.

XXXIII. Qui integro anno non restituit, vel legit horas Canon. satisfacit hoc dicendo in confessione, etsi aliquoties intra annum doluerit de culpâ, & statuerit recitare, vel restituere. Granad. *p. 5. tr. 14. ref. 55.*

XXXIV. Quando repetitur sæpiùs eadem peccandi voluntas, sunt plura numero peccata in confessione exprimenda, seu interrupta fuerit illa voluntas naturali obliuione, (quod tamen quidam negant. Homob. & 4.) seu contraria voluntate, Vasquez & 2. *p. 3. tr. 4. ref. 95.*

XXXV. In eodem actu physicô inueniri possunt plura numero peccata in confessione explicanda. Ita qui statuit per totam Quadragesimam non ieiunare, tot peccata committit, quot sunt dies Quadragesimæ. Qui eodem verbo lædit grauiter famam trium, tria committit. Qui vnico verbo quatuor ad peccandum inducit, quatuor committit. Coniugatus cum alterius vxore adulterium

committens, contra iustitiam bis peccat. Religiosus cum Moniali peccans, bis contra Religionem. Vasquez & 9. Quidquid contrarium doceat Sà & Ferrantin. Qui vno ictu occidit tres clericos, in tres excommunicationes incurrit: secùs autem qui ter eumdem clericum percutit. Molina & 5. Non est tamen improbabile obiecta numero diuersa non multiplicare peccata, sed tantùm aggrauare; atque adeo in omnibus supradictis non nisi vnicum esse peccatum, & ideò non esse necessariò confitenda vt plura. Suarez & 6. *Ibid. res. 67. & 164. & p. 1. tr. 7. res. 17. & 29. & p. 7. tr. 11. res. 32. & p. 9. tr. 9. resol. 55. & p. 11. tract. 3. resol. 3. & tract. 5. resol. 51.*

XXXVI. Etsi actus efficax voluntatis circa plura obiecta v. g. voluntas occidendi plures homines contineat plura numero peccata: simplex tamen complacentia v. g. de homicidio plurium, non est nisi vnicum, ideoque non est necesse in confessione illum respectum ad plura explicare. Dicastill. *p. 11. tr. 8. res. 64.*

XXXVII. Qui eodem tempore morali sæpius morosè delectatur, etiam de diuersis, vel qui sæpius cum eâdem decreuit fornicari, & de facto sæpius cum eâdem fornicatus est sine interruptione notabili v. g. eadem nocte, nonnisi vnicum peccatum commisisse, docet Ferrantin. Sed ego in praxi hoc non admitterem. Sicut & Zanard. & Caram. docent sufficere vt quis dicat: *fui totâ nocte cum amasiâ, & feci quod potui*, Sed falluntur. Lugo & 3. Idemque est de eo qui successiuè in eodem conflictu plures homines occidit. Dicastill. Quamuis in hoc dissentiat Lugo. *p. 11. tr. 5. res. 49. & 43. & tr. 1. res. 2. & p. 3. tr. 4. res. 67.*

XXXVIII. Duratio temporis non est in confessione aperienda quatenus est circumstantia aggrauans v. g. in omissâ restitutione; sed solùm quatenus hoc necessarium est vt sic pœnitens per illam circumstantiam declaret numerum peccatorum, quæ v. g. commisit per annum, quando aliter commodè explicari non potest. Vasquez & Zerol. *p. 1. tr. 7. res. 39. & 58.*

XXXIX. Peccator qui diu fuit in malo statu, & consuetudine inueteratâ alicuius peccati, ita vt non possit designare numerum, satisfaciet declarando tempus quo vixit in tali statu. Tamen meretrix debet etiam præcipuas species peccatorum enumerare, vt si peccauit cum Sacerdote, cum coniugato, cum affine, &c. Suarez & 5. Hinc infertur, non esse cogendos rusticos ad priores confessiones repetendas factas sine specificatione, numero, & diligentiâ. Henriquez & Fagund. *p.3. tract. 4. res. 89.*

XL. Qui sæpiùs vouit, aut iurauit se aliquid facturum violando votum aut iuramentum, vnum tantùm peccatum committit. Fagund. *Ibid. res. 90.*

XLI. Qui voto, vel præcepto prohibitus est ludere, si totâ nocte cum quatuor vel quinque ludat, non nisi vnicum committit peccatum. Azor & Sancius. *part. 4. tract. 4. resol. 45.*

XLII. Qui continuato sermone in eâdem re ter periurat, vnum tantùm peccatum committit. Idem est si quis alterum vno iræ impetu ter vel quater pugno percutiat, vel lædat, & si is Clericus sit, in vnam tantùm incidet excomm. Suarez & 3. *p. 3. tr. 4. res. 163.*

XLIII. Si quis sine interruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius feminæ, vel pueri; sufficit vt in confessione dicat, *Osculatus sum solutam, vel puerum*, & non est opus explicare, quòd talis tactus, vel osculum fuerit in partibus pudendis; quia hæc est tantùm circunstantia aggrauans. *p. 3. tr. 4. res. 225.*

XLIV. Qui fornicatus est, si in confessione solùm dicat: *commisi graue peccatum in materiâ castitatis cum solutâ* putant aliqui probabiliter satisfacere. Ferrantiu. Sed an ita sit, alij iudicent. Nam ego non audeo admittere vt probabile. Lugo & 2. *Ibid. res. 88. & p. 11. tr. 5. res. 48.* Non tenetur tamen, quando sæpiùs peccauit, explicare an cum eâdem an cum diuersis. Sancius & 2. *p. 1. tr. 7. res. 13.*

XLV. Testis simul rogatus de pluribus articulis sub iuramento, & in omnibus mentitus, non tenetur in con-

fessione id explicare; quia tantùm est vnum peccatum. Quod etiam procedit quando vel execrationes, & iuramenta per Deum, & per Sanctos, vel scripturas publicas, super eâdem re multiplicat, satis enim est dicere: *Transgressus sum iuramentum*, Henriquez.*p.1.tr.7.res.*40.

XLVI. Quando pœnitens non potens explicare certum numerum, addit *plus vel minus*. possunt ibi comprehendi plures quam duæ vel tres vices si maguus est numerus expressus v.g. si centum, etsi differentia esset decem. Nauar. Imò si confessus est *decem plus minus*, posse comprehendi tres vel quatuor vices, docet Hurtad. Quod si quis post sufficiens examen confiteretur; *feci decies, & de omnibus aliis qua Deus scit me commisisse in hoc casu, quorum non recordor, dico meam culpam.* docet Viuald. non teneri amplius confiteri, etsi posteà recordaretur se fecisse vicies. Quod an sit probabile alij iudicent, nam mihi non placet. *part.3.tract.4.resol.94.& part.4.tr.4.res.204.& p.11.tr.6. resol. 59.*

XLVII. Qui bonâ fide maiorem peccatorum mortalium numerum expressit in confessione, non tenetur illum errorem in proximâ confessione accusare: quia illa confessio fuit integra: quippe in numero maiori minor numerus continetur. Bonacin. & Megal.*p.2.tr.17.res.25.*

Peccata dubia.

XLVIII. Si quis post diligentem conscientiæ discussionem dubius manet, an mortaliter peccauerit, & in neutram partem inclinat, debet peccatum illud sub dubio confiteri. Suarez, & 14. Etsi quidam contrarium probabile putent. Præpos. & 9. Sed prius est omnino tenendum. Aliud est si probabiliter iudicet se vel non commisisse peccatum, vel non esse mortale, vel se esse confessum tunc enim ad nihil tenetur, quamuis contrarium iudicaret probabilius. Mærat & *3.p.3.tr.4.resol.60.& p.4.tr.3.res.5.& p.5.tr.14.res.113.& p.6.tr.6.res.32.& p.10.tr.12.res.2.& tr.16. res.79.& p.11.tr.1.res.25.& tr.8.res.44.*

XLIX. Qui confessus de peccato vt dubio posteà comperit se illud commisisse, tenetur illud in confessione aperire vt certum. Contrarium tamen probabile docet Bresser.& 6.& eodem inclinat Lugo. Quod saltem verum est quando pœnitens integrè confessus est quod fecit, dubitans tamen an esset mortale. Sanchez & Turrian. Quod si peccatum illud quod sub dubio confitebatur, erat reseruatum, etsi posteà de eo fiat certus, non tenebitur illud confiteri superiori, sed poterit cuiuis. Lugo & Auersa. *p.3.tr.4. res.91.&p.6.tr.6.res.31.&p.9.tr.3.res.6.&p.8.tr.7.res.72.& p.10.tr.16.res.79.*

Confessio repetenda.

L. Qui dubitat an ex verecundiâ reticuerit in confessione peccatum aliquod mortale, non teneri confiteri nisi illud peccatum, docet Baucius. Sed hoc non videtur admittendum; quia possessio stat pro præcepto repetendi peccata priùs tunc confessa inualidè. *part.* 10. *tractat.* 14 *resol.*12.

LI. Qui mentitur se veniale peccatum admisisse, quod est tota materia confessionis, peccat mortaliter: quia reddit Sacramentum nullum. Suarez & 10. Quamuis contrarium affirmet Philippus Faber. Aliàs neque hîc, neque etiam in iudicio mendacium de re leui vnquam est mortale. Reginald. *p.3.tr.4.res.96.&p.5.tr.5.res.27.*

LII. Qui per ignorantiam omisit aliquod peccatum in confessionne, eò quòd erroneè putaret non esse tale, si posteà sciuerit illud esse mortale, etsi error vincibilis fuerit, non tenetur repetere priorem confessionem, sed tantùm confiteri quod fuit omissum. Vasquez & 4. Item si post confessionem aliquam inualidam fecit quis debitè aliquas intermedias, in quibus tamen ex obliuione non est confessus defectum inualidę confessionis, non est opus omnes priores confessiones reiterare, sed sufficit solùm defectum nullitatis, & peccatta in eâ confessione explicata aperire; quia confessiones intermedię validę fuerunt,

Vasquez & 3.p.3.tr.4.res.108.& p.10.tr.14.res.19.& p.11.tr. 6. res.60.

LIII. Qui putans occidere Paulum occidit Petrum, & confitetur se occidisse Paulum, non tenetur iterum confiteri, etsi postea intelligat se occidisse Petrum; quia moraliter idem est dicere occidi Paulum,& occidi hominem quem putabam esse Paulum.Dicastill. part.11.tract.8. res.60.

LIV. Si pœnitens bonâ fide sua peccata aperuit,& culpa in solo Confessario resedit ob surditatem, somnolentiam, aut animi euagationem; absolutio data valida est: si tamen posteà cognoscat vnum vel plura peccata mortalia non fuisse à Confessario intellecta debet ea sola cum aliis posteà commissis,in sequenti confessione iterum explicare.Layman & 2.part.3.tract.4.resol.109. & par.4.tract. 4.resol.198.

LV. Qui bonâ fide confessus est Sacerdoti valdé ignoranti, non tenetur posteà confessionem iterare. Secus autem si de industriâ, quæsiuit Confessarium ignarum & insufficientem.Sanchez & 7.Etsi etiam in priori casu confessionem inuallidam esse doceat.Vasquez & 6.p.3.tr.4.res. 121 & p.4.tr.4.res.201.& p.5,tr.14.res.22.

LVI. Rusticus qui diu sine certo numero peccata mortalia confessus est bonâ fide Parocho indocto, non tenetur postea detecto errore cõfessiones illas repetere. Lugo & 2.p.11 tr.6.res.60.

LVII. Non videtur iteranda confessio facta Confessario intruso,qui cũ falsis literis se gerit pro Parocho;quia ex errere communi confertur iurisdictio,etiam probabiliter sine titulo colorato. Pontius & 16. Hinc si pœnitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, quod ipse Confessarius & populus ignorant, poterit ab illo petere absolutionem,quæ validè conferetur. Idemque est de Parocho assistente matrimonio, de Iudice &c. idque quoad vtrumque forum. Sed in his omnibus contraria sententia est probabilior. part.2.tractat.16.resol.43. & part.3.

tr.4.resol.122.& p.8.tract.1.resol.94.& p.9.tr.7.resol.45.& p.11.tr.2.resol.69.

Vide *Circumstantia. Confessarius.*

Confessionis præceptum.

I. PRæceptum Diuinum probabiliter non obligat nisi vt quis semel omnia mortalia confiteatur saltem in articulo mortis. D. Thomas & 2. Probabile est tamen obligare etiam aliquoties in vitâ. Granad. & 8. Quo posito non obligaret adhuc probabiliter nisi quarto vel quinto quoque anno. Henriquez & 3. *part.11.tract.8.resol.38.& 39.*

II. In articulo mortis etsi quis confessus fuerit, si iterum peccet mortaliter, tenetur iterum confiteri; quia præceptum Diuinum est de omnibus mortalibus semel confitendis. Lugo & Dicastill. *Ibid resol.37.*

III. Qui præuidet se tempore mortis non habiturum copiam Confessarij, tenetur præuenire ad obseruandum præceptum Diuinum. Idem est de graui periculo mortis v.g. in graui morbo, periculosâ nauigatione, instante prælio, vel partu feminæ quæ periculosos solet habere partus; & quoties quis verosimiliter scit se postea non habiturũ copiam Confessarij ante mortem v.g. inter Infideles Dicastill. & 2, Etsi illa neget Leand, & La-Cruz. *Ibid.*

IV. Positâ institutione, Sacramenti Pœnitentiæ à Christo sine vllo præcepto, non potuisset quidem Ecclesia immediatè illud præcipere, prout de facto à Christo est institutum; nam sic essentialiter includit dolorem internum, & confessionem peccatorum internorum: potuisset tamen directè pręcipere confessionem peccatorum externorum: quo posito obligaretur pœnitens iure Diuino ad confessionem peccatorum etiam internorum, & ad dolorem, ne irritum faceret Sacramentum. Amic. Est tamen de facto præceptum Ecclesiasticum confessionis distinctum a præcepto communionis annuæ. Vasquez & 4. *par.8.tr.1.resol.13.& 14.*

V. Pueros non teneri ad confessionem annuam nisi sint proximi pubertati, vt sunt masculi anno decimo cum dimidio, fœminæ nono cum dimidio, docet S. Antonin. & 2. Quod tamen non est admittendum: & multo minùs quod docet Soto, & Henriquez non teneri ante annum duodecimum, aut ante annos pubertatis, vt voluit Sà. *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 56.

VI. Posset Ecclesia præcipere confessionem venialium Vasquez & 2. Etsi alij id negent. Sotus & 4. Imò de facto eâ præcepit Benedictinis in *Clement. ne in agro. De statu Monach.* præscribendo menstruam confessionem: cum ij regulariter non habeant mortalia Est tamen probabile præceptum illud non obligare sub mortali. Sotus. Imò non esse ibi verùm præceptum, docet Præpos. *part.* 8. *tractat.* 1. *res.* 15. & 16.

VII. Non potest Pontifex abrogare præceptum Diuinum Confessionis, vel in eò dispensare, Imò neque potest præceptum Ecclesiasticum abrogare, ita vt quis numquam teneatur totâ vitâ confiteri; quia non potest rationabilis ad hoc causa occurrere: validè tamen id faceret. Suarez & 2. Posset autem esse causa statuendi vt vel sæpiùs in anno abligaret confessio, vel etiam vt tantùm post duos vel tres annos. Hurtad. Si tamen dispensaret cum aliquo sine causâ; peccaret venialiter. Pontius & 5. Quę omnia eodem modo valent quoad præceptum communionis. *Ibid. resol.* 17. 18. 19. 26. & 27. & *part.* 11. *tractat.* 8. *resol.* 39.

VIII. Surdus & mutus tenetur confiteri per signa: imò quando obligat præceptum, potest absolui etiamsi nullum peccatum ex eius signo intelligi possit, modò significetur dolor. Quod à fortiori procedit in articulo mortis. Fernand. Imò teneretur quiuis in illis casibus confiteri per signa, quando Confessarius esset surdus. Hurtad. *part.* 5. *tract.* 6. *res.* 3. & 19

IX. Nullus ob periculum obliuiscendi multa peccata mortalia, tenetur iure diuino ante annum confiteri. Hen-

riquez & 5. Sicut neque propter periculum incidendi in noua peccata. Lugo & 2. Etſi contrarium doceat Suarez. Tenetur tamen quiuis propterea ſæpius per annum elicere actum contritionis. Sed non eſt neceſſariò pœnitens de hoc interrogandus vel monendus. Lugo *p.3.tr.4.reſ.155. & p.7.tr.12.reſ.31.&p.11.tr.6.reſ.62,*

X. Si quis confeſſionem fecerit intra annum, impleuit præceptum annuæ confeſſionis, neque tenetur poſteà in Quadrageſimâ, aut in Paſchate confiteri; niſi teneatur alio titulo: vt ſi ſuſceptutus Euchariſtiam in Paſchate, ſibi conſcius eſt peccati mortalis, aut in articulo mortis. Suarez, Vaſquez & 14.*p.3.tr.4.reſol.81.&p.2.tr.17. reſol.54.* Quòd ſi aliquis non ſit confeſſus illo anno, & confiteatur initio ſequentis, non eſt improbabile vnicâ illâ confeſſione ſatisfacere obligationi vtriuſque anni. Lugo. Saltem ſimul tunc confiteatur aliquod mortale illo ſecundo anno commiſſum Hurtad. & Præpoſit. *p. 8.tr.7.reſ.80.& p.4. tr.4.reſ.206.*

XI. Si quis in Paſchate habeat peccata mortalia, quæ ex iuſtâ causâ non debeat Confeſſario aperire, non tenetur venialia confiteri; quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confeſſionem. Suarez & 3.*p.3.tr.4. reſ.75.&125.* Contrarium tamen eſt probabile. Granad. & 3.*p.5.tr.13.reſ.9.&p.11.tr.6.reſ.61.*

XII. Quod ſi quis non habeat niſi ſola venialia, non tenetur comparere coram proprio ſacerdote, & dicere ſe non habere conſcientiam peccati mortalis; quia proprius ſacerdos non debet noſſe vultum ſui pecoris niſi in confeſſione, cuius obligatio tunc ceſſat. Poſſet tamen ratione ſcandali fortè oriri talis obligatio comparendi. Vaſquez & 2.*p.11.tr.6.reſ.61.*

XIII. Qui in confeſſione Paſchatis poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, omiſit aliqua peccata per obliuionem, & paulò poſt confeſſionem redit in memoriam illorum, poteſt illa differre in ſequentem annum. Suarez & 10.*p.3.tr.4.reſ.124.*

XIV. Probabile est, per confessionem inualidam ex culpâ pœnitentis, præceptum annuæ confessionis impleri; atque adeò vitari pœnam excommu.à Constitutionibus Episcopalibus impositam transgredientibus hoc præceptum: quia Ecclesia solum externum confessionis actum potest præcipere. Fagund. & 5 Contrarium tamen est probabilius. Suarez & 11. *Ibidem resol.* 120. *& part.* 8. *tractat.* 1. *resol.* 50.

XV. Qui præuidet, quando obligabit præceptum, se non habiturum copiam Confessarij, debet præuenire tempus Suarez & 2 qui verò non impleuit præceptum annuæ confessionis, tenetur primo quoque tempore confiteri Suarez & 8. Tamen negatiua sententia est probabilis. Syluest. & 5. Posito autem quòd teneatur, etsi quò diutiùs illam differt sine causâ, eò magis peccet; non tamen peccat toties quoties datâ opportunitate non confitetur. Valent. & Molfes. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 69. 130. *&* 135. Qui autem nullo modo potest confiteri non tenetur tunc elicere actum contritionis. Suarez & Trullench. *p.* 7. *tr.* 7. *res.* 61.

Ante communi.

XVI. Præceptum de præmittendâ confessione ante communionem, est Diuinum positiuum. Suarez & 17. Contrarium tamen probabile esse docet Suarez & 3. Quãuis autem per reuelationem sciret quis se esse contritum, adhuc teneretur præmittere confessionem ratione præcepti. Amic. Quod verum est etsi quis tantùm haberet peccata dubia. Filliuc. & 9. Quamuis id neget Henriquez & 6. *p.* 9. *tractat.* 3. *resol.* 1. 2. 3. *&* 6. *& part.* 5. *tr.* 14. *resol.* 44. *& part.* 6. *tractat.* 6. *resol.* 32. *& part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 51. *& par.* 11. *tr.* 8. *resol.* 40.

XVII. Qui ad linteum altaris adstat paratus communicare, si recordetur alicuius peccati mortalis in confessione per obliuionem omissi, non tenetur ante communionem redire ad Confessarium; quia non potest sine notâ & scandalo Suarez & 6. Aliàs tenetur etiam sacerdos, qui in-

choatâ missâ recordatur peccati. Suarez & 3. Quod tamen probabiliter negat Henriquez & 2. Nisi fortè in Missâ solemni tempore concionis, vel cantûs id commodè facere posset. Syluest. Post consecrationem tamen non est interrumpendum sacrificium vt confitearis, etsi posses sine notâ vel scandalo. Coninc & 4. Quod etiam ante consecrationem, etiamsi statim post introitum recordetur, docet Laym. & 2. Et de laico in scamno communicantium existente etiamsi non sit periculum infamiæ, Henriquez & Reginald. Imò vniuersim qui in confessione oblitus alicuius peccati, ante communionem eiusdem recordatur, non teneri illud confiteri ante communionem docet Garzias & 5. Sed hoc improbabile est (Lugo) & ab Inquisitione Hispanicâ censuratum *part.3.tractat.4.resol.* 77. & 48. & *par.5.tract.14.res.6.* & *p.9.tr.3.res.8.7.* & 4.*p.11.tr.8.res.* 40. Vnde qui post confessionem factam pro iubilæo recordatur alicuius peccati omissi, etsi non habeat copiam Confessarij, non potest Eucharistiam sumere, & indulgentiam lucrari. Bardi & Faust. Etsi hoc affirmet Pasqualig. *p.11.tr.7.res.13.*

XVIII. Non potest censeri deesse copia Confessarij si adsit cui possis ex priuilegio confiteri, etsi deuotiùs vel vtilius confitereris proprio. Amic. & Nugnus. Neque etsi Religiosus non possit nisi sæculari confiteri peccata grauia cum aliquâ infamiâ Religionis. *p.9.tr.3.res.13.* Si tamen nemo adesset præter aliquem qui solùm dubiam habet iurisdictionem v.g. quia approbatus tantùm est in aliâ diœcesi, potest censeri deesse copia Confessarij. Sanchez. Etsi contrarium doceat Cornejo. *p.5.tr.14.res.111.*

XIX In periculo vitæ potest sumi Eucharistia sine confessione. Lessius & 2. Et sacerdos potest sic celebrare ad viaticum alteri dandum. Henriquez & 3. Item ad implendum præceptum annuæ communionis, Coninc. & 5. Qui vellet tamen, posset tunc communionem omittere sequendo sententiam contrariam. Item potest sic celebrare sacerdos die festo vt satisfaciat præcepto audiendi Mis-

sam, vel vt alij satisfaciant, quamuis ipse non sit eorum Parochus. Henriquez & 11. *p. 9. tract. 3. resol. 16. 17. 18. & 9. & part. 2. tract. 14. resol. 63. & 64. & part 5. tr. 13. res. 63. & p. 4. tr. 4. res. 96.*

XX. Non censetur necessitas sic celebrandi etsi sacerdos pauper debeat sustentari ex stipe pro Missâ: Neque quod obligetur vel ex Capellaniâ vel aliunde missas continuas dicere: quamuis hoc affirmet Leand. Neque pro benedictione nuptiali. Fagund. Est verò necessitas sufficiens, vt perficiatur sacrificium in quo alter deficit post consecrationem. Quod si tamen tunc non posset elicere contritionem, meliùs relinqueret illud imperfectum. Præpos. *p. 9. tr. 3. res. 13. &* 14. Posset etiam in simili casu quiuis communicaturus dimidiare confessionem, quando sine scandalo non potest integrè confiteri ob moram longiorem. Granad. *p. 5. tr. 14. res. 53.*

XXI. Si infirmus volens se reconciliare dum ei fertur viaticum, deprehendatur multas confessiones inualidas fecisse, & infirmitas sit ita periculosa vt absolutio differri non possit, audiatur per mediam horam, & moneatur de perficiendâ posteà confessione si viuat, sic enim vitari poterit nota à comitantibus SS. Eucharistiam: si autem morbus non sit ita periculosus; nec speretur confessio per mediam horam integrè posse fieri, curet confessarius vt eliciat actum contritionis, & det ei communionem monens de obligatione quam habet integrè posteà confitendi, accersito confessario prætextu alicuius negotij. Granad. & Zambran. *p. 5. tr. 3. res. 75.*

XXII. Scandalum quod timetur, vt excuset à præmittendâ confessione, est cum datur occasio detrahendi, vel temere iudicandi, vel proximum infamandi &c. non verò quando solum datur occasio admirationis. Trullench. & 2. Quamuis hoc etiam sufficere doceat Granad. & 4. eò quòd vix possit abesse infamia. *p. 9. tr. 3. res. 20.*

XXIII. In casibus quibus licet Eucharistiam sumere sine confessione, necessariò elicienda est contritio. Suarez

& Garsias. Si tamen sacerdos differret elicere vsque ad consecrationem,vel,si post hanc solùm recordaretur , vsque ad communionem,non esset mortale. Lugo & 2. Satis est tamen si quis bonâ fide putet se contritum,etsi subdubitet.Præposit. Quamuis autem in quauis angustiâ temporis quiuis possit elicere contritionem , cùm Deus semper sit paratus præbere auxilium (Ochagau. & Escob) Si quis tamen non posset , non peccaret eo casu sumendo Eucharistiam cum conscientiâ peccati mortalis.Vasquez & 4.*Ibid.ref.*19.*& p.*4.*tr.*4.*ref.* 98. Non tenetur tamen contritionem elicere qui ante Missam confessus cum dolore vniuersali , tempore sacri recordatur alicuius peccati omissi;quia hoc iam est indirectè remissum Vasquez & 10. *part.*2.*tractat.*14.*resol.*48.*& part.*5.*tract.*14.*resol.*5.*& part.*9. *tract.*3.*ref.*12.

XXIV. Sacerdos non habens copiam Confessarij , & vrgente necessitate , si non præmittit confessionem antequam celebret,cum sibi sit conscius peccati mortalis ; tenetur quam primùm confiteri, non ex præcepto Diuino, sed ex decreto Trident.Lessius & 3.Imò qui sic confessus esset reseruata , teneretur eodem præcepto illa quàm primùm posteà confiteri Superiori.Lugo. Quidam tamen illud *quamprimùm* exponunt , vt idem sit quod antequam iterum celebret. Fagund. & 2. Sed hoc non est probabile existimandum. Sufficit tamen si intra triduum confiteatur;hoc enim dicitur *quamprimum* fieri.Coninc & 7.Quãuis id neget Lugo. Quidam etiam non agnoscunt ibi præceptum, sed tantum consilium. Villalob. & 3. Sed contrarium est dicendum.Lugo & 2.At si bonâ fide quis accessit ad altare absque conscientiâ peccati mortalis , ibi autem alicuius recordatur , vel in ipso actu celebrandi aliquod committit,non tenetur illo præcepto.Vasquez & 6.multo minùs si solùm post celebrationem eius recordaretur.Cornejo & Persic. Vti nec tenetur qui absque necessitate ex malitiâ ita celebrat .Suarez & 7.*part.*2.*tractat.*14. *resol.* 60. *&* 61.*& part.*4.*tractat.*4.*resol.*97.*part.*5.*tractat.*13. *resol.* 64.

& tractat.14.resol.6.& part.9.tractat.3.resol.21.22.23.24.25.
& 26.

XXV. Obligatur eodem præcepto qui celebrauit quidem vrgente necessitate & deficiente copiâ Confessarij, sed tamen cum internâ voluntate non confitendi etsi is adesset Amic. Vti & quiuis alius eodem illo casu celebrans indignè. Non autem qui habens copiam confessarii sine necessitate sed ex malitiâ celebrat non præmissâ confessione. Suarez & 3. Quidquid contradicat Syluius & Martinon. *p.9.tr.3.res.31.& p.10.tr.16.res.78.*

XXVI. Laicus qui vrgente necessitate & non habens copiam confessarii sumpsit Eucharistiam sine confessione non tenetur quamprimum confiteri. Suarez & 5. contra Henriquez & 4. Item neque sacerdos qui more laicorum ab alio Eucharistiam accepit; quia Concilium loquitur de celebrante. Serra & 2. Aliud est de faciente officium in die Parasceues; est enim celebrans etsi non sacrificet. Suarez & 11. Obligatur tamen eo præcepto qui inchoatum ab altero sacrum perfecit, etsi successerit post consecrationem. Pellizzar. & 3. *p.9.tr.3.res.27.28.29.& 30.* Etsi de duobus vltimis casibus contrarium non improbabile putet Dicastill. *p.10.tract.12.res.16.*

XXVII. Posse esse casum quo excommunicatus vrgente necessitate celebret, vel communicet sine confessione, vel etiam contritione, docet Dicastill. v.g. si quis post mandatum sacrilegum homicidium, ante illud perpetratum pœniteat & absoluatur, atque ita non incurrat excommunicationem nisi post absolutionem à peccato. Imò non poterit tunc confiteri non potenti absoluere à censurâ; quia nec est necessitas cùm sit in statu gratiæ per confessionem præcedentem, nec potest iterum absolui stante censurâ. *Ibid.*

Confirmatio.

I. AD Confirmationem requiritur chrisma ex oleo & balsamo vero,& non adulterino (Pontius) & ab Episcopo consecratum. Coninc.& 9. Probabile est tamen Pontificem posse eius benedictionem delegare simplici sacerdoti. Amic. & 2. Licet hoc neget Suarez & 3. Item quia probabile est solum oleum sufficere ad essentiam Sacramenti. Valent.&18. (etsi contrarium sit probabilius. D.Thomas & 11.) ideo si cui hoc Sacramentum ministratum est cum oleo simplici, non est iterandum, nisi sub conditione.Hinc etiam si deficeret balsamum;posset Pontifex dispensare, vt cum solo oleo conferretur. Et eadem omnia dicendo de consecratione Episcopi,supposito quod vnctio esset de eius essentiâ *p.3.tr.4.res.23.& p.8.tr.1.resol. 11.& p.12.tr.1.res.85.83.& 84.*

II. Ad seruandum etiam præceptum Christi, & non tantùm ad valorem Sacramenti, sufficit modica quantitas balsami cum magnâ quantitate olei, etsi huic toti non communicentur illius qualitates Dicastill. Quamuis hoc requirat Coninc.*p.10.tr.11.res.13.*

III. Peccaret mortaliter Episcopus vtens in confirmatione chrismate alterius anni, etsi validè confirmaret. Præposit. & 7. Et idem est de consecrante Episcopum. *p.12.tr.1.res.87.*

IV. Posset Pontifex mutare modum consecrandi chrismatis; quia hic particularis non est ex institutione Diuinâ sed solúm aliquis in genere.Pontius & 5.Vnde etsi Episcopus omittat aliquas ceremonias in benedictione chrismatis, non obstat valori.Imò probabile est, etsi totum ritum consecrandi mutaret, modò fiat commixtio olei cum balsamo, & adsit Spiritus S. inuocatio. Suarez & 3.*part.6.tractat.8.resol.21.& part. 8. tractat.1. resol. 7. & par.12.tr.1.res.87.*

V. Necessarium est necessitate Sacramenti, vnctio-

nem Confirmationis ab Episcopo fieri manu immediatè: si tamen Episcopus vngeret alio digito quàm pollice, nolim illum damnare peccati mortalis. Dicastill. & 5. (idemque est quando Episcopus consecratur vnctione capitis) Imò & quidam satis probabiliter putant Sacramentum constare, etsi vnctio fieret alio instrumento extrinseco. Fernand & 4. (Et idem est de consecrante Episcopum, posito quod vnctio esset de essentiâ consecrationis Episcopalis. (Peccarent tamen Episcopi sic vngentes; quia in re graui facerent contra praxim vniuersalis Ecclesiæ. Item debet vnctio necessario fieri in fronte. D. Thom. & 3. Non obstat tamen si simul fiat in aliis partibus, vt Græci faciunt. *part. 3. tractat. 4. resol. 22. & 28. & part. 9. tractat. 8. resol. 30. & part. 10. tractat. 11. resol. 13. & part. 12. tractat. 1. resol. 60. & 82.*

VI. Verba formæ huius Sacramenti sunt hæc: *Signo te signo Crucis & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Notandum, expressam sanctæ Trinitatis inuocationem esse necessariam, & essentialem; vti & expressionem signi Crucis, vt vera sint verba formæ. Coninc & Filliuc. Validam tamen esse formam Græcorum: *signaculum doni Spiritûs S.* docet Amic. & Pontius; ideoque explicitam trium personarum SS. Trinitatis inuocationem non esse de essentiâ, neque aliqua quæ in formâ Latinâ exprimuntur. Ego autem nihil hic iudicio. *part. 3. tractat. 4. resol. 27. & part. 8. tractat. 1. resol. 8. 9. &* 10.

VII. Non tantum posset Pontifex permittere vt infantes ante vsum rationis confirmentur; sed hoc multo tempore in Ecclesiâ factum est, & nunc fieri potest si vel diu pòst non sit futura occasio, vel sint in periculo mortis, vel in diœcesi vigeat ea consuetudo. D. Thomas & 10. Et videtur expedire vt in articulo mortis iis ministretur, si commodè possit. Granad. & 4. Nec est mortale confirmare infantes sine dictis causis ante vsum rationis. Suarez & 7. Imò hoc non esse prohibitum docet Granad. & Hurrad. Sicut & perpetuò amentes confirmari possunt. Suarez & 8.

& 8. Etsi id neget Sotus & 4.*p.3.tr.4.res.19, & 20.& tract. res.93.& p.5.tr.3.res.31.& p.8.tr.1.res.46.*

VIII. Etsi adulti omnes saltem in articulo mortis sint confirmandi (D.Thomas & 4.) non peccabit tamen mortaliter qui per negligentiam id omittet modò absit scandalum contemptus. D. Thomas & 30. Notabilis autem negligentia non est contemptus. Layman & 5. Etsi quidam hoc doceant. Tolet. & 7. Vix tamen poterit sponte omitti sine aliquo peccato ob neglectum tanti boni. Lessius. Posset tamen Pontifex eam præcipere : sicut nunc præcepta est in Tridentino antè quàm primam tonsuram quis suscipiat. Quæ tamen obligatio probabiliter non est sub mortali. Suarez & 15. Et idem est etsi quis Episcopatum ita susciperet. Serra.*p.3.tr.4.res.25.&p.5.tr.3.res.30.& 32.&p.8.tr.1.res.47.&p.10.tr.16.resol.90.& part.12.tract.1. resol.46.*

IX. Amentes sunt confirmandi, maximè si quis post vsum rationis incidit in amentiam; adest enim tunc interpretatiua voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta. Suarez & 8.*part.3.tract.4.resol.20. & tractat.6, resol.93.*

X. Ante Confirmationem suscipere Euchariſtiam nec veniale est. Præpos. Confert autem hoc Sacramentum ceteris paribus maiorem gratiam quàm vllum aliud excepto Ordine, per quem constituitur quis Dux in Ecclesiâ. Suarez & 3.*p.4.tr.4.res.50.*

XI. Confirmare potest ex concessione Pontificis quiuis simplex sacerdos. D.Thom. & 11. Potestque hoc concedere Pontifex legitimè electus, etsi nondum sit consecratus. Neque expirat ea facultas mortuo Pontifice, aut cessante causâ ob quam concessa est; cum sit meræ gratiæ Præposit. Et validè concederetur sine causâ. Henriquez & 3. Imò & benedictionem chrismatis simplici sacerdoti committi posse probabile est. Amic. & 6.*p.8.tr.1.res.3.6.& 12.&p.10.tr.12.res.32.*

XII. Concedere ea sacerdotibus potest solus S. Pon-

tifex ex Christi institutione.Suarez & 5.Etsi Pontius & 3. putent idem potuisse Episcopos nisi consuetudine & visu hoc ipsis nunc esset interdictum Porrò eam concessionem posse fieri sacerdoti solùm priori Ordinatione consecrato, quidam aiunt;eò quòd impositio manuum non spectet ad essentiam consecrationis. Bonacin. & 2. Plures tamen negant.Vasquez & 10. Vtrimque probabiliter.*part.8.tract.1. resol.5.& 4.*

XIII. Si Episcopus non confirmatus alios confirmaret,solùm peccaret venialiter.Granad.& 3.*p.12.tr.1.res.46.* Sed si confirmaret sine pluuiali,mitrâ,& baculo pastorali, peccaret mortaliter:vti & si Ordines sacros conferret cum solis indumentis Missæ.*p.7.tr.10.res.31.*Non tamen si confirmet extra Ecclesiam. Suarez & 2. Quod nimis rigidè asserit Nugnus.*part.2.tractat.17.resol.17.& part.4. tract. 4. resol. 50.*

XIV. Episcopus potest confirmare eum, qui offert litteras dimissorias sui Episcopi vt ordinetur,si non est confirmatus quia qui concedit finem, concedit necessaria ad finem:at Confirmatio præmittenda est Ordinibus. Layman & 7.Imò & ob eandem causam poterit eum tunc absoluere ab occultâ irregularitate. Henriquez & 4.Episcopus tamen in suâ diœcesi ordinans aliquem non confirmatum,non peccat mortaliter, sed venialiter. Dicastill.& 5. Etsi hoc etiam neget Granad. quod non placet propter Tridentinum *sess.22.cap.4.de reformat.* Idem dicendum de eo,qui accedit ad Ordines non confirmatus. Suarez & 40. Et de ipso Episcopo qui eos confert,vel qui confirmat non confirmatus. Granad & 2.contra Tanner. Erit tamen in his omnibus veniale.*p.2.tr.16.res.4.&p.3.tr.4.res.24.&p.7. tr.2.res.37.& p.9.tract.6.resol.47.&p.10.tr.11.resol.14.& tr. 16.resol. 61.*

XV. Episcopus confirmans in suâ diœcesi, potest etiam confirmare subditos alterius Episcopi ad se accedentes, quia præsumitur id gratum alteri Episcopo. Tanner. & 12. Quamuis in hoc peccaturum mortaliter doceat Le-

desin. & 4.*part.4.tract.4.res.50.& p.7.tractat.2. res.37.& p.2. tract. 17. res. 17.*

XVI. Circa patrinum Confirmationis hæc sunt notanda. I. illum non contrahere obligationem instruendi confirmatum;quia de iure non est statutum.II,si non confirmatus teneat alterum in hoc Sacramento, non contrahere cognationem spiritalem, quia non est legitimus susceptor. Sanchez & 7,Etsi contrarium affirmet Nauar.& 8. Imò probabile est non peccare mortaliter. Sanchez & 6. III. Susceptorem Confirmationis debere esse alium ab eo qui suscepit in Baptismo,nisi necessitas id non ferat.Secùs tamen faciens, non peccat mortaliter.IV.Religiosos mendicantes posse esse patrinos in Sacramento Confirmationis & Baptismi : quia nomine Monachorum excluduntur tantùm ij qui solitudinem colunt. Coninc & 8. Imò & Monachis & Monialibus id licere docet Quintanad. tum quia *c.non licet*.non est nisi Concilij particularis;tum quia illud verbum non inducit grauem obligationem ; tum quia causæ ob quas olim prohibitum videtur fuisse , nunc cessarunt : Ideoque nec esse necessariam licentiam Prælati nisi in Religione prohibitum sit. Sed alij tamen communiter contrarium docent. *part. 3. tractat.4.resol. 21. & 26. & part. 9. tractat.6. resol. 32. & part. 10. tractat. 12. resol. 7.*

XVII. Non potest esse nisi vnicus susceptor siue vir siue mulier,iuxta *cap.non plures,de consecr.dist.*4. nam decretum Tridentini permittens duos agit de baptismo , non de confirmatione. Sed si plures confirmandum teneant, omnes contrahent cognationem. Hurtad. & 8. Etsi contrarium doceat Sanchez & *5.p.10.tr.16.res.90.*

Consecratio , & Benedictio.

I. PYxis in qua asseruatur SS. Eucharistiæ Sacramentum,non est necessariò consecranda,aut benedicenda ;quia id nullo iure præcipitur. Henriquez & 12.Con-

trarium tamen est valde probabile. Granad. & 12. Neque est necesse in eâ haberi pallam ex lino confectam, & benedictam ad Christi corpus excipiendum. Nugnus.*p.2.tr.15.res.2.&p.10.tr.11.res.3.*

II. In consecratione altaris non est necesse reliquias apponi. Suarez & 10. Sed quamuis necessarium esset, non posset tamen illarum loco apponi pars Corporalis: & multò absurdiùs apponeretur particula hostiæ consecratæ. Vasquez & 7. Quamuis aliqui exemplum S. Leonis Papæ in contrarium afferant. Siluest. & 3 quod tamen non est verosimile. *p. 11.tr.6.res.25.*

III. Qui celebrat cum calice ligneo, vel non consecrato, præter peccatum mortale, incurrit pænam depositionis ab officio, & beneficio. Dicastill. & 3. Quamuis hoc neget Tamburin. *p.11.tr.8.res.31.*

IV. Potest quis celebrare in calice & patenâ nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bonâ fide cum ipsis anteà celebrauit; quia hoc ipso consecrata fuerunt. Cælestin. & 10. Imò etsi malâ fide id fecisset, ait Bordon. & Tamburin. Vti & altare manere consecratum si sacerdos in non consecrato Missam dixerit: docet Bordon. & Pasqual, *p.2.tr.14.res.69.&p.5.tr.13.res.60.&p.9.tr.7.res.18.*

V. Quando interior Calicis superficies, quæ Christi sanguinem tangit, iterum deauratur, non videtur de nouo consecrandus. Idem est de patenâ. Coninc & Layman. *p.2.tr.15.res.3.*

VI. Calix qui modicissimum foramen acceperat in fundo cuppæ, etsi artificiosè illud obturatum fuerat vt vix appareret, amiserat consecrationem; quia propter illud foramen non remanserat aptus ad sacrificium. Tamburin. Sed quid si illud fuisset in medio, vel summo cuppæ? tu cogita. *p.11.tr.8.res.31.*

VII. Colores vestium sacrarum non sunt præcepti, sed directionis. Homobon. Potest etiam stola deseruire pro manipulo, & contrà; quia ea ornamenta non habent figu-

tum determinatam. Villalob. Item casula, manipulus, & stola possunt seruire ab vtrâque parte, vt si gemino colore fierent ad varios dies festos. Tunc autem consecrationem amittunt cum ita scinduntur, vt non sint amplius apta ad eosdem vsus ad quos sacrantur. Azor. *p.2.tr.14.res.57.* Quod si habeant partes sic ex intentione diuisas vt funiculis annecti & dissolui possint, tunc non amittunt benedictionem etsi dissoluantur. Bonacin. & Dicastill. Sicut neque si ex duplicatâ stolâ, vel casulâ fiant duæ. Sà. *part.10.tractat. 15.resol. 28.*

VIII. Cingulum fractum non amittit probabiliter benedictionem; licet enim vti parte longiori, aut duabus partibus simul nexis, absque nouâ benedictione. Sà. & *7.p. 2.tr.15.res.4.& p.5.tr.13.res.92.* Nunc autẽ iudico si neutra pars cinguli possit sufficere nisi nodo connectantur, perdi benedictionem *.p.10.tr.15.res.28.*

IX. Si res benedictæ vel consecratæ amittant consecrationem ex eo quòd non maneant in eâdem formâ, tunc poterunt etiam conuerti in vsus profanos. Castropal. *p.5. tr.13.res.76.*

X. Corporalia lauare non possunt etiam qui priuilegium habent ea tangendi, nisi priùs lota sint à Diacono Dicastill. & 3. Etsi sine veniali id posse fieri dicat Tamburin. *p.11.tr.3.res.16.*

XI. Sacra vasa & Corporalia tangi à laicis etiam sine contemptu, veniale est peccatum: sed si ex causa rationabili fiat, nullum erit. Suarez & 14. Quidquid Tamburin. doceat semper id fieri sine peccato; & Dicastill. hoc admittat saltem quoad exteriorem partem patenæ: nam cur non erit idem quoad exteriorem partem cuppæ calicis? *p.10.tr.11.res.2.*

XII. Campanam benedictam pulsari dum quis supplicio est afficiendus, vt alij pro ipso orent, non est illicitum. *p.6.tr.7.res.37.*

Consilium.

I. QVando quis decreuit committere graue aliquod peccatum, licet ei suadere minus. Vasquez & 12. dummodò tamen nullum creetur damnum seu corporale seu spiritale alicui tertio; vt si velit auferre 100. à Petro non possum suadere vt potiùs auferat 50. à Paulo, nisi per se antè dubitabat, vtrius res vellet auferre. Malder. & 2. Volenti tamen furari à paupere potes suadere vt potiùs furetur à diuite, modò non determines aliquem in particulari. Molin. & 4. Imò forte quamuis etiam personam determinares. Vasquez & 2. Quod si quis decreuisset eandem summam auferre vel à Petro, vel à Paulo, & dubitaret à quo, etsi amicus Pauli suaderet ei vt potius furaretur à Petro, nihil teneretur restituere; quia amicus debet potiùs prospicere amico. Lugo & Io. Pontius. *p.5, tr.7, ref.19. & p.11. tr.6. ref.58. p.3, tr.5. ref.37.*

II. Quando agitur de minori malo inferendo eidem personæ, non tantùm potest quis suadere minus, sed etiam ad illud cooperari, quando aliàs esset inferendum maius: nam tunc Dominus non potest quoad hoc esse rationabiliber inuitus. Hoc tamen solùm habet locum quoad bona, quorum dominium habetur, non autem cùm agitur de auferendis bonis vitæ, vel corporis; nam in his non potest præsumi rationabilis voluntas Domini. Vasquez & 3. *p.5. tr.7. res.19.*

III. Quando vel pater filiam grauidam, vel ipsa se vellet occidere ad infamiam vitandam, licitum esset suadere abortum, tamquam minus malum. Mazuchell. *part.* 7. *tr.5. resol.39.*

Consuetudo.

I. RAtionabilis consuetudo est, quæ seclusâ lege cui repugnat, nihil continet deformitatis. Sanchez & 2. Et in dubio præsumenda est, rationabilis nisi ipsa sit à

lege reprobata.Suarez & 3.Vnde in materiâ etiam præcedentiæ potest obtinere quamuis minùs dignum præponat digniori, si ex aliquâ causâ id fiat,Menoch.& 4.*par.6.tr.5. res.1.& 29.*

II. Ad consuetudinem ligit imè præscriptam decennium sufficit.Castrop.& 7. Contra leges tamen canonicas probabiliùs requiruntur 40.anni. Lessius & 18. Et hæc siue inter præsentes, siue inter absentes.Suarez & 4. Et æqualiter quoad internum forum ,vel externum. Sed tempus illud per vnicum etiam actum interrumpitur. Castropal.& 6.Idemque quoad omnia est vt posterior consuetudo abroget priorem. Castrop.& 6. *Ibidem resol.* 2. 3. 5. 4. *&* 27.

III. Ad consuetudinem legitimam requiruntur actus voluntarij, & consequenter non ex errore,aut coactione. Granad.& 5. Item vt fiant ex intentione inducendi obligationem. Bellarm & 8.Quod colligitur. I.si sint difficiles,& tamen communiter à populo fiant.II.si populus offendatur dum non fiunt. III. si puniantur non seruantes consuetudinem. IV.si eius materia multùm conferat Reipub. Suarez & 3. Non tamen requiruntur vlli actus iudiciales , quibus scilicet secundùm consuetudinem iudicetur. Suarez & 12. Nec requiritur consensus principis expressus , sufficit is qui continetur in iure statuente consuetudinem posse contra legem præualere. Suarez & 6. Sed propter decisionem Rotæ Rom. tenendum est, quoad leges ecclesiasticas requiri expressum consensum Papæ.*Ibib.resol.*9.10.11.8.13.*&part.5.tract.*14,*resol.*13.*&p.*3.*tr* 6.*resol.*80.

IV. Consuetudinem introducere possunt qui possunt legem statuere. Hinc debet esse communitatis. Suarez & 3.Et in ordine ad solos subditos:vnde non extenditur de loco ad locum:vel de personâ ad personam:vel de casu ad casum.Bartol.& 3.Nec consuetudo laicorum potest obligare Clericos,nisi vel indirectè,vel interueniente consensu tacito Superioris Ecclesiastici , qui facilè præsumitur

quando materia consuetudinis æque , vel magis decet Clericos quàm laicos. VViggers & 4. Possunt autem & mulieres consuetudinem legitimam introducere quoad ea quæ ipsas solas spectarent. V. G. ieiunandi in Sabbato ad honorem B. Mariæ.Montesin. *part.6.tractat.5.resol.*14, 17.31.16.15.

V. Consuetudines Laicorum simul & Clericorum mixtæ etsi possint inducere obligationem etiam quoad Clericos , hoc tamen non habet locum quando illæ præiudicant sacris Canonibus, nisi tuncPontifex consentiat saltem tacitè.Suarez.*p.4.tr.1.res.69.*

VI. In concursu consuetudo particularis præualet generali.Rota & 3. Item in clausulâ generali derogante cuiuis consuetudini , non comprehenditur immemorabilis. Castrop.& 8.Nisi esset iniqua,& irrationabilis.*par.6. tract. 5.res.31.& 32.*

VII. Consuetudo habet vim interpretandi legem , etiam introducendo sensum aliquem cum Legislatoris mente minùs conuenientem. Caietan. & 2. Imò & abrogandi legem , quamuis hæc prohibeat omnem consuetudinem contrariam,non tamen si eam reprobet vt irrationabilem, nisi fortè mutatis circumstantiis desinat esse irrationabilis. Sanchez & 5. Quando autem lex consuetudinem contrariam improbat terminis generalibus , intelligitur solùm de preteritâ, non de futurâ. Suarez & 2. Imò quoties consuetudo præcedens est generalis , abrogatur per legem posteriorem,etsi de eâ non fiat mentio,non tamen quando est particularis alicuius loci,vel certi generis personarum:tunc enim præsumitur ignorari.Montesin.Vt verò etiam tunc sit opus clausulâ derogatoriâ consuetudinis, debet hæc esse legitimè præscripta. Castrop. & Mascard.*Ibid.res.*24.21. 22.23,25. & 26.

VIII. Potest consuetudo abrogare legem pœnalẽ quoad pœnam , manente obligatione quoad culpam, Suarez & 9. Et contrà;nisi pœna supponat intrinsecè culpam,vt sit in censuris.Suarez & 4.*Ibid.res.*19.& 20.

IX. Vni Doctori testanti de consuetudine non habetur fides in foro externo;vt Sacra Rota:sed in interno potest haberi.Granad.& 2.*Ibid.res.*28

Contractus.

I. MInor 25. annis Curatorem habens,& sine huius consensu contrahens,non obligatur.Contrarium tamen docet Faber & 2.Prodigus etiam ex contractu confirmato iuramento non obligatur ex iustitiâ,sed tantùm ex virtute Religionis erga Deum,Hurtad. *part.8.tr.7.resol.* 20.*&* 21.

II. In Siciliâ frequens est hic contractus , Ioannes v.g. mense Ianuario vendit 100. modios frumenti Petro mense Iulio consignandos , quo tempore Petrus soluet pretium , quod taxant ipsi contrahentes mense Ianuario hoc modo , vt si mense Ianuario quo fit contractus , modius frumenti valeat 40. solidis.mense Iulio soluantur 43.Notandum tamen , Ioannem venditorem frumenti teneri illud dare Petro , quoties petierit toto illo tempore intermedio à Ianuario ad Iulium , quo tempore dictum frumentum stat periculo , & expensis Ioannis venditoris. Si verò mense Iulio Petrus non acceperit frumentum,Ioannes debet illum monere, & cogere vt accipiat ; sin nolit protestatur de interesse,& expensis, & post hac periculum erit penes Petrum. Hic contractus est licitus , modò illa venditio non sit ficta:est enim contractus verę emptionis & venditionis ; & illud quod Ioannes accepit vltra pretium currens,iustè accipit pro expensis, laboribus, & periculis subeundis , conseruando frumentum ad mensem Iulium.*p.*1.*tr.*8.*res.*65

III. Contractus massarij ad mercatorem vulgò dictus, *alla metà* est licitus,etsi vendens non sit agricola,nec dominus prędiorum, neque in solidum se obliget cum aliquo qui talis sit : sufficit si habeat frumentum in potentiâ morali,scilicet vt possit illud emere.*Ibid.res.*16.

IV. Si in dicto contractu venditor non tradat frumentum tempore præfixo, non potest emptor petere, nec accipere summum frumenti pretium, sed ex præteritis pretiis inter summum & infimum debet eligere medium. Si tamen illo tempore quo summum fuit frumenti pretium, emptor illud vendidisset, posset summum exigere. Molina & 7. Eiusmodi autem contractus potest sæpius renouari citra fraudem, & posteà adiici interesse ad sortem principalem, ratione lucri cessantis. Scaccia & 6. *Ibid. resol.* 17. 18. & 19.

V. Contractus quo res vtilis v. g. prædium venditur certo pretio cum pacto de retrouendendo ad voluntatem emptoris (in quò differt à rescissibilitate aliorum contractuum quæ pendet à voluntate venditoris) ita vt quilibet interim habeat vsum vnus rei, & alter pecuniæ, & dum rescinditur contractus quisque restituat quod accepit per hunc contractum, (qui Italis dicitur *godere à godere*) non est vsurarius, vel iniustus, si fructus prædij sint æquales cum interesse quod percipitur ex pecuniâ, vt docet Molfes. Contrà tamen docet Azor esse vsurarium; eò quòd qui dat pecuniam videatur reuera non emere, sed mutuare accepto pignore, ita vt lucretur pignoris fructus: vnde potius est commutatio vsus, vel locatio rei, quam venditio, cùm tamen pecunia locari non possit, nisi fortè ad ostentationem, quia in locatione non transfertur dominium. *Ibid. res.* 82.

VI. In magnâ annonæ penuriâ licet à Turcis & Infidelibus emere carnes, aut frumenta, vel cum illis alias merces permutare; quia in necessitate non est prohibitum commercium cum infidelibus. Suarez & 3. *part.* 2. *tractat.* 16. *res.* 34.

VII. Pœna conuentionalis non debetur in conscientiâ ante sententiam iudicis. Vasquez & 6. Saltem quando debitor non est in morâ culpabili, vel pœna non est moderata. Vasquez & 6. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 29.

VIII. Qui non soluit tempore debito sine suâ culpâ, an

censeatur esse in mora, ac proinde teneatur ad pœnam conuentionalem; vtrimque probabiliter alij asserunt, alij negant, apud à S. Fausto. *Ibid. res.* 43.

IX. Minor vel pupillus pubertati proximus contrahens sine Curatoris consensu, obligatur naturaliter. Lugo & 6. (Etsi contrarium sit etiam probabile. Couarr. & 8.) etiam quando ex contractu non est factus locupletior: nam si factus est, obligatur etiam ciuiliter. Sanchez. *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 40 & *tr.* 4. *ref.* 23.

X. Si pupillus, vel minor 25. annis, ludendo perdidit, vel alio contractu promisit se soluturum, non tenetur, sed exceptione legis ciuilis defendere se potest, dummodo se soluturum non iurarit. Si autem pupillus creditori soluit, potest creditor in foro conscientiæ rem illam retinere, donec beneficio legis ciuilis ab eo repetatur. Contrarium tamen in his omnibus est probabile, sicut probabile est non obligari naturaliter. Quod si pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè solutam repetere velint, & propter negligentiam iudicis recuperare non possint, vel non sine magnis expensis, compensationem seu clam, seu palam facere non prohibentur. Layman & 3. *p.* 3. *tr.* 5. *reso.* 44. & *p.* 11. *tr.* 4. *ref.* 23.

XI. Contractus initi à Minoribus sine consensu Curatorum, & decreto iudicis, etsi non valeant quatenus ipsos lædunt, valent tamen quatenus ipsis sunt vtiles, ita vt ipsis liberum sit iis stare, vel non. Molin. & 6. *part.* 11. *tr.* 4. *resol.* 23.

XII. Contractus innominati etsi non pariant actionem & obligationem ciuilem, pariunt tamen obligationem in conscientiâ, neque liberum est pœnitere. Molin. & Ognate. Contrarium tamen probabiliter docet VVading. *p.* 9. *tr.* 9. *ref.* 12

XIII. Contractus qui vulgò dicitur *Lotto*, non est iniustus, quando neque res, neque ministrorum opera, pluris taxantur quàm valent, neque etiam plures adhibentur ministri, aut longiori tempore quàm necesse sit. Filliuc. & 6. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 81.

XIV. Si quis capitale maius in ſponſione aliquâ vel luſu expoſuerit, poteſt is qui habet capitale minus acceptare, & lucrari ilud plus, ſine onere reſtitutionis; modò alter, cuius pecunia maior eſt, norit inæqualitatem; quia hæc videtur eſſe conſuetudo inter ludentes vt in illam inæqualitatem conſentiant, quando totum reliquum capitale exponunt. Azor & 3. Sed alij putant contrariam eſſe conſuetudinem. Lugo. Qualis igitur ea fuerit, ſic erit iudicandum. *Ibid. reſol.* 66, *&* *p.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 40. *&* *p.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 35. *&* 65.

XV. Si quis dum ludit, ſuo ſimul & alterius nomine ludat, & paciſcatur vt alter ſoluat dimidium perditi, & accipiat ſolùm tertiam partem lucri, plerumque poteſt excuſari ab iniuſtitiâ, vel ex eo quod ipſe conferat operam & induſtriam, vel ex liberalitate alterius donantis illam inæqualitatem pro ſe ludenti. Lugo. *part.* 7. *tractat.* 9. *reſol.* 36.

XVI. Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, & illa æquè commoda eſt ſingulis, ac ſi pro illis ſolis fuiſſet exhibita, poteſt à ſingulis tantum exigere, quantum ab vno poſſet, ſi pro eo ſolo laboraſſet, modò id nullo iure poſitiuo prohibeatur. Leſſius. *part.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 76

XVII. Qui conduxit operam alicuius, ſi ſtetit per conductorem ob caſum fortuitum, quò minùs locator operam ſuam præſtaret, non tenetur ad integram mercedem. ſi locator alium non inueniſſet conductorem: niſi iſte illum conduxiſſet; aut ſi potuiſſet inuenire ſi voluiſſet, & per negligentiam omiſit, quia voluit eſſe otioſus. Rebell. & Valerus. *Ibid. tr.* 6. *reſ.* 14.

XVIII. Ob fortuitam ſterilitatem terræ ita vt ex tribus partibus collegi ſolitis, vix duæ colligantur, remittendum eſt aliquid Colonis, niſi compenſetur à fertilitate præcedentis & ſequentis anni, ita vt tertia pars plus ſolito colligatur, & tunc eodem modo augenda eſſet penſio pro ratâ fertilitatis maioris. La Cruz. Quando autem vel talis

conductor, vel quiuis alius renuntiat omni casui fortuito, censetur comprehendere etiam insolitos & extraordinarios. Fachin & 3. Etsi contrarium probabile sit. Villalob. & 3. Imò & qui periculum alicuius rei in se recipit, censeri & casum fortuitum in se recepisse, docet validissimè Hunnius: sed tu cogita. *part.3.tractat.6.resol.17.& part.8.tract.7.resol.31.& 32.*

XIX. Probabile videtur, posse aromatarium locare suam tabernam cum omnibus vasis & medicamentis ad certum tempus, illaque conductori tradere certo pretio æstimata, cum expresso pacto, vt teneatur conductor singulis annis soluere decem pro centenario prætij æstimati, & in fine conductionis restituere vasa & medicamenta eodem pretio æstimanda. Quia licet periculum rerum apothecæ sit penes conductorem ex vi æstimationis, & in hoc iste contractus transcendat terminos locationis, cui hoc est proprium, vt rei locatæ periculum pertineat ad ipsum locatorem, nihilominùs manet locatio, quia sic transactum est inter contrahentes. Valerus & Caualcan. *par.1. tract.8.res.89.*

XX. In contractibus vbi est solius dantis vtilitas, vt in deposito, dolus & lata culpa præstari debent: vbi est vtilitas solius accipientis, vt in commodato, etiam leuissima culpa præstatur: vbi est vtriusque vtilitas, vt in locato, empto, dote, pignore &c. culpa leuis præstatur, non tamen leuissima. Escob.& 12. Etsi hoc etiam affirmet Hunnius: quod verum potest esse quando res naturâ suâ exactissimam diligentiam exigit v. g. quæ fragilia sunt. *part.9.tract.7.resol.30.*

XXI. Negotiorum gestor de latâ solùm, & leui culpâ conueniri potest, non autem de leuissimâ. Faber. Etsi contrarium doceat Cuiac, & 3. Heredes autem Tutorum de latâ solùm non autem de leui culpâ Tutoris defuncti conueniri possunt. Faber, contra Cuiac & 2. Tutor autem ipse seu Curator de latâ, & leui culpâ tenetur tamquam ex contractu in vtriusque vtilitatem. Villalob. & 4. cum ei

præmium debeatur si fidelis fuerit: quod quibusdam locis est pars vigesima reddituum bonorum Minoris: in aliis decima: Et contrà si cum teneretur cum iis negotiari, neglexerit, possunt pupilli ab eo exigere 5. in 100. Sà & Busemb. *p.11.tr.3.res.18.& tr.7.res.49.*

XXII. Mandatarius si res mandantis apud eum pereat, tenetur tantum de culpâ latâ, non de leui, vel leuissimâ, nisi mandatarius esset mercede conductus, tunc enim teneretur etiam de leui, tamquam ex contractu in vtriusque vtilitatem. Molin.& 3. Idem est de procuratore seu gestore negotiorum. *part. 9. tractat.7. resol. 32. & part. 8.tract. 7. resol. 34. & 35.*

XXIII. Cum res conducta est ad certum vsum, qui eâ vtitur ad alium v. g. equo proficiscitur ad alium locum quàm conuenerat, tenetur etiam de casu fortuito: nisi fortè equo adiunctus fuit famulus qui consensit: tunc enim tenebitur solùm de dolo; sibi enim imputare debet Dominus quod malum famulum equo adiunxerit. Trullench. & Sanchez. *p. 9. tract.7.resol.30.*

XXIV. In Contractibus qui celebrantur in gratiam vtriusque contrahentis, si quid damni accidat sine culpâ alterius, in foro quidem externo nihil debetur ratione damni: at in foro conscientiæ diuidendum est damnum inter vtrumque, vt si equus conductus moriatur in itinere sine culpâ conducentis. Paludan. & Valerus. *part. 3. tract. 6. resol. 10.*

XXV. Si domus conducta comburatur, & nesciatur an culpâ Conductoris acciderit, an casu, ad nihil is tenebitur. Hunnius & 4. Quod si constet accidisse culpâ alicuius de familiâ qui peccauerit circa officium suum, v.g. stabularius in stabulo malè custodiendo lumen, tenebitur de damno pater-familias; secus si aliqui extra officium deliquissent. Berlich. *p.9.tr.7.res.31.*

XXVI. In contractibus decipiens infra dimidium tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem, etsi in foro externo contra eum non detur actio. Potest etiam contra

talem recurri ad Iudicem Ecclesiasticum, qui ad restitutionem compellet etiam per censuras. Lugo & Salas. Dicitur autem læsus supra dimidium, venditor quidem si pro re valente 12. accipiat minus quam 6. Emptor vero si pro eâdem illâ re soluat plus quam 18. Couarr. & Gomez. Etsi alij alio modo talem læsionem definiant. *part. 7. tractat. 10. resol. 22.*

XXVII. Beneficio restitutionis in integrum gaudet Minor etiam aduersus alium Minorem, & Ecclesia aduersus Ecclesiam Castropal. Quod tamen etiam probabiliter negat Layman. Quoties autem hæc restitutio fit ratione contractus gratuiti v.g. donationis, tunc restituenda est res cum fructibus: secus autem si fiat ratione contractûs onerosi iusti. Hurtad. Quod si Ecclesia læsa sit in contractu cum laico potest restitutionem hanc petere non solùm coram Iudice ipsius laici, sed etiam coram Iudice ecclesiastico. Castropal. & 4. *part. 11. tractat. 3. resol. 31.*

XXVIII. Minorum ætas vt gaudeant hoc priuilegio bene probatur per librum in quo parentes ætatem filiorum describunt, & multò magis per libros parœciales. Teutler. Computanda est autem de momento ad momentum vltimum anni vigesimi quinti completi. *Ibidem resol. 27.*

XXIX. Post completam ætatem 25. annorum perseuerat adhuc in ipsis, vel, si ante moriantur, in eorum heredibus idem beneficium vsque ad quadriennium, non computato tempore impedito, respectu tamen solorum contractuum celebratorum tempore minori ætatis. Molin. Quod verum est etsi tempus læsionis minus sit quadrienino. Debere tamen intra illud quadriennium restitutionem illam finiri, docet Duaren. Etsi alij sufficere velint vt intra illud petatur. Donell. & Fornet. Imò & post quadriennium poterit concedi, si aduersarius non reclamet. *Ibid. res. 28. & tr. 4. res. 23.*

XXX. Restitutionis beneficium non competit fide-

iussoribus pro Minore; est enim beneficium personale ratione ætatis,& iudicii debilioris. Castropal. Eodem modo non prodest socio Minoris in eâdem lite;quia soli minori conceditur,non autem maiori eâdem sententiâ damnato. Duaren. & 3.*p.* 11.*tr.*3.*res.*29.

XXXI. Si Minor contrahens iurauerit seruare contractum,non poterit per restitutionem in integrum rescindi. Castropal. Iuramentum tamen Prælati non præiudicat Ecclesiæ quo minus restitutionis beneficio frui possit.Dicastill.& 2.Item si Minor solùm læsus fuit quoad pretium v. g. quia vendidit minoris iusto , tunc etiam quoad solum pretium restituitur , non autem quoad rescissionem contractûs;quia circa hunc tunc non fuit læsus. Molin.& 4.Etsi contrarium doceat Castropal.*Ibid.res.*30. *&* 31.

Contritio.

I. PEccator non obligatur præcepto contritionis nisi in articulo mortis,aut eius periculo , quando non potest suscipere Sacramentum Pœnitentiæ. Vasquez & 4. Etsi multi contrarium doceant. Lugo & 6. Quamuis autem esset obligatio non differendi actum pœnitentiæ ad longum tempus post peccatum v.g. per 8. vel 6. menses , non tamen teneretur pœnitens eius omissionem speciatim confiteri,aut Confessarius de illo interrogare(etsi hoc affirmet Candid.& Nugnus.) quia ex statu pœnitentis & confessione,dum v. g. se accusat de confessione plusquam per annum omisſâ satis intelligitur illa transgressio.Lugo & Leand.*p.* 5.*tr.*13.*res.*33.*&* *p.*11.*tr.*8.*res.*51.

II. Dum quis contritionem tenetur elicere , non est necesse omnia peccata sigillatim in memoriam reuocare , vt de illis contritionem eliciat, sed sufficit vt illa vniuersim detestetur. Suarez & 10. Contrarium tamen est probabile , teneri scilicet peccatorem præcepto naturali ad examen & recogitationem omnium peccatorum. D. Thomas & 11.Eademque est ratio quando sacerdos in mortali

existens

existens tenetur elicere contritionem vt Sacramentum aliquod ministret: vel quando ob defectum Confessarij potest celebrare sine præuiâ confessione. *p. 3. tr. 4. res.* 118. *&* *p. 11. tr. 5. res.* 55.

Correptio fraterna.

I. Correptio hæc est actus virtutis præceptus sub mortali per se loquendo, quando necessarius est ad impediendum peccatum proximi, & commodè fieri potest. Neque sufficit semel corripuisse, sed toties id faciendum quoties speratur emendatio. Sanchez & 3. *p. 7. tract.* 3. *res.* 1. 2. 3. 4. 5. *&* 32.

II. Rarò concurrunt circumstantiæ omnes, vt præceptum correptionis fraternæ obliget sub mortali, præterquam in Prælatis, quorum maior est obligatio subditos corripiendi. Vnde facilè potest esse mortale, si ex negligentiâ & rimore correptionem omittant: alii verò si omittant ex tepiditate, aut simili affectu, & non ex intentione, & proposito, non est nisi veniale; nisi fortè damnum proximi esset tam notabile, vt grauiter imputaretur nolenti succurrere per correptionem. Granad. & 14. *p. 4. tr. 4. resol.* 228. *&* *p.* 7. *tr.* 3. *res.* 61.

III. Correptio pro venialibus non est in præcepto, nisi pro Prælatis, vel Magistratibus. Suarez & 8. Neque tamen est mortale, si Prælati cum aliquo talium defectuum occulto dissimulent. Castrop. Neque si Magistratus temporales vniuersim in iis dissimulent, nisi essent peccata multùm conducentia ad pacem, & bonum Reipub. Bannez. *p. 7. tr. 3. res. 7. &* 8. *&* *p. 5. tr. 5. res.* 66.

IV. Magistratus & Prælati ad corripiendum tenentur etiam ex iustitia. Hurtad, & 11. Quamuis id neget Lorca. Vnde est peccatum specie diuersum, & tenentur ad restitutionem, si quod ex eius omissione damnum in aliis oriatur. Duuall. Quod idem de Patre, & Tutore, & Domino respectu mancipij, non autem respectu simplicis famuli, docet Castrop. & Sancius. Saltem Patres, & Domini, vti

& mariti speciali titulo ad hoc tenentur. Hurtad. & Villalob. *p.7.tr.3.res.9.& 31.* Est tamen probabile omissionem eius non esse peccatum specie diuersum. Sancius. *part. 1. tract.7.res.57.*

V. Prælati & Magistratus, non autem Confessarij, tenentur etiam inquirere in subditorum peccata vt ea corripiant. Non tamen possunt multum & curiosè de aliquo in particulari rogare, nisi hic speciale eius signum dederit. Neque facilè debent admittere spontaneos accusatores; quia specie boni communis plerumque se quærunt. Hurtad. *p.7.tr.3.res.10.& 12.*

VI. Concionatores tenentur publica peccata corripere, etsi non sit spes emendationis. Hurtad. & Coninc. Non debent tamen id facere quoad Prælatos, nisi communitati essent perniciosi. Bannez. Quo casu etiam subditi id publicè facere debent: aliàs non nisi priuatim, & cum magnâ prudentiâ. Malder. & *9. Ibid. res. 13.& 15.*

VII. Non tenetur priuatus aliquis vitam suam emendare ideò vt proximum vtiliter corripiat, etsi hic aliàs sit moriturus in peccato. Castrop. Quamuis hoc casu id affirmet Bannez & 4. Tenentur autem etiam Infideles corripere alios (Malder. & 12.) Sicut & ipsi corripiendi sunt. Coninc & 3. Vti & publici peccatores v.g. meretrices, vsurarij &c. Malder. & 3. Etsi in his plerumque sit excusatio ex desperatione fructûs. *Ibid. res. 16. 20. & 33.*

VIII. Qui non certò sit peccatum alterius, non debet eum corripere. Suarez & 8. Sufficeret tamen dubia cognitio quando esset peccatum redundans in damnum tertij, vt hæresis, vel si mors instaret corripiendo, vel si hic crederetur non valde ægrè laturus. *Ibid. resol. 6. & p. 4. tract. 3. resol. 72.*

IX. Peccatum habituale sine periculo iterum relabendi non obligat ad correptionem. Sanchez & 8. Etsi id affirmet Suarez & 6. Obligat tamen peccatum ex inuincibili ignorantiâ siue iuris naturalis, siue positiui commissum, nisi non speretur fructus, sed maiora potius incom-

moda Coninc & 2. Quamuis in iuris positiui ignorantiâ excuset Bannez. Vnde si priuatus aliquis videat Clericum ex obliuione inuincibili omittere horas canonicas, vel aliquem comedere carnes die vetito, non tenetur illos monere. Ouiedo. *part. 7. tractat. 3. resol.* 11. 18. & 19. & *p. 9. tr. 8. resol.* 48.

X. Correptio adhibenda est non semper statim, sed dum maior fructus speratur. Vnde interdum permitti potest reiteratio eiusdem peccati, vt ex commissione plurium ferventiùs resipiscat. Villalob. & 4. *part. 7. tractat. 3. resol.* 30. & 29.

XI. Quia præceptum hoc non obligat nisi cum spes est fructûs, hinc multi excusantur qui non sunt magnæ auctoritatis, vel etiam omnes alij respectu eorum qui publicè, & ex consuetudine peccant. Hurtad. & 4. Sufficit autem iudicari probabiliter non fore fructum. Valent. & 2. Sicut etiam in dubio de fructu vel damno non teneris, nisi in extremâ necessitate, vt si proximus esset in peccato moriturus. Coninc & 2. Similiter quando quis in præsenti esset futurus deterior, & de nouo peccaturus, etsi posteà crederetur ex correptione illâ emendandus, raró obligaris, nisi alter esset in extremo vitæ periculo. Duuall. Quãdo tamen corripiendo potes impedire aliorum peruersionem, teneris, etsi nulla esset spes emendationis in correpto. Coninc. *Ibid. res.* 21. 22. 23. & 24. & *p. 3. tr. 5. res.* 93. & *p. 4. tr. 3. res.* 72.

XII. Non obligaris si probabile est proximum aliâ ratione esse emendandum vel per se, vel per aliorum correptionem. Coninc & 3. Neque si non potes sine graui tuo incommodo, nisi in casu extremæ necessitatis: (Hurtad. & 4.) tunc enim etiam cum vitæ periculo teneri, docet Bannez & 4. Sed hoc nimis rigidum videtur Lorc. & aliis nisi in Prælatis. Hurtad. & 6. *part. 7. tractat. 3. resol.* 25. 26. 27. & 28.

XIII. Ordo præscriptus *Matth.* 18. obligat sub peccato Suarez & 15. Etsi contrà sentiat Hurtad. & 4. Quandò

tamen peccatum est notorium siue maiori parti illius communitatis notum, tunc non est necesse præmittere monitionem priuatam. Valent. & 5. Sicut neque cum ea creditur non profutura. Suarez & 4. *Ibid. resol.* 35. 36. 39. 41. 42. & 43. & *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 42.

XIV. Etiam in Religionibus non est denuntiandum peccatum occultum superiori tanquam Patri, sine præuiâ correptione fraterna. Fagund. & 22. Nec contrarium probabile est, nisi Prælatus sit vir prudens & taciturnus & sit spes maioris vtilitatis. Rectè tamen id statutum est in Societate IESV. Suarez & 20. Quidquid contra asserat Lorca & 3. *part.* 3. *tractat.* 2. *resol.* 37. & *p.* 7. *tractat.* 3. *resol.* 44. & 45.

XV. Si quis iam est emendatus, non potest delictum denuntiari superiori vt Patri, sed tantùm quando aliter non potest caueri relapsus. Sanchez & 12. Quod etiam in Societate IESV. verum est. Sanchez & 2. Et si contrarium probabile videatur Hurtad *p.* 7. *tr.* 3. *res.* 49. & 50.

XVI. Ordo iste quoad testes adhibendos non intelligitur de peccatis vni tantum notis, sed aliquo modo publicis. Caietan. & 2. contra Turrian. At si peccatum vergat in damnum tertii, vel aliter non obtineatur emendatio, adhibendi sunt etiam in peccato tibi vni noto; quia illud aliquale damnum famæ cedit maiori bono spirituali. Sanchez & 2, Aliàs etiam non possunt adhiberi testes qui delictum ignorant, si possint haberi qui illud sciunt. Granad. & Tanner. Quamuis alii negent vnquam posse adhiberi testes ignaros delicti. Durand. & Io. Henriq. *Ibid. res.* 37. 39. & 51. & *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 41.

XVII. Testes adhibentur non tantum vt proximus meliùs emendetur, sed etiam vt posteà delictum, si necesse sit, probetur. D. Thom. & 3. Non tamen adhibendi plures quam necesse sit. Neque post adhibitum vnum, si non sequatur emendatio, debent necessariò adhiberi duo, ac deinde etiam plures. Malder. & Bonacin. *p.* 7. *tr.* 3. *resol.* 38. 40. 53. & 54.

XVIII. Non potest superior immediatus monere superiorem mediatum de delicto aliquo quod ipse potest per se emendare. Castrop. & Trullench. Neque potest ex denuntiatione paternâ procedere ad subditum puniendum, sed tantùm ad impediendum peccatum. Cum quo non pugnat quod secretam aliquam pœnitentiam, non tam punitiuam quam præseruatiuam, possit imponere (Sotus) vel à loco aut ministerio alio remouerere sine infamiâ alterius, aut socium fidelem illi assignare qui eum obseruet, vel prohibere ne ad certum locum vel personam accedat, quæ omnia non excedunt correctionem paternam. Castropal. & Caspens. Item non potest ex denuntiatione paternâ procedere ad iudicialem. Lugo & 2. Nisi fortè delictum vergeret in graue damnum communitatis, vel innocentis, vel si aliter emendatio subditi obtineri non posset: quo casu posset denuntiator adhiberi vt testis Villalob. & So tus. *Ibid. res.* 48. 46. *&* 47.

XIX. Peccata quæ vergunt in damnum tertii, si quis denuntiet cum posset secretâ correptione impedire, non peccat contra iustitiam, sed contra caritatem. Fagund. Peccata autem fornicationis censentur in Religiosis contra bonum commune. Mirand. & 2. Saltem quando timeri potest eorum publicatio. Valer. Quod alij absolutè negant. Rodriquez & Spathar. Præmittenda est tamen correctio fraterna ante eorum denuntiationem cum speratur profutura. Mirand. Sed si fornicatio committeretur tantùm semel vel bis, tunc non posset dici vergere in perniciem publicam. Pitigian. *Ibid. resol.* 52. *&* 62. *& part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 69.

XX. Delicta tendentia in damnum communitatis, etsi sint occulta, possunt denuntiari iudicialiter non præmissâ monitione, quamuis per hanc occurri posset peccato & damno; quia tunc non tam intenditur priuatum bonum proximi, sicut in denuntiatione paternâ, quàm publicum ex punitione delicti. Hurtad. & 7. Vnde idem habere locum in aliis etiam delictis, spectato rigore iuris, non ta-

men secundùm caritatem, docet Lugo & 6. Quod planè negat D. Thom. & 4. Aliàs ante publicam denuntiationem etiam testes priùs sunt adhibendi, vt quàm minimo suo incommodo proximus emendetur. D. Thom. *p.7.tr.3. res.55.57.& 56.*

XXI. In foro externo non est necessariò seruandus ordo correctionis, quamuis Iudex conari debeat vt seruetur, quoties debitus est saltem ex caritate. Lorca & 2. Interueniens autem correptio fraterna non impedit quo minùs procedere possit Prælatus ad iudicialem, quando licuisset ad hanc procedere non interueniente fraternâ; quia virtus caritatis non præiudicat iustitiæ. Imò potest id aliquando esse necessarium. Bannez & 3. Nulli autem Iudices etiam ecclesiastici peccant si in mortali exerceant correptionem iudicialem. Duual. & 2. Etsi hoc affirmet. D. Thom. & 2. *Ibid. res.58.59.& 17.*

D.

DEBITVM.

I. QVamuis certus de debito, & dubius de solutione, teneatur soluere; quando tamen & debitor & creditor dubitant, probabile est, non nisi partem iuxta qualitatem dubii soluendam. Layman. Imò nihil soluendum probabiliter docet Tanner. & 2. Sed probabiliùs tenetur integrè soluere. Lugo & 2. *p.4.tr.3.res.32.& p.3.tr.6.res.49. & p.11.tr.5.res.27.*

II. Quod debetur certo tempore, potest ante illud solui etiam inuito creditore. Bartol. & 9. vt cum moneta putatur mutanda extrinsecè quoad pretium. *p.8.tr.7.resol.17.* Quando autem quis habet multa debita apud eundem creditorem, potest eligere vtri malit priùs satisfacere: vnde si aliquid soluat, censetur id soluere pro debito quod magis grauat. Molin. & 8. *p.2.tr.16.res.49.*

III. Debitor non potens omnibus creditoribus satis-

facere, non potest integrè soluere creditori anteriori; quia regula : *qui prior est tempore*, &c. tantùm intelligitur de debitis hypothecariis. Fagund. & 11. Contrarium tamen est probabile. Valent. & 3. Similiter non potest præferre creditorem pauperiorem. Vasquez & 7. nisi sit in extremâ, vel quasi extremâ necessitate. Contrarium tamen est etiam probabile. D. Thomas & *6. p. 11. tr. 3. res.* 11.

IV. Debitor licitè potest, imò tenetur integrè soluere priùs petenti siue in iudicio, siue extra, etsi tempore esset posterior in debito, modò omnes sint creditores personales, & non hypothecarij; quia diligentia in petendo facit iure potiorem, iuxtà leges ciuiles Dicastill. & 3. Contrarium tamen est probabile. Layman & 3. Item probabile est leges illas solùm negare in foro externo actionem contra creditorem illum diligentiorem. Azor. *Ibid. resolut.* 12.

V. Debitor non potest alicui creditori non habenti ius prælationis integrè satisfacere, quando non potest omnibus. Molin. & 6. Quod si tamen fecerit, non tenetur creditor acceptum restituere. Lessius & 4. Idem est si aliqua res debitoris peruenerit ad manus creditoris, poterit enim eam retinere; quia est potior iure ratione possessionis, nisi fortè alteri sit hypothecata. *Ibid. res.* 13.

VI. Debitor impotens non potest nouis contractibus se reddere impotentiorem, nisi ij necessarij sint ad illud ratione cuius posset solutionem omittere v. g. ad vitam, honorem, vel statum iustè acquisitum. Hurtad. Vnde potest vxorem decenter sustentare, & filios qui se sustentare decenter non possunt. Item potest conducere famulos. Medicos, & alios sibi necessarios, & expendere necessaria ad condendum testamentum, & ad inuentarium bonorum. Imò probabile est non teneri restituere eum qui à tali debitore aliquid acceperit titulo etiam gratuito, etsi sciuerit, dantem per hoc fieri impotentem aliis soluere dummodo non induxerit ad donandum. Molin. & 3. *Ibidem.*

VII. Vt quis possit vti tacitâ compensatione debet. I. debitum esse ex iustitiâ. Fagund. Licèt Nauarra eam admittat etiam in debito ex solâ caritate, vel gratitudine II. debet esse debitum certum, ita vt debitor teneatur in conscientiâ soluere,nec sufficit esse probabile.Suarez & 4. Quamuis admittant Lugo & Spinola, te posse tibi tacitè vindicare rem quam probabiliter iudicas tuam, quando per Iudicem non potes eam repetere. III. vt non plus capiat, quam sibi debetur. IV. vt debitum sit statim. & illo tempore soluendum: nisi fortè iam posses, & posteà non esset spes recuperandi præfixo tempore. Neque est mortale id facere, etiam cum potes sine graui incommodo in iudicio repetere, modò fiat occultè,& sine scandalo.Masdér & 4. *p.2.tr.16.res.46.& p.7. tr. 10. res.19.16.& 17.& p. 9. tr. 9. res.* 44.

VIII. Compensatio illa fieri potest etiam in deposito, quando non est alia via suum recuperandi.Lessius & 9.Vel etiamsi sint alij creditores anteriores:neque enim tenetur quis rem suam amittere, cùm illam recuperare possit, & per consequens tales non ligantur monitorio sub pœnâ excommunicationis imperante restitutionem. Comirol. & 4.Quæ vera sunt etiamsi quis iurasset debitum aliquod soluere, adhuc enim posset vti exceptione compensationis. Molin.& 11. quia compensans dicitur soluere. *p.3.tr. 5.res.10.& in Addit.3.p. res.1.& 8 & p. 5. tr.13.res.76.& p. 7. tr.10 res.18.& p.10.tr.16. res.60.*

IX. Potest fieri compensatio etiam ex re quam debitor alteri dono mittit; quia adhuc est in eius dominio, cum donatio nondum est acceptata. Vasquez. Neque solùm ex pecuniâ quàm alteri dono mitteret, sed etiam quam mitteret in solutionem; modò tamen hic creditor debitoris tui seruetur indemnis:aliàs cum eius præiudicio non est facienda tibi compensatio.Lugo.*part.7.tractat.*10. *res.* 17.

X. Debita etiam contracta ad alendam familiam, non tenentur soluere neque filij ex maioratu antè instituto,

nat ex bonis vinculatis, (Sanchez & 3.) neque vxor ex suâ dote.Sanchez & Molin.Etsi alij contrà sentiant.*part. 6.tr.7.reso'.20.*

XI. Debitor in extremâ necessitate non tenetur soluere creditori,licet sit in simili necessitate:quia cùm omnia tunc sint communia quoad vsum, melior est conditio possidentis. Vasquez & 7. Quod verùm est siue res eadem numero extet,siue non:& siue iustè, siue iniustè acquisita sit.Lessius & 5.Alius esset si quis ad similem necessitatem redacto rem abstulisset. (Azor & Lorca) quia tunc esset violentus, & non legitimus possessor. Ob grauem autem necessitatem potest debitor differre solutionem quamdiu necessitas durat. Lessius & 3.*p. 5.tract. 8.res.11.& p.9.tr.9. res.60.& p.11.tr.2.res.32. & tr. 5. res.13.*

XII. Debitor in extremâ necessitate debet potiùs subuenire patri, matri,vxori,filiis,imò & fratri, quàm creditori soluere.Lessius & 4. Potiùs tamen Patri quàm filiis: sed extra necessitatem extremam filij potiùs iuuandi sunt quàm parentes. D. Thomas. *p. 5.tr.8.res.12.& p.9.tr.9.res. 60. & p. 11.tr. 2. res. 32.*

XIII. Qui donat alteri 100. vel obsequium præstat tanti valoris, nesciens se tantum ipsi ex iustitiâ debere, non satisfacit debito;quia illa gratis donata sunt.Sanchez & 2. *part. 3.tract. 6. res.57.* Contrarium tamen probabile est. Baldell.& 2.eò quod semper sit implicita intentio satisfaciendi debito & obligationi si quæ sit.*part. 5.tract.13. res. 94.*

XIV. Qui ab impotente soluere suis creditoribus emit domum,vel fundum ad plura debita hypothecatum, non tenetur in conscientiâ illa debita soluere,vt docet Valer. cùm enim principalis debitor non sit soluendo, ideoque coram Deo maneat solutus omni obligatione, multò magis emptor rei hypothecatæ; quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Quæ opinio an sit probabilis aliorum iudicio remitto. *p. 2. tr.16.res. 40.*

XV. Debitor qui est in morâ tenetur ad restitutio-

nem damni, vel lucri cessantis, etsi nullum tale pactum in contractu sit appositum. Molin. Imò post plures annos debebit soluere interesse ipsius interesse. Filliuc. *p.* 5. *tract.* 13. *ref.* 78. Qui autem siue ratione necessitatis, siue aliâ iustâ de causâ differt solutionem, non tenetur ad restitutionem vllius damni, vel lucri cessantis ex eâ dilatione. Castropal. Etsi contrarium doceat Layman & 2. *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 20.

XVI. Potest Princeps iustâ & graui de causâ concedere dilationes ad certum tempus, intra quod à creditoribus vexari nequeant. Sed hoc tempus debet esse modicum, nec vltra quinquennium, aliàs concessio non valet. Natta & 4. Incipiunt verò currere induciæ à die quo datæ sunt, non autem à quo sunt creditoribus insinuatæ, nisi aliud exprimatur, vel certe à die debitæ solutionis, si hic posterior est rescripto. Tiraquel & 9. *part.* 7. *tract.* 8. *ref.* 23. 24. & 25.

XVII. Hæ moræ concedi non possunt, iis qui suo dolo, vel culpâ ad inopiam redacti sunt, sed qui aduersa fortunâ. Menoch. & 9. Neque debitoribus ex contractu depositi; nam hoc statim reddendum est, sed ex aliis contractibus. Surdus & 6. Neque contra debitum pupillare, vel alimentorum, vel mercenariorum, & famulorum, vel Ecclesiæ, vel fiscale, vel dotis. Neque moræ tales generatim concessæ de huiusmodi debitis intelliguntur: vti nec de debito iurato Natt. & 6. Imò an possit in hoc Princeps concedere, dubium est, propter iuramentum. *Ibid.* 26. 27. 28. 29. & 30.

XVIII. Quando creditorem pars maior quoad debiti quantitatem, etsi pauciores sint numero, & aliqui ex aliis habeant hypothecam, debitori concedit dilationem, tenentur alij in eandem consentire: vti & cum pars maior numero, cum altera est æqualis in quantitate debiti. Molin. Eadem est ratio cum pars creditorum defuncti partem debiti remittit heredi, sed hoc non potest valere contra habentes hypothecam: neque extendendum est ad debi-

torem viuum, nisi alicubi id lege sancitum sit. Molin. Sicut & cum aliquis debitorem obligatum habet iuramento, non tenetur cum ceteris creditoribus consentiri in dilationem quinquennalem. Faust. &c. 5. *Ibid. ref.* 31.

XIX. Pendentibus illis dilationibus vsuras nihilominus & interesse currere, alij aiunt. (Salicet. & 3.) Alij negant. Maulius & 5. Qui autem eas à creditoribus vel à Principe obtinet, tenetur idoneos fide-iussores dare se post illam moram soluturum, nec potest hæc cautio à Principe remitti. Hunn. & 7. Quando scilicet à creditoribus petitur. Quod si ob inopiam nec pignus, nec fide iussores dare possit, ad iuratoriam cautionem admitti debet. Maulius & 5. *Ibid. ref.* 33. *&* 34.

XX. Dilationes illæ moratoriæ impetrari possunt etiam pendente lite circa exactionem debiti, imò & quibusdam locis post sententiam. Graff. Sed hoc alii negant fieri posse. Siue autem à Principe, siue à creditoribus concedantur, prosunt etiam fide-iussori: Et quidem in posteriori casu prosunt etiamsi hic illi beneficio renuntiasset: non autem cum à Principe eæ conceduntur. Maulius & 2. *Ibid. ref.* 35. *&* 32.

Vide *Cessio bonorum.*

Debitum coniugale.

I. PRimo bimestri etsi coniux non cogitet religionem ingredi, potest non reddere debitum. Sanchez & 3. Potest tamen reddere si velit, etsi vel ante, vel post contractum matrimonium vouisset castitatem: neque enim propterea tenetur Religionem ingredi vt votum seruare possit. Sanchez & 4. Computandum est autem illud bimestre iuxta menses eo tempore occurrentes. Leand. Quod si sponsa duodennis sic ad Religionem transiret, teneretur sponsus expectare, donec illa profiteretur anno suo 16. vel in Religione S. Francisci de Paula anno suo 18. Pontius & Henriq. *p.* 10. *tr.* 14. *ref.* 22. *&p.* 11. *tr.* 5. *ref.* 40. *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 133.

II. Pactum inter coniuges se continendi, ne proles multiplicetur, secluso incontinentiæ periculo, est validum. Imò & ob illam causam debitum negare, ne ob multiplicationem prolis ad inopiam redigantur, vel nulla est culpa (Sanchez & 3.) vel saltem non est mortalis. Sotus & Sà. *p.3.tr.4.res.213.& p.9.tr.7.res.3.*

III. Negare debitum non est mortale, quoties alter non exigit absolutè, sed tantùm precibus & blanditiis, nisi præ verecundiâ non auderet absolutè exigere. Neque si rarò negetur: vt si vir quater soleat petere in mense, & quintâ vice negetur: Neque si post breue tempus reddatur, vt si mane exigatur, & reddatur nocte: Neque si nimis crebrò petatur. Ochagau. Neque si remissè petatur, & alter rogatus facilè desistat à petitione. *part. 5.tractat.14.resol.36.*

IV. Propter graue periculum morbi corporei potest coniux negare debitum, etsi in altero esset periculum incontinentiæ. Castrop.& 3. Non tamen id licet propter ordinarios dolores qui sentiuntur in partu. Præpos. & 2. Itē non tenetur reddere furioso, vel amenti, vel ebrio: quia inualidè petit cùm non exigat vt homo: si tamen accessurus esset ad aliam, vel se polluturus, teneretur per accidens reddere. Sanchez & 3. Sed hoc durum videtur, & saltem solùm teneretur ex caritate. Fagund. Imò absolutè negat teneri Texeda. Coniux tamen sanus potest ab amente petere, etsi esset periculum ne effundat semen extra vas; quia hoc est præter intentionem vtentis iure suo. Sanchez & 3. Quod si vterque esset amens, peccarent mortaliter qui eos ad copulam incitarent, propter euidens periculum malæ educationis prolis. *p.6.tr.7.res.64.& p.9.tr.7.res.4.& tr.8. res. 33.* Imò etiamsi vxor sola sit amens, non potest maritus debitum vel petere vel reddere, nisi esset sterilis; nam aliàs est præsens periculum abortus. Sanchez & 6. Etsi contrà doceat Baucius. *p.10.tr.13.res. 41.*

V. Quando fœtus est inanimatus; etsi periculum sit ne per copulam impediatur eius animatio, non erit mortale

debitum reddere, aut etiam petere. San.Ioseph.*par.*11,*tr.*8. *resol.* 33.

VI. In negatione debiti censeri potest materia parua, si cùm sæpissimè conceditur, semel aut iterùm negetur, aut differatur ad modicum tempus, vt si quis die neget redditurus nocte. Cornejo.*p.*5.*tr.* 5.*res.*14.

VII. Coniux conscius nullitatis matrimonij ob impedimentum dirimens, nullo euentu potest reddere debitum ante obtentam dispensationem, licet periculum vitæ subiret:& frustrà in aliquo casu id Molfes. & 4. conantur excusare: vel posset in aliquo casu fornicatio esse licita. Sanchez & 7.*p.*4.*tr.*4.*res.*48.

VIII. Superueniente dubio de valore matrimonij post adhibitam diligentiam, potest coniux dubitans non tantùm reddere; sed etiam petere debitum. Suarez & 8.Idem est etsi cum tali dubio post sufficientem veritatis inquisitionem contraxissent. Sanchez & 3. secùs si ea diligentia adhibita non fuisset; posset tamen tunc reddere, sed non teneretur;quia ante diligentiam illam in vtroque casu adhibitam alter non habet ius petendi.Sanchez.Etsi contrarium doceat Henriquez & 3.*p.*4.*tr.*3.*res.*15.*&p.*10.*tract.*13, *res.*7.Quod si alteruter bonâ fide contraxerat,non tollitur hæc bona fides per alterius affirmationem; quia non tenetur coniux regulariter credere alteri asserenti, etiam sub iuramento,se non consensisse,aut aliud subesse impedimentum dirimens. Nisi adsint aliæ circumstantiæ, vt asserentis probitas &c.*p.*3.*tr.*4.*res.*295.

IX. Qui post bimestre necdum consummauit matrimonium,& dubitat de eius valore, potest reddere debitum,nec tenetur propterea religionem ingredi. Vasquez & Salas.*p.*4.*tr.*3.*res.*41.

X. Qui rem habet cum muliere in tertio aut quarto gradu coniunctâ cum vxore; & sibi affine in eodem gradu,non impeditur à petitione debiti: quia nullum ius ecclesiasticum hoc statuit.Sanchez & 4. Item si quis per ignorantiam iuris aut facti,aut etiam solius pœnæ, contra-

hat affinitatem cum coniuge, non priuatur petitione debiti. Lugo & 4.*p.3.tr.5.ref.19.& 12.& p.9.tr.7.ref.19.& p. 11. tr. 5. ref. 38.*

XI. Coniux consentiens incestui coniugis non propterea amittit ius petendi debitum. Hurtad. & Ochagau. Etsi hoc affirment Sanchez & Pontius. Item non amittit illud qui metu cadente in virum constantem cogitur ad copulam incestuosam. Nauar. & Dicastill. Etsi hoc etiam affirmet Sanchez & *3.p.11.tr.5.ref.38.*

XII. Cognatio spiritalis matrimonio superueniens, vt si coniux culpabiliter baptiset, vel teneat communem, vel alterius coniugis prolem, non impedit petitionem debiti. Coninc & 3.*Ibid.ref.39.*

XIII. Coniugi incestuoso petenti debitum non tenetur coniux reddere (etsi hoc affirmet Ledesma) sed tamen potest; quia non cooperatur petitioni quæ sola est mala; Sanchez & 3. Quamuis hoc etiam probabiliter neget Villalob. & Texeda. Quando verò coniux impeditus petere, esset in proximo periculo incontinentiæ, posse petere debitum, nec necessariam tunc esse dispensationem, etiamsi haberi posset, docet Quintanad. Sed ego nõ assentior cum Texeda. Coniux autem obligatus voto castitatis, altero committente adulterium, videtur non posse amplius reddere debitum; quia tunc potest votum integre seruare. Posse tamen reddere affirmat Lessius Ideo tu cogita. *p. 9. tr.8.ref.32.& 33.& p.3.tr.4.ref.296.*

XIV. Potest Episcopus dispensare vt qui cum voto castitatis contraxit matrimonium, petere possit debitum coniugale etiam primo bimestri, & ante matrimonium consummatum. Sanchez & 4. Non possunt tamen hoc Confessarij virtute iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ. Mendo & *2.p.11.tr.8.ref.4.& 16.*

XV. Votum suscipiendi Ordines sacros, etsi contractum matrimonii reddat illicitum nisi fiat animo ingrediendi Religionem ante illius consummationem: non tamen actum matrimonialem supposito contractu. Idem

est de voto non contrahendi matrimonium. Votum verò Religionis etiam primum actum coniugalem reddit illicitum, non reliquos; quia per primum redditur impotens implere votum nisi altero coniuge permittente, & præstante reliqua requisita: posteriores verò actus non reddunt difficiliorem voti executionem. Sanchez *part.* 11. *tr.* 5. *resol.* 40.

XVI. Possunt coniuges etiam sine peccato veniali cœptam copulam de mutuo consensu abrumpere, ne seminatio noceat valetudini, aut ne proles generetur, ob nimiam paupertatem &c. modò absit periculum pollutionis Sanchez & 2. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 204. *&* 227. *&* *tr.* 6. *res.* 94. *&* *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 42. *&* *tr.* 14. *res.* 55. *&* *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 35. Imò etsi putaretur aliquando secutura pollutio propter naturæ incitationem. Præpos. *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 37.

XVII. Si femina, postquam maritus semine intra vas emisso membrum extraxit, libidine incitata, tactibus se prouocet ad seminandum, non peccat mortaliter; quia est perfectio actûs coniugalis. Sanchez & 8. Sed contrarium est probabilius. Castrop. & Texeda. Et idem est de viro vxorem tactibus suis prouocante ad seminationem. *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 38. *&* *par.* 9. *tr.* 8. *res.* 31. *&* *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 42. *&* *p.* 11. *tract.* 1. *resol.* 11.

XVIII. Tactus & oscula &c. inter coniugatos etiam cum periculo pollutionis præuiso, si hæc accidat præter intentionem, non esse peccatum mortale, docet Sanchez & 2. Sed contrarium verius est. Præposit. & Villalob. Saltem si fiant in partibus pudendis, debet abesse periculum pollutionis, sed non commotio membrorum. Sanchez & 5. Quod si maritus membrum immitat in os coniugis, non est simplex tactus, sed incoatio copulæ contra naturam, & ideo mortalis. Fagund. Etsi contrarium doceat Sanchez. *p.* 9. *tr.* 8. *res.* 31. *&* *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 217. 225. *&* 226. *&* *p.* 2. *tr.* 17. *res.* 37. *&* *par.* 6. *tract.* 7. *res.* 7. *&* 65. *&* *p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 68.

XIX. Mortale est si coniugati inter se incipiant actum

sodomiticum, etiam animo non consummandi nisi intra vas legitimum. Sanchez & 3. Licet id concedat Nauar. & 5. Imò idem est si vir in superficie vasis præposteri vxoris perfricet sua verenda etiam cum intentione consummandi in vase legitimo. Pontius. Etsi hoc admittat Sanchez. *part. 2. tractat. 17. res. 37. & p. 3. tractat. 4. resol. 104. & p. 9. tract. 8. resol. 31.*

XX. Circumstantia modi in copulâ coniugali, non est in confessione aperienda, est enim interdum sine culpâ veniali, ob iustam aliquam causam. Vxor verò tenetur reddere debitum petenti cum culpâ veniali v. g. si voluptatis causâ postulet variationem sitûs. Sanchez & 2. Licet aliqui probabiliter contrarium teneant. Henriquez & Bonacin. *part. 1. tractat. 7. resol. 35. & part. 3. tract. 4. res. 296.*

XXI. Non est peccatum mortale si per extraordinarium coëundi modum, aut variationem sitûs, aliqua pars seminis elabatur, dummodò retineatur alia, aut si non ita certum sit, fore, vt eo modo proles suscipiatur. Sanchez & 7. Si autem vir post copulam semen extra vas effundat, peccat mortaliter: at si vxor non consentiat, non peccat reddendo, aut etiam petendo debitum. Pontius *part. 2. tractat. 15. resol. 64. & part. 6. tractat. 7. resol. 7. & part. 11. tract. 8. resol. 33.*

XXII. Si Coniux in copulâ sponte semen effundat extra vas, erit peccatum non tantum mollitiei, sed etiam adulterij, tam ex parte viri, quam vxoris si hæc consentiat: vnde in confessione vtraque circumstantia est explicanda, addique debet illud fuisse commissum cum propriâ coniuge. Dicastill. *p. 11. tr. 8. res. 36.*

XXIII. Excusari posse à peccato feminam quæ statim post copulam se inuertit vt semen emittat, ne concipiat, modò rationabilis adsit causa v. g. periculum mortis in partu, aut labor magnus & incommodum in eo retinendo &c. docet Fagund. Sed hoc merito improbat Leand. quia impedire generationem de se est intrinsecè malum. *p. 10. tr. 14. res. 55.*

XXIV. In

XXIV. In copulâ coniugali dum vir legitimè congredi conatur, si ex festinatione naturæ semen extra fundatur, non est etiam veniale. Hurtad. & Leand. Neque si id fiat in amente dum coniux sana debitum petit. Neque si fiat in sene, modò habeat probabilem spem seminandi intra vas. Dicastill. *p.1 1.tr.8.res.36.*

XXV. Maritus priuatus vtroque teste non potest habere copulam cum vxore; cum talis copula in solutis sit contra naturam; & per consequens etiam in coniugatis: Dicastill. Licet contrarium doceat Sanchez. Imò etsi maritus habens vtrumque testem carens tamen fistulâ, posset adhibito tubulo verum semen in vterum vxoris immittere, non liceret talis copula; eò quòd non esset naturalis. Dicastill. *Ibid. res.* 32.

XXVI. Si coniux accedens ad suam imaginetur sibi feminam aliquam pulchram, vel picturam adspiciat, non imaginando sibi quasi rem cum illâ alienâ habeat, sed solum vt ardentius feratur in vxorem ibi sistendo; solùm esse veniale; docet Præposit. sed hæc periculosa sunt, & in praxi fugienda. *Ibid. res.* 35.

XXVII. Vir postquam seminauit non tenetur expectare seminationem feminæ. Sanchez & Leand. Vnde femina non peccabit si viro vsum quidem vasis naturalis concedat, sed animum ad alia conuertat; ita vt natura non concitetur ad seminationem. Præpos. & Leand. *p. 5. tract.* 14. *res.*37 *& p.*10.*tr.*13.*res.*42.

XXVIII. Coniuges vtentes copulâ voluptatis causâ nè venialiter quidem peccant, nisi per accidens ob excessum voluptatis. Pontius & 6. Contrarium tamen est probabilius. Sanchez & 8. Sed non est veniale etiamsi ob pulchritudinem, aut diuitias contrahant. Pontius & 4. Imò etiam die sumptæ Eucharistiæ debitum petere causâ voluptatis, non est veniale. Sanchez & 5. Fiunt vna caro per seminum commixtionem: vnde non censetur consummatum matrimonium, nec affinitas contracta, nisi etiam femina seminarit. Sanchez & 9. Quod si non factum esse constatet.

posset adhuc religionem ingredi. *p.3.tr.4.res.216.& in Addit.3.p.res.21.& p.4.tr.2.res.43.& p. 5. tr.13.res.54.& p. 6. tr. 6.res.14.& p.11.tr.2.res.41 & tr.8.res.35.*

XXIX. Vsus matrimonij est licitus tuendæ valetudinis causâ, licet supperanr alia media ad eum finem. Coninc & 3. Item vitandæ fornicationis grati, quia matrimonium post lapsum hominis, ordinatum est etiam in remedium concupiscentiæ. Coninc. & 6. *part. 3. tractat. 4. resol.* 218. *&* 219.

XXX. Copula inter coniuges habita in loco sacro, in quo sunt conclusi, si longo tempore, id est quatuor, aut quinque dies ibi detineantur non est peccatum mortale. Sanchez & 27. Imò probabile est idem esse dicendum, etsi non sint conclusi, & id fiat sine necessitate, modò occultè fiat. Pontius & 4. Sed contrarium est probabilius. Tanner. *p.1.tr.7.res.19.& p.11.tr.8.res.34.* Quæuis autem copula, etiam fornicaria, si habeatur solùm in Oratorio priuato, ad fores Ecclesiæ à parte externâ, vel in Monasterio, vel Sacristiâ, non est circumstantia mutans speciem. Sanchez & 2. *p.1.tr.7.res.20.& p.3.tr.4.res.116.*

Decimæ.

I. PEr communicationem priuilegiorum non acquiritur priuilegium non soluendi decimas. Rota & 4. quia in generali communicatione non veniunt priuilegia aliis præiudicantia. Communius tamen contrarium docent. Lezan.& 4. Saltem si communicatio concedatur non solum per clausulas generales, sed per specificas. v.g. *etiam ea quæ sunt speciali notâ digna &c.* Leand. *part.10.tractat.12. resol.* 49.

II. Si priuilegium exemptionis concedat Regularibus ne soluant decimas ex prædiis quæ habent, tunc extenditur probabiliter ad agros quos habent in emphyteusim, vel conductos : secus si solùm dicantur eximi Religiosorum propria bona. La Torre & 4. *ibid. res.* 50.

III. Priuilegia Regularium de non soluendis decimis, realia sunt, non personalia, vnde neque eorum Coloni & Arrendatores ad eas tenentur. La Torre & 6. Et sententiæ Rotales contrariæ debent intelligi spectatis solis priuilegiis insertis in iure communi. *Ibid. res.* 51.

IV. Extenduntur ea priuilegia non ad sola prædia acquisita tempore concessionis, sed etiam ad acquirenda postea: neque solùm ad prædia culta vsque ad illud tempus, sed etiam ad noualia culta post concessionem. Castropal. & 2. Neque potest particularis Prælatus, aut Monasterium priuilegio illi renuntiare; quia concessum est in fauorem Ecclesiæ, & Religionis. Castropal. Hinc non posse etiam amitti per contrarium vsum quantumuis longi temporis, docet Ph. La cruz; quia soluuntur ex ignorantiâ qua putantur deberi. Saltem non amittitur nisi per præscriptionem 100. annorum ex priuilegio Eugenii IV. etsi de iure communi fortè amitteretur per 40. annorum. Villalob. & Leand. *Ibid. res.* 52.

V. Potest quis contra solutionem decimarum præscribere tempore 40 annorum cum titulo, vel sine titulo tempore immemoriali Molin. & 8. Imò & sine titulo præscribi posse spatio 40. annorum, docet Henriq. & Tanner. *p. 5. tr. 14. res. 42. & p. 3. tr. 5. res. 77*

Defuncti.

I. Filium non teneri orare pro animâ Patris, etsi possit illum suis precibus inuare, ideò quod iustè in Purgatorio patiatur, docet Sancius & 2. Imò & in vitâ posse ipsi idamnato per sententiam alimenta negare. Sed contrarium est dicendum. Fagund. & *3. part. 9. tractat. 9. resol.* 60.

II. Orationes pro defunctis prosunt his etsi recitentur in peccato mortali, etiam à priuatim orante, & non vt ministro Ecclesiæ. Nauar. & 2. Quamuis contrarium probabile sit. Nec est necesse eas acceptari ab animabus. Suarez

& 2. Etsi hoc velit Coninc & Nugnus. Idemque est si iustus pro altero offerat sua bona opera; prosunt enim etiam inscio. Dicastill. *part.5.tractat.14.resol.79.& part.11.tract.5.resol.* 54.

III. Animas in Purgatorio non detineri vltra 10. vel 20. annos docet Sotus & 3. Sed hoc alii periculosum & erroneum iudicant. Ideoque quidam ab Inquisitione iussi sunt id retractare. Henriq. Sed Suarez id incertum docet, nec censurâ dignum. *p.4.tr.8.res.*101.

IV. Animæ in Purgatorio comprehenduntur nomine pauperum: ideóque eleemosyna danda pauperibus, potest applicari Missis dicendis pro animabus. Mazuchell. Et beneficiarius qui tenetur ad restitutionem pro omissione horarum, satisfacit celebrando Missas pro animabus. Suarez & Filliuc. *p.7.tr.10.res.*14.

V. Heres quantumuis sit in graui necessitate non propterea excusatur à solutione legati pro Missis celebrandis pro animabus; quia hæ sunt in grauissimâ necessitate. Mazuchell. *Ibid.*

VI. Bulla defunctorum non potest sumi pro duobus defunctis, sed pro vnico tantùm, etsi quis eam indulgentiam vellet pluribus partialiter applicare. Bardi. Etsi contra doceat Mendo. *p.11.tr.2.res.*43.

VII. Consuetudo vt Missa, & Officium defunctorum dicantur pro viuentibus nullo modo probanda est sed tollenda. Layman & 6. Etsi contrarium doceat Lezan. & 7. *p.5.tr.13.res.2.& p.9.tr.2.res.*18.

Denuntiatio criminis.

I. IN casibus pertinentibus ad Inquisitionem denuntiatio est facienda, etsi delator crimen probare non possit. Suarez & 19. (Etsi contrarium doceat Fagund. & Bauny. Quæ doctrina esset destructiua tribunalis S. Inquisitionis.) Quamuis etiam nulla præcesserit correctio fraterna, quæ tamen putaretur profutura. Suarez & 23. Imò

etsi reus esset iam emendatus. Suarez & 7. Quia hæc denuntiatio est iudicialis, quæ refertur ad punitionem. Multi tamen in his contrà sentiunt. *p.1.tr.4.res.1.2.& 3.&p.4. tr.3.res.61.&tr.5.res.23.&24.&p.7.tr.12.res.21. & tr.3.res. 63.&p.9.tr.8.res.46.*

II. Probabile est vigore nullius edicti vel monitorij consanguineos teneri denuntiare, vel testari contra consanguineos, etsi nulli alij essent qui testari possent. Raynaud.& 3. Idē est de vxore respectu viri. Excipe tamen casus pertinentes ad Inquisitionem. Et in crimine hæresis tenetur vxor denuntiare maritum. Pegna & Freitas, & frater fratrem. Sanctarell.& 3. Imò & filius patrem. Suarez & 8. *p.3.tr.5.res.63.&p.5.tr.13.res.67.&p.8.tr.7.res.10.& p. 1.tr.4.res.4.5.& 6.*

III. Nemo tenetur seipsum denuntiare. (Suarez & 15.) ac proinde nec complices; sic enim seipsum proderet. Suarez & 4. *p.1.tr.4.res.8. & 9.*

IV. Non excusat ab hac denuntiatione hæresis, damnum amici, imò nec proprium, nisi esset tantum, vt statum mutare cogeret. Freitas. Nonnulli tamen aliter sentiunt, nisi ex taciturnitate immineret graue periculum communitati. *p.4.tr.5.res.36.& p.1.tr.4.res.7.*

V. Qui retinent vel legunt libros prohibitos ob lasciuiam, non esse denuntiandos S. Officio, nisi aliàs sint de hæresi suspecti, docet Carena. *p.10.tr.12.res.48.*

VI. Quando edictum denuntiationis fundatur in præsumptione an qui certò scit præsumptionem in aliquo cessare, teneatur nihilominus denuntiare: alij aiunt; Freitas. Alij negant; Valerus & Riccius. *part. 1.tract. 4. reso l.10*

VII. Quando edictum iubet denuntiare intra sex primos dies, non comprehenditur inter eos ipse dies publicationis, sed tempus illud incipit computari ab eâdem horâ sequentis diei, ita vt si publicetur in Dominicâ, finiatur tempus sequenti Dominicâ, eâdem horâ. Neque currit illud tempus ignoranti, vel impedito. Freitas. Etsi de

impedito contrarium, affirmet Suarez. *part.4. tractat. 5. resol.41.*

Vide *Confess. sollicit denuntiatio.*

Depositum.

I. Depositarius rerum vsu consumptibilium, v.g. frumenti, vini, &c. eas alienando, vel consumendo non peccat saltem grauiter, modò certus sit se tantumdem eiusdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cùm dominus repetierit, quia talis alienatio in nullius cedit damnum. Layman. *p.4.tr.4.res.68.*

II. Depositarius, quando perit penes ipsum res deposita, non tenetur in conscientiâ nisi ex culpâ graui, & latâ: non autem ex leui & leuissimâ, nisi aliter inter contrahentes sit conuentum. Lessius. & Filliuc. *p.1.tract.8.res.74.* Quæ vera sunt etsi pro deposito mercedem accipiat, vt stabularij, Nautæ & Caupones. Rebell. *part.3.tractat.6.resol.21.*

III. Thesaurarius vel procurator Principis, potest inscio domino cum illius pecuniis negotiari in suum commodum. Lessius & *6.p.1.tr.8.res.32.*

IV. Quando depositarius vel commodatarius dubitat, an res suâ culpâ perierit, non tenetur restituere: quia in dubio non præsumitur delictum. Sanchez & *6.p.4.tr.3. resol.30.*

Detractio.

I. Qui peccatum alienum notorium facti, vel iuris detegit in alio loco vbi ignoratur: imò quò non nisi post longum tempus, vel etiam numquam eius fama est peruentura, non peccat probabiliter neque contra iustitiam, neque contra caritatem. Fagund. & *10.p.3.tr.5.res.17. & p.4.tr.4.res.128. & p.10.tr.12.res.5.*

II. Audirum crimen alicuius simpliciter sine nouâ affe-

ueratione, vel confirmatione narrare, etiamsi quis animaduertat aliquos ex audientibus temerè credituros, probabile est, non esse peccatum mortale. Caietan. & 8. Contrarium tamen est probabilius, & tenendum. Malder. & 10. *p.3.tr.5.res.28.*

III. Qui narrat amico iniuriam sibi ab aliquo secretò illatam, non animo detrahendi, sed doloris sui leuandi gratiâ, non peccat mortaliter: durum enim est acceptas iniurias silentio premere, & concoquere. Lessius & 6. *Ibid. resol. 32.*

IV. Qui occultum crimen alienum sine graui causâ manifestat vni aut alteri viro prudenti, quem scit non euulgaturum, non peccat mortaliter, quia non est notabilis lesio famæ: Ita probabiliter Caietan. & 8. Contrarium tamen docet Suarez & 16. *Ibidem resol. 33. & part. 6. tractat. 7. resol. 9.*

V, Ecclesiastici qui intersunt sententiæ prolatæ contra Confessarios sollicitantes ad turpia, non peccant mortaliter si inter alios Ecclesiasticos, vel Regulares reum manifestent; potest enim hoc eos magis terrere. Freitas. Quamuis contrà affirmet Sousa. Sed nimis regidè. *p,4.tr.5. resol.44.*

VI. Qui per detractionem dicit alium esse spurium, vel filium Iudæi, &c. non peccat mortaliter ex paruitate materiæ: nisi fortè alter ideò putaretur valdè contemnendus in animo eorum quibus dicitur. Nauarra Idem est si in genere dicas aliquem esse superbum, auarum, iracundum &c. nisi fortè ratione dignitatis personæ hoc posset censeri graue. *p.5.tr.5.res.69.*

VII. Per plures detractiones de eodem, & apud eosdem, potest grauiter lædi fama proximi, & peccari mortaliter; secus si auditores sint diuersi, vel si de diuersis leuiter detrahatur: nisi, fortè hoc fieret circa aliquem de quo iam multi alij leuiter apud eundem v.g. Prælatum detraxissent; tunc enim posset talis detractio esse mortalis: sicut est vltimum leue vulnus quod propter alia præcedentia

mortem adfert. Quod tamen in praxi rarò continget. Lugo. *p.* 10.*tr.* 15.*ref.*17.

VIII. Qui falsum dicendo alterum infamauit, tenetur (si commodiùs fama restitui non possit) fateri falsitatem, ac si opus sit iuramento retractaionem confirmare. Tanner. & 11. (Quidam tamen contrà sentiunt. Faber. (Imò si opus fuerit & testes adhibere. Molin. & 4. Excipiunt tamen hinc viros magnæ auctoritatis v. g. Episcopum, Prælatum, aut Comitem; eò quòd hi non teneantur cum tanto detrimento honoris sui fateri se mentitos. Villalob. & Syluius. *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 29.

IX. Qui verum alterius crimen propalauit, ad nihil aliud tenetur quàm laudare eum, quem priùs diffamauerat. Lessius & 9. Si autem non possit famam restituere, non tenetur pecuniâ compensare. Malder. & 9. Quia tamen etiam probabile est læsionem famæ pecuniâ esse compensandam, (vt docet Molina & 12.) poterit infamatus sibi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si hic aut non possit, aut nolit aliter satisfacere. Tanner. & 3. Cùm autem detractio facta est verbis generalibus v. g. aliquem esse mendacem, ambitiosum, &c. nulla est obligatio restituendi: nisi fortè ratione dignitatis personæ. Quamuis aliqui (Syluester & Nauara.) generatim excusent à restitutione omnem detractionem, quæ non est de peccatis mortalibus. Porrò plebeius numquam tenetur famam nobilis reparare cum propriæ vitæ periculo, quia vita est ordinis superioris. Malder. & 5. Est etiam locus compensationi, quando duo se mutuo infamauerunt, & iniuriæ sunt æquales, nisi scandalum inde oriretur, vel alter vellet famam restituere, tunc enim & hic deberet restituere. Malder. & Syluest. *Ibib, ref.* 30. *& p.* 11. *tr.* 6. *ref.* 57.

X. Si infamatus falsò de furto postea deprehendatur fur, teneri tamen detractorem restituere, docet Io. Pontius. Sed tu cogita; nam DD. videntur communiter contararium sentire; sicut non tenetur qui crimen occultum reuelauit, si hoc aliâ viâ fiat publicum. Lessius & Nauar. *p.* 11. *tr.* 6. *ref.* 57.

XI. Qui occultum alterius crimen narrauit quibusdam, quos fidos putabat, qui deinde aliis retulerunt satisfacit infamato, si se retractet apud suos tantùm auditores. Villalob. *p.3.tr.5.ref.34.*

XII. Qui audit detrahentem non debet in dubio præsumere eum narrare iniustè: quare dum ipse nescit an delictum publicum sit, an occultum, vel an iniustè narretur, non peccat non corripiendo; non enim debet proximum corrigere de peccato, quando dubitat an peccet. Bonacin. & 2.*p.2.tr.17.ref.24.* Item qui omittit corripere vel ex timore, vel ex negligentiâ, vel ex verecundiâ, peccat tantùm venialiter; nisi ex officio ad id teneatur. Tanner. & 3. *p.3.tr.5.ref.35.*

XIII. Non est peccatum mortale in confessione reuelare crimen proximi, v.g. complicis, etsi posset adiri alius confessarius cui is esset ignotus: si enim mortale non est illud dicere vni, vel duobus extra confessionem; multo magis in confessione, cùm absit periculum diuulgationis. Caietan. & 2. *p.2. tr.17. ref. 22.* Tenebitur tamen ad alium Confessarium accedere, si commodè possit. Vasquez & 4. Quamuis Fagundez doceat hoc non esse præcepti, sed tantum consilij *.p.6.tr.7.ref.9.*

XIV. Pœnitens non potest confiteri peccatum, aut circumstantiam manifestatiuam complicis, etiamsi nullum inde damnum sequatur, præter infamiam apud Confessarium: quia præceptum non infamandi fortius est præcepto confessionis integræ. Bannez & 15. Contrarium tamen etiam probabiliter docent Suarez & Vasquez & 22. Sed ad integre confitendum peccatum veniale hoc numquam licet. Lugo. Etsi hoc etiam affirmet Verricelli. *part.11.tractat.4.resol.41.part.1.tractat.7.resol. 49. & part.3. tractat.4. resol.64.*

Dispensatio.

I. DIspensatio, quæ est iuris relaxatio, ne Pontifici quidem permissa est in iure Diuino positiuo. Castropal. & Meroll. (Etsi hoc affirment Canonistæ, exceptis fidei articulis) Sed in omni iure canonico, etiam Conciliorum (Vasquez & 7.) vel Apostolorum (Suarez & 5.) Et quidem etiam sine causa validè. Suarez & 12. Etsi contrà sentiat Vasquez & 7. Relaxatio autem voti, & iuramenti non est propriè dispensatio, sed cessio iuris quod Deo quæsitum est ex voto vel iuramento. *part.* 8. *tractat.* 3. *res.* 1.2.3. *&* 4.

II. Potestas dispensandi latè est interpretanda; cum sit mera gratia Principis: Suarez & 57. nisi concedatur pro certis personis in concessione expressis, vel in præiudiciũ alterius, sicut potestas conferendi beneficia cedit in præiudicium Episcoporum. Amic. Hinc potestas dispensandi in votis extenditur ad ea commutanda. Suarez & 8. Etsi id neget Sanchez & 2. Et potestas circa vota extenditur ad iuramenta soli Deo facta: & contrà à iuramentis ad vota. Sanchez & 8. contra Lessium & 2. Imò probabilius ad vtrumque simul concurrens, etiam cum iuramentum factum est non in confirmationem voti. Suarez. Non tamen extenditur ad iuramenta adiecta contractui in quo est turpitudo & iniustitia in creditore. Sanchez & 2. Quamuis etiam hoc velint Ledesm. & Rodriq *Ibid. res.* 42. 43. 44. *&* 46. *&. p.* 10. *tr.* 9. *§. & tandem omnia.*

III. Dispensatio, tamquam exorbitans à iure, strictè est interpretanda: quod tamen non habet locum in materiâ fauorabili quæ nulli præiudicat, aut cum dispensatio conceditur toti communitati. Amic. Neque in causis matrimonialibus; quia tunc reditur ad ius commune. Meroll. Sic dispensatus ad omnes, vel quascumque dignitates, non censetur dispensatus ad Episcopatum. Fagund. & 13. Neque dispensatus generatim ad Ordines censetur dis-

pensatus ad maiores. Sanchez & 6. Quamuis hoc probabile affirmet Coninc & 3. Quod saltem verum est si dispensetur ad omnes Ordines. Quamuis etiam hoc ad omnes minores restringat Henriquez & 2. Qui tamen dispẽsatur vt fiat Clericus, censetur dispensatus etiam ad minores Ordines. Sanchez & Fagund. Numquam etiam dispensatio extenditur de casu ad casum ex identitate rationis etiam in lege expressæ, nisi quando dispensatio est à iure, & non ab homine. In quibusdam tamen hoc limitandum. *p.8.tract.3.res.32.33.36.41,& 102.& p.10.tr.9.§.Sed vt & tr.13.res.30.& p.9.tr.8.res.22.*

IV. Inferior potest dispensare in lege superioris. I. circa leuia, hoc est quæ non obligant sub mortali, etsi facilis sit ad superiorem recursus. II. circa ea quæ frequenter occurrunt v.g. in ieiuniis, in festis celebrandis &c. III. circa ea quæ ita sunt propria vni communitati, vt non conueniant aliis; hæc enim cùm sint notiora immediato Gubernatori, quàm superiori, meliùs possunt ab eodem iudicari. IV. Quando recursus ad Superiorem est difficilis, aut magna est necessitas, & periculum in morâ. Caietan. & 4. V. addunt alij inferiorem semper posse dispensare in lege Superioris, quoties ei interdictum non est. Sotus & 3. Sed contrarium est probabilius. Suarez & 5. Et hæc potestas inferiorum ordinaria potiùs est quàm delegata; quia & perpetua est, & conceditur ratione muneris & officij: idcòque potest committi Vicario, vel cuiuis alteri non tantùm pro aliquo casu in particulari, sed etiam pro omnibus futuris. Sanchez & 3. Porrò cum inferior ita dispensat, non potest id facere sub onere aliquo, & mulctâ pecuniariâ, nisi impedimentum ortum esset ex delicto v.g. irregularitas; aliàs redoleret simoniam. Sanchez & 6. Neque tamen damnandi sunt omnes Prælati qui id faciunt; quia sequuntur contrariam sententiam probabilem. Syluest. & *3.p.9.tr.6.res.82.p.8.tr.3.res.12.71.96.& 22.& p.7.tr.10.res. 36.& p.6.tr.7.res.39.& t.10.tr.8.res.8.& 9.*

V. Cuicumque viro timorato dicenti se habere pote-

ſtatem diſpenſandi,credendum eſt in foro conſcientiæ;in externo verò probandum eſt,niſi ſit vir in dignitate conſtitutus,& non cedat in præiudicium, aut certè minimum tertii. Castrop.& 4.*p.8.tr.3.reſ.30.*

VI. Pontifex vel quiuis alius habens poteſtatem generalem diſpenſandi cum aliis,poteſt etiam ſecum diſpenſare directè & immediatè. Sanchez & 6. Quamuis id neget Suarez & 3. Nec eſt diuerſitas quoad irregularitatem niſi quæ per legem eſſet ſtatuta pro ſolis Prælatis. Sanchez. Poteſt etiam diſpenſatio impetrari non tantùm pro ignorante(Vaſquez & 2.) Sed etiam pro inuito, quando neceſſitas ita exigeret.Sanchez & Beia.Etſi alii id negent. Suarez & 2.*p.8.tract.3.reſol.5.16.87.&86.& p.10.tract.14. reſ.25.&* 64.

VII. Quando dubium eſt negatiuum an caſus aliquis indigeat diſpenſatione , nec , reputandus eſt non indigere;eſt enim præſumptio pro libertate. Caſtrop. Et quamuis cenſendus eſſet indigere,ſaltem poſſet Epiſcopus tunc diſpenſare in quibuſuis; nullus enim caſus dubius reſeruatur Pontifici.Barboſ.& *5.p.3.tr.6.reſ.82.& p.4.tr.3. reſol. 46.&p.8.tr.3.reſ.72.&* 95.

VIII. Diſpenſatio in propriis legibus ſine causâ valida eſt , aut cum Superior diſpenſat in legibus inferioris (Sanchez & 9.) aut cum Epiſcopus in legibus Synodi diœceſanæ : non verò cum Archiepiſcopus in legibus Synodi prouincialis;quia hac ipſe inferior eſt.Suarez & 5.Non tamen quoad vim coactiuam , ſicut Epiſcopi illi ſubſunt. Quamuis nullo modo ſubeſſe velit Arriaga. Imò ſic diſpenſans in legibus propriis, vel Inferioris ſine causâ,non peccat niſi venialiter. Pontius & 14. Etſi mortalis condemnet Suarez & 4.Idem eſt de petente diſpenſationem. Sed qui eâ vtitur,nullo modo peccat, niſi cum ſecum diſpenſauit Superior; quia hunc teneri diſpenſationem illam reuocare,ſicut poteſt,docet Suarez & 5.Sed hoc bene negat Amic.&2.*p.8.tr.3.reſ.26.6.8.9.&10.&p.1.tr.10.reſ.32. &35.&p.9.tr.6.reſ.*40.

IX. Iustæ ad dispensandum causæ sunt, magna difficultas obseruandi, necessitas personæ, vel virtus vel nobilitas: tum etiam vt ipse dispensans clementiam & liberalitatem suam ostendat. Amic. & 2. Item si votum aliquod sit factum in tenerâ ætate, vel interueniente metu, vel tristitiâ, aliaue passione, etiamsi non esset difficultas in voto exequendo. Sanchez & 2.*p.6.tract.7.res.24.* & *part.8. tr.3.res.7.*

X. Quando Inferiori committitur dispensare cum determinatâ personâ, nullâ factâ mentione causæ, non tenetur ipse de eâ inquirere, vt probabiliter Sanchez & 2. Vniuersim verò potest Prælatus quiuis dispensare, quando dubitat an causa sit iusta; quia in dubio inclinandum est in partem benigniorem. Sanchez & 4. Quod si bonâ fide dispensauerit putans causam esse iustam, valida est dispensatio, etiamsi posteà constet causam non fuisse sufficientem. Sanchez & 5. Licèt contrà sentiat Castropal. & 3. Item si dispenset non præcognitâ causâ, quę reuera est legitima, valebit dispensatio in foro conscientiæ donec reuocetur, & vtens tali dispensatione ne venialiter quidem peccabit. Sanchez & 3. Quamuis repugnet Azor & Amic. *p.8.tr.3.res.19.29.20.* & *21.* & *p.1.tr.10.res.31.33.* & *34.* & *p.4.tr.3.res.44.* & *p.6.tr.7.res.23.*

XI. Etsi iusta sit causa non tenetur tamen Prælatus semper dispensare, sed tunc solùm cum vel ius præcipit ex eâ causâ dispensari, vel necessarium est ad commune bonum, aut spiritale petentis, aut ad vitandum periculum animæ, vel graue damnum temporale, vel publicum scandalum, & sine dispendio potest concedi dispensatio. Imò nec delegatus tenetur dispensare cum facultas concessa est in fauorem pœnitentis, vt per Bullam, nisi postquàm electionem sui factam acceptauit. *part. 8. tractat. 3. resol. 27.* & *28.*

XII. Dispensatio obtenta per vim aut metum, valida est, modò iusta sit causa. Item valida fuit data à quodam Confessario sine vllis verbis, sed sola mente, cum putaret

tam ipse quàm pœnitens non esse necessarium verbis expressis fieri. Turrian. Item quoties superior videt subditum contra legem agentem, & tacet, eo ipso censetur dispensare pro eo actu (est enim ratihabitio de præsenti) non tamen pro futuris. Sanchez & 3. Etsi prius etiam neget Suarez & 2. *Ibidem resol.* 76. *&* 17. *& part.* 4. *tract.* 4. *res.* 118.

XIII. Valida est dispensatio quamuis erretur in nomine personæ petentis dispensationem Pontius & 2. Nisi dispensans ex falso nomine intelligeret personam sibi notam; tunc enim huic intenderet concedere dispensationem, non autem illi pro quo petitur. Castrop. & San Ioseph. Contrarium tamen huius etiam probabile est. Sanchez & 4. Item non refert si erretur in nomine diœcesis, vt si petens dispensationem dicatur esse diœcesis Mechliniensis, cum sit Antuerpiensis. Salas & 5. Vel si error aliquis incuriâ scriptoris irrepat, vt si in Bullâ Pontificiâ pro tertio gradu affinitatis positus fuit tertius consanguinitatis. Layman. *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 36. *& p.* 7. *tr.* 10. *res.* 35. *&* 34. *& p.* 8. *tr.* 3. *res.* 63. *&* 64.

XIV. Dispensatio pro foro conscientię valida est ante litterarum expeditionem, quæ pro externo solùm foro requiritur. Molin. & 7. Tunc autem in eodem foro retrotrahitur ad punctum concessionis, vnde non obstaret etiamsi Pontifex ante eas expeditas moreretur. Molin. & 2. Non sufficit tamen sola probabilis coniectura concessionis, sed requiritur moralis certitudo vt si à viro fide digno, qui id sciret, intellexisses. Amic. *p.* 8. *tr.* 3. *res.* 84. *& p.* 10. *tr.* 16. *res.* 55.

XV. Dispensatio semel à Pontifice concessa reuocari non potest, præsertim si concessa est per modum contractûs ob merita, vel ob mulctam pecuniariam: si tamen reuocaret, valida esset reuocatio. Sanchez & Perez. *part.* 8. *tr.* 3. *res.* 89.

XVI. Dispensatio non extinguitur primâ vice quâ quis eâ vtitur, si absolutè concessa sit: vnde dispensatus in voto castitatis potest sæpius matrimonium contrahere.

Sanchez & Pontius. *p.5.tr.14.res.30.* Item cessante causâ, non tamen cessat dispensatio; quia obligatio legis semel extincta non potest reuiuiscere. Pontius & 4. Ita quocum dispensatum est ad esum carnium in Quadragesimâ propter infirmitatem, potest etiam hac cessante carnibus vesci. Suarez & 7. *p.1.tr.10.res.41.& p.6.tr.7.resol.45.& par. 8. tr. 3. res.* 24.

Dispensatio subreptitia.

XVII. Illa dispensatio est subreptitia in qua tacetur veritas, vel exprimitur falsitas quæ est causa finalis, hoc est, qua cognitâ non fuisset concessa gratia; non autem si taceatur sola impulsiua, siue qua cognitâ, fuisset quidem concessa, sed difficiliùs.Molin. & 4.Item est subreptitia si taceatur aliquid quod secundùm stylum Curiæ est necessariò declarandum. Sanchez & 2. Quamuis contrarium doceat Granad.& 2.Sic qui priùs obtinuit dispensationem inualidam, si rursus aliam petat, teneri facere mentionem prioris, docet Sanchez. Sed hoc negat Texeda. Sicut neque exprimi debet si vel ab eodem anteà,vel ab alio petita fuerit dispensatio, & negata Suarez & 3.Et qui occidit sacerdotem etsi in petendâ dispensatione ab irregularitate solùm exprimat se occidisse hominem, valebit.Sanchez & 8.contra Suarez & *5.p.8.tr.3. res.50.61.59.54. & 51. & p.1.tr.10.res.42. & 38.*

XVIII. Si quis petat à superiore facultatem vt dispenset in quodam casu, quem datâ operâ non explicat, quia credit negandam facultatem si exprimeret; etsi superior concedat in genere, inualida erit dispensatio, si nimirum superior aliquando habuit voluntatem non dispensandi in tali casu, quæ adhuc habitualiter duret quatenùs non est reuocata. Salas & *3.p.8.tr.3. res.* 52.

XIX. Si in rescripto plures ponantur causæ non est necesse omnes verificari, satis est finalem esse veram;aut si plures sunt finales, vnam ex his, etsi aliæ sint falsæ.Suarez & 3.Quod si vnica tantùm ponatur causa, hæc cense-

tur finalis, & non motiua tantùm : & propterea si ea est falsa, vitiat rescriptum. Sanchez & 2. Quod verum est etiamsi falsitas illa processerit ex ignorantiâ, vel simplicitate: Castropal. (etsi hoc neget Pontius) vel etsi Curialis siue solicitator vt faciliùs impetraret dispensationem falsum expresserit quoad causam finalem, aut verum tacuerit, inscio eo pro quo petebatur. Quamuis hoc etiam neget Felin. & Socin. Ipse tamen solicitator non incurrit propterea excommunicationem, sed plectendus est pœnâ falsitatis. Sanchez & Meroll. *Ibid. resol.* 65. 69. & 68. & *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 53.

XX. In impetratione gratiæ alicuius v. g. beneficij, vel dispensationis cessat subreptio ex paruitate materiæ, quoad falsitatem : vt si verus beneficij valor in modico mutetur : nam modicus defectus, vel leuis solemnitatis omissio non vitiat actum. Riccius. *p.* 5. *tr.* 5. *ref.* 33.

XXI. In dubio de valore dispensationis præsumenda est valida. Hinc quando dubitatur an causa in petitione dispensationis tacita, vel falsò expressa sit finalis, an tantùm impulsiua, præsumendum est esse tantùm impulsiuam, & non finalem ; quia præsumendum in fauorem actûs, ne pereat. Sanchez & 9. Etsi contrà sentiat Molin. & 5. *part.* 3. *tractat.* 6. *resol.* 9. & *p.* 4. *tr.* 3. *ref.* 45. & 64. & *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 62.

XXII. Valet dispensatio etsi expressum sit aliud votum maius pro minori, quando minus includitur in maiori, vt si is qui fecit votum non nubendi, petat dispensationem pro voto Ordinis sacri, vel castitatis: non autem si erat votum non fornicandi, & petitum est pro voto Ordinis sacri; quia hoc non obligat ad illud. Suarez & Sanchez. Quando verò simul est votum & iuramentum eiusdem rei soli Deo factum, sufficit alterutrius vinculi facere mentionem etiam altero negato. Sanchez. *part.* 8. *tract.* 3. *ref.* 66. & 67.

XXIII. Debet verificari causa finalis tum eo tempore quo Romæ conceditur dispensatio, tum quo de facto Or-

dinarius

dinarius dispensat:& hoc satis est etsi posteà deficeret antè quàm executioni mandetur. v.g. matrimonium contrahatur. Sanchez & 3. Quod si in rescripto addatur clausula *motu proprio*, suppletur per eam defectus etsi quis tacuerit causam finalem: non tamen si expresserit falsam. Sanchez & Amic.*Ibid.ref.77.& 70.*

XXIV. Quando plura simul conceduntur, subreptio in vnâ parte non vitiat totam concessionem,sed illam solam partem; quoties partes sunt inter se planè separatę: sed si duplicis impedimenti matrimonij simul peteretur dispensatio v.g.consanguinitatis,& voti castitatis; subreptio dolosa in altero vitiaret totam dispensationem;quia totum censetur vnum, cùm sit ad eundem finem & causam.Sanchez & Meroll. Quamuis autem subreptio sit dolosa, si tamen circa solam sit causam impulsiuam vel partis,vel totius concessionis,nihil vitiabit. Sanchez.*Ibid.ref.* *90. & 91.*

XXV. Si plures ad vnam eandemque rem obtineant rescriptum,posterius præfertur priori,si huius faciat mentionem;aliàs præfertur prius, nisi fortè hoc sit generale & posterius speciale.Vallen f.In quibusdam tamen hæc limitanda &c.*p.8.tr.7.ref.4.*

Dispensationis executio.

XXVI. Commissiones ad dispensandum pro foro interno vel externo cum clausulâ *si preces veritate nitantur*, non expirant morte Pontificis: sunt enim gratiæ factæ. Suarez & 9. Idem est de omnibus commissionibus à Legato vel Summo Pœnitentiario; quia neutrum officium expirat morte Pontificis. Sanchez & 2. Similiter nec potestas testandi concessa Episcopis,vel monachis &c. Molin.& 6.Nec potestas eligendi confessarium. Suarez & 4. Nec litteræ dimissoriæ ad Ordines concessæ ab Episcopo, vel à Vicario absente Episcopo, vel à Capitulo Sede vacante, expirant morte concedentis aut cessatione officii, tamquam gratiæ factæ. Sanchez & 3. Imò probabile est idem valere in potestate concessâ ad absoluendum vel

dispensandum circa particularem personam; nam & hoc est aliquo modo in tui gratiam; & quatenus tu vt magis idoneus ad hoc electus es, censeri potest gratia facta, Pontius & 4. In dubio autem an commissio sit in gratiam dispensaturi, an dispensandi, censendum hoc posterius,& esse gratiam faciendam. Sanchez & 3.*part.* 8. *tract.* 3.*res*.98.*&* 99.

XXVII. Dispensatio ex litteris Pœnitentiariæ debet fieri in confessione Sacramentali, vt patet ex clausulâ nunc addi solitâ: *auditâ confessione, non aliter neque alio modo.* Filliuc. & 3. Et cautè legendi Sanchez & alij contrarium docentes. Valeret tamen quamuis confessio esset inualida, modò id non oriatur ex defectu integritatis circa rem de qua petitur dispensatio. Suarez & 3. Ex quo sequitur Confessarium hunc debere esse approbatum ab Ordinario, saltem respectu petentis dispensationem. Pontius & 4. An tamen limitatè approbatus v. g. ad solas confessiones virorum, non possit exequi litteras has etiam pro aliis personis v.g. pro feminis, modò illa limitatio non sit ex defectu scientiæ, sed ætatis potius? affirmat Sanchez & 2. Negat Suarez & 3. vtrimque probabiliter. *p.*4.*tr.*4. *res.*71. *& p.*8.*tr.*3.*res.*105.106.*&* 103.

XXVIII. Qui ad exequendas litteras Pœnitentiariæ eligitur. I. debet esse Doctor in Theologiâ, vel iure canonico factus in aliquâ vniuersitare, nec satis est si Religiosus sit Doctor in suo Ordine; Neque si quis sit Doctor in iure ciuili, aut si in aliis sit Licentiatus, aut Professor Academicus. II. premittere debet causæ cognitionem per examen pœnitentis secretum sine testibus, aliàs dispensatio erit nulla. Non tamen debet exigi iuramentum de veritate dicendâ. Lezana & 2. contra Pontium. III, non potest opera præscripta omittere; quia apponuntur pro formâ; potest tamen ea moderari. Sed debent esse supererrogationis: vt quinquies Pater & Aue, eleemosynæ &c. Sanchez & 2. IV. non est de substantiâ dispensationis vt litteræ lacerentur; tantùm enim per hoc intendit Pontifex vt

non possint suffragari in foro externo. V. Nec facit ad valorem etsi ab aliquo fortè litteræ illæ antè sint apertæ: peccabit tamen eas aperiens. Quod si quis litteras illas à se apertas nolit exequi, licitum erit ad alium accedere. Sanchez & 2. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 71. *&* *p.* 8. *tr.* 3. *res.* 103. 108. 109. *&* 104.

XXIX. Cum pro causâ allegatur periculum incontinentiæ ob stimulos carnis, non sufficit quoduis periculum, nec timor vnius & alterius lapsûs (hæc enim non sunt iusta causa dispensandi) sed debet esse maximum periculum frequentis lapsûs, ita vt ea persona dici posset incontinenter viuere. Portel. & 2. *p.* 8. *tr.* 3. *res.* 107.

XXX. Confessio quæ præscribitur menstrua posset ex iudicio Confessarij esse bimestris, trimestris, aut etiam quadrimestris attento statu pœnitentis occupati; iuxta clausulam: *vel quoties tibi videbitur.* Sufficit autem quouis die cuiusque mensis confiteri. Nec repetenda hæc confessio etsi coincidat alia ex præcepto. Nec, si omissa fuit, posteà supplenda. Sanchez. *Ibidem resol.* 109. *part.* 5. *tractat.* 14. *resol.* 31.

XXXI. Pro expediendis dispensationibus nihil potest accipi, vnde in litteris Pœnitentiariæ semper adscribitur: *gratis vbique* hoc tamen procedere ante expeditionem, non autem factâ iam dispensatione, si aliquid ex gratitudine detur, docet Sanchez & 2. Imò quidam putant tantum prohiberi ea dona quibus recipientis animus corrumpi posset (Gutierr. & Homobon.) non quibus compensetur labor impensus, vt si iure vel consuetudine stipendium aliquod soleat dari. Intelligi autem ibi munera alicuius momenti, non autem esculenta vel poculenta ex merâ liberalitate, quæ paucis diebus consumantur, docet Perez & 3. Sed contrarias Cardinalium declarationes adducit Garsias. *part.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 111. *&* *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 84.

Vide *Matrimonium à num.* 88.

Diuortium.

I. COpula sodomitica imperfecta, quia semen non fuit emissum, non est iusta causa diuortij. Sanchez & 5. Etsi id affirmet Texeda. Imò neque perfecta, aut vlla alia copula contra naturam, sed sola naturalis. Pontius. Sed contrarium est tenendum. Sanchez & 3. *part.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 37.

II. Non est iusta causa diuortij etsi vxor tactus impudicos ab alio admittat: imò etsi pollutio cum complice probaretur; quia per illa non diuiditur caro cum altero. Sanchez & 7. Etsi contrarium in vtroque doceat Dicastill. Hinc neque sufficientem causam præbet concubitus cum feminâ mortuâ; quia non est propriè fornicatio, sed potiùs pollutio: sicut si fieret cum statuâ mulieris. Leand. & 3. *p.* 11. *tr.* 5. *res.* 46.

III. Non tenetur vir vxorem, etiam perseuerantem in adulterio, dimittere, nisi hoc esset & viro non valde incommodum, & necessarium ad vxoris emendationem, quod rarissimum est. Layman & 5. Quæ vera sunt etsi periculum esset incertæ prolis, & falsi heredis. Sanchez & Castrop. A fortiori autem hæc valent quoad vxorem vt non teneatur maritum deserere. Coninc & 4. *p.* 9. *tract.* 8. *res.* 40. & *p.* 11. *tr.* 5. *res.* 37.

IV. Etsi vir expellat vxorem è domo negans necessaria alimenta, & ex hoc illa adulterium committat, adhuc potest diuortium facere. Sanchez & 5. Nisi eâ intentione expelleret vt adulteraretur. Idem est etsi vxor adulteretur ex metu cadente in constantem virum. Sanchez & 2. Quamuis multi id negent. Syluest. & 5. *part.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 38.

V. Etsi non sit iusta causa diuortij si vxor vi opprimatur ab alio, vel si putet esse suum maritum vel si bonâ fide credens maritum mortuum contraxerit cum alio: putat tamen Dicastill. iustam esse causam si putans maritum

esse mortuum tunc fuerit cum alio fornicata, maximè si res ea nota sit, vel illa facta sit grauida. Sed contrarium est probabilius. Sanchez & 4. *p*. 11. *tr*. 5. *ref*. 8. & 47.

VI. Quando adulterium est occultum, vt probari ab innocente non possit, potest ille non expectato Ecclesiæ iudicio, in foro conscientiæ vxorem dimittere, secluso tamen scandalo. Sanchez & 4. Facto autem diuortio de sententiâ Iudicis, innocens habet ius reuocandi ad se nocentem si velit, dummodo hic interim non elegerit statum incompossibilem cum matrimonio ex licentiâ expressâ, vel tacitâ alterius, sine qua non potest id facere. Sanchez & 2. Sed si vterque adulterium commiserit, etsi vnius sit occultum, non potest hic diuortium petere, etsi alter priùs, aut sæpiùs adulteratus fuerit; quia hoc soli innocenti conceditur. Coninc & 5. *part*. 3. *tr*. 4. *resol*. 257. & *part*. 11. *tract*. 5. *ref*. 37.

VII. Vbi vterque est adulter, & vnus se emendauit, alter verò non; potest ille petere diuortium, si hic monitus non resipiscat Sanchez & 2. Quod si post latam diuortij sententiam contra vxorem adulteram, vir etiam adulteretur, tenetur vxori reconciliari sine vllâ Iudicis sententiâ. Molin. & 5. Nisi Religionem vel sacros Ordines suscepisset, postquam sententia transierat in rem iudicatam: secùs si antè. Castrop. *p*. 9. *tr*. 8. *ref*. 39.

VIII. Etsi vir cognoscendo vxorem adulteram censeatur hoc ipso remittere adulterium quoad effectum petendi separationem: non tamen idem censendum est de vxore si permittat se à viro cognosci. Riccius & 2. *part*. 11. *tr*. 5. *resol*. 47.

IX. Quando vxor de hæresi damnata fuit, etsi posteà sit conuersa, potest vir, sine eius consensu, ad sacros Ordines promoueri. Sanchez & 2. Neque vnquam tenetur coniux alterum semel legitimè de hæresi damnatum, licet in occulto, & iterùm reconciliatum ad cohabitationem recipere. Sanchez & 10. Idem de aliis causis diuortij v. g. si factum sit propter insaniam aut furorem, crudelita-

II. Non poſſunt donare carentes vſu rationis, nec muti & ſurdi nati:(aliud eſt de mutis tantùm vel ſurdis) nec prodigi, nec reus criminis capitalis, poſt admiſſum crimen; quia per condemnationem ea donatio reuocatur: Nec pupilli vel impuberes niſi ad pias cauſas. Caſpenſ. (In foro tamen conſcientiæ hi poſſunt donare.) Nec tutor de bonis pupilli niſi fortè ſtipendio debito pro fideli ſeruitio aliquid ex liberalitate ſuperaddendo. Lugo & 3. Nec minores 25. annis ſine Curatorum auctoritate, niſi ea quæ communiter talis conditionis iuuenes donare ſolent; quia in his præſumitur tacitus conſenſus Curatoris. Quæcumque tamen ab iis donata ſunt, non debent reſtitui, niſi repetantur; quia probabile eſt naturaliter eſſe validum, etſi non ciuiliter. Molin. & 3. Filius autem familias poteſt donare de bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus. *p.8.tr.6. reſ.3.5.17.4. 7. & 6.*

III. Miles donare non poteſt concubinæ, merè ſcilicet gratuitò, poteſt verò ob vſum corporis. Molin. Sed quæ ab Eccleſiaſticis ſic donata ſunt, debentur fiſco. Molin. & Dicaſtill. Remuneratoriè tamen donare concubinæ propter ſeruitia quilibet poteſt etiam Clericus, vel coniugatus: imò ſi ſalario ſeruitij conuenerint, tenebuntur illud ſoluere ſaltem in foro conſcientiæ. Barboſ. & 4. *Ibidem reſol. 5. & 83.*

IV. Epiſcopi & Eccleſiaſtici, cum veri ſint domini bonorum etiam beneficialium, validè de iis donare poſſunt, non tamen licitè ea quæ tenentur in eleemoſynas expendere. Caſpenſ. Sed qui ab ipſis illicitè donantibus acceperunt, non tenentur reſtituere, etiam meretrices. *Ibid. reſol. 13. 14. & 15.*

V. Decuriones, & Rectores vniuerſitatum, & ciuitatum non poſſunt donationes niſi remuneratorias facere, aut certè in eleemoſynas monaſteriorum, vel hoſpitalium. Sanchez & 2. Imò & Reges & Principes non poſſunt profusè donare in præiudicium regni prætertim cum pauper eſt ærarium. Quæ procedunt etiam in donation-

bus factis in remunerationem seruitiorum. Quod si aliter donarint possunt & debent à successore reuocari. Bartol. & 10. Sicut sæpius à Regibus in plerisque regnis est factum. *Ibid.resol.*16.8. *&* 123.

VI. Mater filio donare potest.Molin.& 11. Saltem spectato iure recentiori Codicis.VVading. Filius etiam patri donare potest ex iis quæ possidet independenter à patre, vt sunt castrensia &c. Pater autem filio propriè donare non potest cum sint vna eademque persona. Quidam tamen docent inducere obligationem naturalem.Enenckel. Sicut etiam iuramento redditur valida. Bald. & 2. Item potest filio donare remuneratoriè. Bartol. & 10. Sed pro foro externo probari debent merita filij esse æqualia donationi,nec statur assertione patris Menoch. & 3.Etsi pater iuraret talia filij merita in se extare. Pontius & 2. vel de iis testaretur in testamento.Menoch & Vasquius.Contrà in foro conscientiæ.Villalob.Quod si merita non probentur,valebit tamen vt simplex donatio,quæ morte confirmabitur,si nimirum non excedat taxam 500.solidorum, siue aureorum, VVading.& 3. *Ibid. resol.*34.21. 37.22. 33. *&* 35.

VII. Pater potest donare filio emancipato (Gomez & 3.) vel in militiam abeunti(Hunnius & Sichard.)vel filiæ causâ dotis &c.Menoch.& 3.Vel causâ studiorum vt expensarum & librorum , nec tenetur filius hæc computare in legitimam.VVading. & 6. Et sicut tenetur dotare filios tum ad matrimonium , tum ad ingressum Religionis ; ita & ad suscipiendos Ordines sacros, & ad hoc per Iudicem cogi potest. Sanchez & 4. Et hæc donatio non est reuocabilis;quia est onerosa sicut in matrimonio:(Couarr.& 8.)ne ob ingratitudinem quidem. Homobon. Imò sic donata non posse à patre computari in legitimam, aut diuisionem cum aliis fratribus , docet Barbos. & 17. Sed contrarium est probabilius.Molin. & 8.*Ibidem resol.* 36.23. 91.*&* 92.

VIII.Donata filiofamilias à Principe intuitu merito-

rum patris, non sunt computanda in hereditate: neque creditores patris in ea ius habent, sed censentur quasi castrensia. Molin. & 6. Vndè nec pater in his habet vsumfructum. Eadem locum habent si Princeps donet aliquid filiis defuncti. Lopez & 2. Quod si pater officium aliquod emit, & filio donauit, debet hoc quoad valorem æstimari, & in diuisione cum ceteris fratribus computari. Non autem si pater illud precibus à Principe obtinuit. Fagund. Etsi etiam hoc velit Gama. *part.* 8. *tract.* 6. *resol.* 127. & 128.

IX. Qui donat, etiam Ecclesiæ, potest apponere onus quod voluerit. Sanchez & 3. Nisi id fiat in fraudem Ecclesiæ. Valascus. Quod si illud onus non adimpleatur, non propterea res repeti potest, nisi in ipsâ donatione adiecta fuerit ea clausula *commissi*. Canisius. Porro conditio impossibilis, vel turpis adiecta legatis, testamentis, matrimonio &c. habetur pro non adiectâ. In foro tamen conscientiæ standum est intentione. Sanchez. Sed si quis donauerit duobus v.g. Petro & Paulo quamdiu vixerint, intelligitur vt superstes obtineat partem defuncti. Aretin. & 2. Idem est si donatio fiat duobus & cuilibet eorum in solidum Alexand. & 2. Secùs si non adderetur ea particula *in solidum. p.* 8. *tr.* 6. *res.* 100. 42. 85. & 128.

X. Donatio prodiga non est ipso iure nulla. Molin. & Amic. Etsi contrarium probabile sit. Eodem modo non est irrita donatio metu exorta, sed tantùm irritanda. Sanchez & Lessius. Multi tamen docent esse irritam. Molin. & 10. Etiam cum ex nimiâ reuerentiâ facta est. Bald. & 4. Vnde in donatione filiæ factâ patri præsumitur metus. Tiraquell. & Farinac. Imò & inualida est quæ per importunitatem concessa. Bartol. & 3. *Ibid. res.* 84. & 129.

XI. Donatio ob causam præteritam vel præsentem quæ verè non subest, non est inualida nisi error sit circa substantiam rei donatæ, vel personæ donatarij. non autem si sit circa conditionem, accidentariam: potest tamen tunc irritari, & donatarius tenetur errorem detegere, nisi alter

putetur id non curare. vt sæpe fit in eleemosynis ob fictam paupertatem. Less.& 3. Item cum donatio facta est ob certum finem, vel vsum, si hæc non præsteutur, inualida erit donatio, quoties donator intendit ad illum finem obligare; non autem si solùm intendebat animum donatarij ad illa excitare. Rebell. *Ibid. rel.* 89.

Donationis acceptatio.

XII. Donationem sibi factam præsens & tacens censetur acceptare; quia hoc in fauorabilibus habetur pro consensu. Molin. & 18. Sed si fiat infanti, vel etiam nasciturо solùm, valet quando pater, vel Notarius pro ipsis acceptat. Narbona & 3. Quælibet autem quæ fit absenti reuocabilis est donec per scriptum, vel nuntium, vel Procuratorem directa ad donatarium ab hoc acceptetur. Molin. Si tamen ante confirmata sit iuramento, implenda erit ex religione iuramenti. Faust. Quod si donatio fiat vni cum substitutione alterius v. g. post mortem prioris, etsi accepta sit à primo, poterit tamen reuocari respectu substituti, donec hic etiam acceptauerit. Larrea & 8. *p.*8. *tr.*6. *res.*106. 131. 93. 99. & 103.

XIII. Nuntius cuius culpâ donatio aliqua non fuit facta ante mortem donantis, tenetur ad duplicem restitutionem: I. heredibus donatoris; quia ad hos res illa iam pertinet. II. donatario, ratione damni; quia est causa iniusta cur is rem illam non possideat. Molin. & 4. Est tamen probabile teneri heredes ad eam donationem implendam. Couarr. & Molin. vti & probabile est nuntium non teneri restituere heredibus donatoris, sed soli donatario. Lessius & 2. Item probabile est etiam post mortem posse acceptari, quando scilicet nuntius ille missus est vt merus executor, non autem cum mandato donandi. Less. & 4. Etsi hoc probabiliter etiam neget Molin. & Laym. *Ibid. res.* 94. 101. & 95. & *p.*6. *tr.* 7. *res.*4.

XIV. Etsi pro altero nemo possit acceptare sine speciali mandato; quilibet tamen id potest cum donatio sit Eccle-

siæ:vel causæ piæ.Villalob.& 2. Imò probabiliter est irreuocabilis sine vllâ acceptatione. Molin.& 5. Sed contrarium est etiam probabile; quia ex promissione non acceptatâ,stando in iure naturæ,non oritur obligatio.Sanch.& 3. In contractibus etiam lucratiuis acceptare potest pater, vel mater pro filio,tutor pro pupillo,curator pro minore, & filius non emancipatus pro patre,seruus pro Domino, non tamen famulus pro hero.Sanchez. Imò & amicus pro amico. Lessius. Idẽ iura concedunt Notariis & Iudicibus. Quod etsi multi de iure negent (Sanch.& 14.) Saltem de consuetudine videtur probabilius. Couarr.& 33.Quod ad omnem officialem publicum in iis quæ ad officium eius spectant extendit Tusch. Positâ autem tali acceptatione, non poterit posteà reuocari etiam de consensu eius qui pro absente acceptauit, quando intuitu absentis facta est promissio,vel donatio.Rebell.Imò & ius absenti sic acquisitum transire ad eius heredes quidam aiunt, ita vt hi donationem talem acceptare possint. Molin. & 2. Alij verò negant. Tiraquel.*p.8.tr.6.ref.96.106.97.98.&99.&p.3.tr.5.ref.*107.

Donatio excessiua.

XV. Donatio quæ excedit 500.solidos (hoc est regales siue Iulios 7132.vel scuta decem regalium 713.& duos regales vt æstimat Molin.) debet insinuari siue declarari coram Iudice qui de eâ instrumentum conficiet : aliàs erit inualida quoad excessum supra 500, solidos. Quod verum est etsi eadam donatio fiat pluribus : non autem si etiam eidem diuersis actibus , & tempore , sæpius donentur 500.solidi ; quia sic solùm erunt plures donationes, quod non prohibetur. Dicastill. & 4. Sed quamuis deficiat insinuatio , tamen donatio illa valebit vt nudum pactum. Megala. Neque donatarius tenetur excessum illum restituere,donec donator,vel eius heres repetat.Molin. & 12.Quod verum est etiamsi ij nescirent se posse repetere.Less,& Trullench.Non est tamen opus illâ insinua-

tione in donatione remuneratoriâ, vel causa mortis(Molin, & 8. contra Azor & 2.) vel quæ fit Ecclesiæ, aut piæ causæ (Lugo & 14.) vel quæ iuramento firmata est. Lugo & 16, Etsi quidam id velint. Hurtad. & 2.*p.*8.*tr.*6.*ref.*46. 48. 52. 53. 47. 50. 49. *&* 51. *&* *p.*4.*tr.*1.*ref.*63.

XVI. Donatio inter viuos omnium bonorum tam præsentium quàm futurorum iure communi inualida est quia tollit facultatem testandi. Molin. & 25. Etsi cõtrarium doceant multi Iuristæ. Hunnus & 16. Estque inualida in totum, & ne quoad præsentia quidem bona valet. Bartol. & 8. Etsi hoc difficultate non careat. Et quamuis firmetur iuraměto (Lessius & 6.) poterit nihilominus validè reuocari. Absolutè tamen valet in foro conscientiæ. Rebell. & Caspens. Neque est restituenda nisi repetatur vel à donatore, vel ab eius herede. Villalob. & 2.*p.* 8.*tract.*6.*ref.*38. 44. 43. *&* 39.

XVII. Valida est donatio omnium bonorum quæ fit ratione ingressûs in Religionem; quia per professionem tollitur facultas testandi. Sanchez. Item si fiat causa mortis, vel ex causa onerosâ dotis, vel matrimonij &c Molin. & 3. Vel si donator retineat sibi vsumfructum sufficientem ad sustentationem, & ad decenter testandum: non autem si non possit de eo in morte disponere. Hurtad. & 7. Item si fiat Ecclesiæ vel causæ piæ; nam hoc ius ciuile non potest impedire. Molin & 19. Tenebitur tamen tunc Ecclesia vel causa pia alere donantem. Lessius & 2. *Ibid. ref.*38. 40. 45. *&* 41.

Donatio reuocabiliis.

XVIII. Donatio non obligat rebus ita mutatis vt rationabiliter à donando ab initio retraxissent. D. Thom. & 5. Vnde si duo sibi inuicem aliquid donarunt vel promiserunt non tamen mutuò, sed independenter à donatione alterius vnum non seruare suam donationem vel promissionem sufficit vt alter etiam desinat obligari. Molin. Etsi id neget. Nauar, *p.*8.*tr.*6.*ref.*105.

XIX. Donatio reuocari potest ex causâ ingratitudinis, si in donatorem grauiter iniurius fuerit, si vitæ eius insidiatus &c. neque solùm ob causas enumeratas *l.vlt C. de reuoc. donat.* Sed etiam ob alias similes. Menoch.& 8. Vt si donatarius alimenta neget donatori egenti. Lessius & 9. Neque valet pactum vt donatio non possit ob ingratitudinem reuocari; quia est contra bonos mores, & inuitat donatarium ad delinquendum. Bartol. & 8. Vnde neque iuramento confirmari posse, docet VVading.& Molfes. Sed contrarium est probabilius. Lugo & 3. Debet tamen ingratitudo probari apud Iudicem, neque ante sententiam tenetur donatarius restituere. Molin. & 4. Post eam verò etiam fructus perceptos post litem contestatam. Molin. & 2. *Ibid. ref.* 54.55.57. *&* 58.

XX. Non possunt heredes donatoris reuocare donationem ob eas causas ob quas donator ipse potuisset, nisi cum donator eas causas ignorauit. Lugo & 7. Item quæ facta est Ecclesiæ, reuocari non potest ob ingratitudinem Prælatorum. Lessius & 6. Quamuis id malè concedat Fagund. Item neque illa cui adiunctum fuit iuramentum non reuocandi ob ingratitudinem. Lugo & 3. Contrarium tamen est probabile. VVading. & 2. Eodem modo hæc reuocatio locum habet in legatario si iniurius sit in testatorem, vt si violet eius vxorem. Molin.& 3. *Ibid. ref.* 54. 56.57. *&* 58.

XXI. Donatio remuneratoria propter obsequia, seruitium; aut beneficium præstitum, non est propriè donatio, sed potiùs compensatio: vnde nec reuocari potest ob ingratitudinem. Molin. & 19. Et quamuis inceperit à promissione, donator tamen tenebitur de euictione. Menoch.& 2. Censetur autem remuneratoria si vel donator meritorum mentionem faciat in donatione: vel saltem pro foro externo, si ea probentur; pro interno verò si constet esse, etsi donator eorum mentionem non fecerit. Nauar.& 7. Et in dubio censetur remuneratoria: sed debent illa merita vel obsequia esse non aliàs debita. Fagund. & San-

cius. Vnde obsequia filij erga patrem, vel vxoris erga maritum non habentur pro meritis, nisi sint extraordinaria v. g. quæ diutissimè cum magnâ curâ & sollicitudine in graui quapiam & longâ ægritudine parentis, vel mariti impensa fuerint, Tiraquel. & Bocer. Item debent merita esse æqualia donationi, non tamen mathematicè; quia gratitudo exigit vt plus detur. Ideò probabile est censeri æqualia quando donatio non excedit supra quartam partem vt si merita sint 12. & donatio sit 16. Nauar. & Barbos. Sed probabilius videtur hoc prudentis arbitrio iudicandum, iuxta id quod talis conditionis homines vulgò remunerari solent. Sanchez & 6. *Ibid. resol.* 115. 117. 118. 116. 119. & 120.

XXII. Reuocari item potest donatio si donatori posteà nati sint liberi nisi de his cogitauerat donans. VVading & 9. Quamuis in hoc etiam casu affirmet Hurtad. & Molfes. In dubio autem non præsumitur de liberis cogitasse. Bartol. & 4. Quæ reuocatio permittitur etsi iurasset se non reuocaturum, nisi addidisset ne in casu quidem liberorum. Lessius & 2. Potest enim pater priuilegio *l. si vmquam. C. de reuoc. donat.* renuntiare. Et quamuis liberi sic nati posteà moriantur ante donatorem, non tamen donatio semel reuocata reuiuiscet; quia ad hoc opus est nouo consensu donatoris. Molin. & 3. Quamuis Lugo putet communiter contrariam esse donantium intentionem. *Ibidem res.* 59. 60. & 61.

XXIII. Hæc reuocatio fieri potest non solùm quando donator est patronus, & donatarius libertus (etsi id velint Azor & 18.) Sed etiam à quouis alio donatore. Bartol. & 25. Item locum habet ob natos illegitimos si hi posteà à Principe legitimentur. Hurtad. & Lugo. Aut si illegitimus natus ante donationem, post eam legitimetur. Lugo. Quamuis vtrumque hoc neget Dicastill. & 2. Nisi legitimarentur per subsequens matrimonium. Donatio tamen facta Ecclesiæ ob quosuis liberos posteà natos reuocari non potest, nisi in quantum est inofficiosa filiis quoad le-

gitimam.Lessius.& 12.Etsi hoc etiam velit VViggers & 4. Nullo autem modo reuocari propterea potest donatio remuneratoria, nisi excedat causam, nam secundùm hoc non est remuneratoria,sed liberalis.Molin.& 6. *Ibid.res.*63. 62.64.& 65.

XXIV. Reuocari etiam potest donatio vt in officiosa, quia scilicet est in præiudicium legitimæ filiorum. Sed probabiliùs non potest propterea reuocari in totum, sed tantùm vsque ad legitimam debitam. Quod si donatio fuerit rę & consilio inofficiosa,hoc est,facta ex intentione defraudandi filios, probabiliùs rescinditur in totum. Fagund.Etsi alii variè hîc sentiant. Quæ legitima æstimanda est iuxta statum bonorum tempore donationis. Et hæc reuocatio à filiis fieri potest etiam viuente patre;quia etsi legitima non debeatur ante mortem patris vt tradenda,debetur tamen quasi seruanda vsque ad mortem. VVading. *Ibid.res.*66.

XXV. Filius in dubio præsumitur impensas factas pro Patre fecisse animo donandi. Surdus & 3. Cui tamen obstare videtur *l.*12.*C.de negot.gest.*Expensas autem in liberos præsumuntur parentes fecisse animo non repetendi, nisi aliunde contrarium colligatur. Sed de Vitrico hoc non præsumitur:vnde hic potest eas repetere. *part.*11.*tractat.* 3. *resol.* 19.

Donatio inter coniuges.

XXVI. Coniuges non possunt liberaliter ita sibi mutuo donare,quin semper possint donationem reuocare, ne nimio amore se inuicem spolient. Molin. & 18. Has tamen leges non obligare in conscientiâ, quæ excludit pręsumptionem, docet Homobon. Si tamen accesserit iuramentum,redditur irreuocabilis. Sanchez & 21. Sicut & morte confirmatur, si tamen non excedat 500. aureos, vel antè fuerit insinuata.Item morte ciuili v.g. professione, modò Religio nō possideat bona in communi.Sanch.& 3.Vt autē morte confirmetur,debet tempore vitæ interuenisse tradi-

tio. Couarr. & 6. Etsi id neget Hurtad. Idemque est de morte ciuili,vt exilio.Ideoque potest hic esse modus fraudandi fiscum,si antè donet vxori. Bartol. & 6. Porrò hæc confirmatio retrotrahitur,ad tempus donationis, vnde & fructus ab eo tempore debentur.Molin.& 6.*p.8.tr.6.res.*19. 20. 24. *&* 32.

XXVII.Valida est donatio qua coniugi donantur reditus annui ad dotandam Capellam, vel ad accendendum oleum,vel ceram,vel ad sepulturam. Sanchez. Item si vxor det marito ad assequendam dignitatem, vel studiorum causâ, vel ad gradum Doctoratûs &c. Sanchez & 2.Item si maritus senex vel ignobilis donet vxori nobili vel iuueni; quia hæc est remuneratoria eius quod talis vxor tali nupserit. Less. & 21.Omnis autem remuneratoria licita & valida est inter coniuges secundùm Theologos, (Sanchez & 4)& Iuristas.Baldus & 13.*Ibid.res.*26.29.*&* 28.

XXVIII. Validè similiter donare possunt causâ mortis, siue præcesserit traditio rei,siue non.Molin.& 15.Et in dubio qualis sit donatio præsumitur esse causâ mortis. Peckius & 3.Imò in die natiuitatisDomini posse donari etiam magnam summam; eò quòd non censeatur donatio merè liberalis,sed ex piâ gratulatione pro Christo nato, docet Berlich.*Ibid.res.*30.*&* 31.

XXIX. Qui donauit vxori tantùm putatitiæ,quia scilicet inualidè contractum fuit matrimonium, potest reuocare quę donauit illi quatenus vxori,& aliàs non daturus; quia illa inualidè donauit,vt pote ex errore.Debet tamen tunc illi compensare damnum pudoris &c. Caram. *Ibid. res.* 27.

Donatio Causâ mortis.

XXX. Ea est cum rem donatam malo me habere quam donatarium,sed malo hunc habere quam meum heredem. Azor.& ideò solâ morte confirmatur. Et quamuis in fieri sequatur naturam contractûs;quoad effectus tamen similis est vltimæ voluntati.Fagund.& Azor.neque indiget insinuatione,sed qui neque testibus sicut vltima voluntas.Fernand.

nand.& 2. Ad causam tamen piam sufficerent duo testes, sicut ad testamentum. Quod si non adsint illi testes debet fieri præsenti etiamsi nihil respondeat, vel absenti per epistolam, vel nuntium ad hoc missum. Bartol & 6.*p.8.tr.6.res.67.80.& 81.*

xxxi. In dubio qualis sit donatio censetur facta causâ mortis, si fiat mentio mortis in substantiâ donationis, vel si periculo mortis motus donet &c. Fernand. & 3. Quod si sit omnium bonorum detrahenda est Falcidia. Azor & 5. Quamuis donatio illa non fieret in testamento vel codicillo, sed extra Azor & 2. Quod tamen negat Gouarr. Si verò sic donans aliquid sibi reseruet, de quo posteà disponat, & si ante mortem non disposuerit, illud accrescet donatario & non heredi eius. Iason. *Ibid. res.* 76. 82.*&* 77.

xxxii. Donare causâ mortis possunt omnes qui possunt testari. Vnde & minores 25. annis sine consensu Curatoris. Molin. & 9. Et mulier etiam quæ prohibetur per leges municipales contrahere sine consensu mariti, vel duorum propinquorum. Bocer. & 5. Vsurarius autem causâ mortis donare non potest. nisi prius vsuris satisfecerit, vel cautionem dederit: potest tamen ad pias causas. Fagund. & 16. Etsi quidam vniuersaliter id permittant. Bald. & 11. Idem est de Iudæis vsurariis. Couarr. *Ibid. res.* 68.71.75.73. *&* 74.*& p.*11.*tr.*4.*res.*22.

xxxiii. Filius ex consensu patris donare potest causâ mortis: & sine consensu potest non tantùm de bonis castrensibus, sed etiam de aduentitiis quorum vsus fructus patri non acquiritur. Bartol. & 9. Aliàs non potest filius ita donare bona aduentitia consentiente etiam patre. Bartol. & 14. Contrarium tamen probabile est. Bocer. & Fachia. Debet autem consensus patris esse expressus. Couarr. & 2. Et ideò si filius ex consensu patris testetur, in eâ clausulâ codicillari *si non valeat iure testamenti, valeat iure codicilli, aut cuiuscumque alterius vltimæ voluntatis* non comprehendetur donatio causâ mortis. Couarr. & 4.

Etsi contrarium etiam probabile sit. Fachin. & 7.*p*.8.*tr*. 6. *res*.69.70. *&* 72.

XXXIV. Surdus simul & mutus etsi inter viuos donare secundùm quosdam possit etiam cum à naturâ defectus est, & non à casu superueniente; at causâ mortis non potest: secus verò qui surdus tantùm, vel mutus est. Azor. Alij tamen censent non aliter posse donare inter viuos quàm causâ mortis. Megal. *p*. 5.*tr*.6.*res*.12.

XXXV. Donatio causa mortis si iuramento firmata sit, non potest ex solâ pœnitentiâ reuocari. Faber & 4. Quamuis id affirmet Couarr. & 4. Reuocatur tamen ob superuenientiam liberorum. Piso & 3.*part*.8.*tractat*. 6.*resol*.79.*&* 78.

Vide *Promissio*.

Dubium.

LIcitum est operari cum conscientiâ dubiâ speculatiuè, sed practicè certâ: ad quod non requiritur vt excludat omnem formidinem de opposito (etsi id affirmet Layman) sed sufficit assensus probabiliter dictans hoc posse honestè agi. Vasquez & Sanchez. Ad quod valet regula illa: *in dubio melior est conditio possidentis*, non tantùm in materiâ iustitiæ, sed & omnium aliarum virtutum. Suarez & 11.*p*.4.*tr*.3.*res*.1.2.*&* 3.

Duellum.

I. PRouocatus ad duellum si iudicabitur illud omittere non propter legem Dei, vtpote quam in aliis non bene obseruat, sed propter timiditatem, potest ire ad locum condictum animo non pugnandi quidem, sed se defendendi si ab altero impetatur. Hurtad. Sed communis sententia contraria est tenenda. *p*.5.*tract*.13.*res*.25.*&* *tract*.14.*resol*.99.

II. Si accusator offerat duellum purgatiuum, posse innocentem illud acceptare ad tuenda bona temporalia:

imò posse ipsum ad illud prouocare, si aliter non potest ea defendere, eò quòd tunc non sit duellum, sed iusta defensio, affirmat Hurtad. & 4. Negat Suarez & 3. *part. 5. tract.* 13. *res.* 27.

III. In casu quo, si non accepto duellum, debebo officium, militiam, aut gradum deserere cum graui meo, vel familiæ detrimento, tunc licitè illud acceptari posse, docet Marchant; eò quòd tunc non sit nisi iusta defensio honoris contra realem agressorem à quo me aliter defendere non possum. *p.* 10. *tr.* 12. *res.* 53.

IV. Qui moritur ex vulnere in duello inflicto, si viuus discesserit à loco conflictûs, non est priuandus Ecclesiasticâ sepulturâ, quia verba Tridentini cùm sint legis pœnalis, vltra rigorem litteræ non sunt extendenda. Sancius & 11. Sed quamuis pœnas à Pontificibus in duellantes statutas putet Bauny in Galliâ: & Layman in Germaniâ non esse vsu receptas: contrarium tamen est verum, vt alij testantur Arriag. in Germaniâ, & Duual. in Galliâ. *part.* 2. *tractat.* 16. *resol.* 52. & *part.* 5. *tractat.* 3. *resol.* 141. & *p.* 11. *tract.* 6. *res.* 26.

V. Qui in duello lethaliter percussus signa contritionis edit, neque tamen potest confiteri ob defectum Sacerdotis, priuandus est Ecclesiasticâ sepulturâ ex decreto Tridentini. Sancius. Etsi quidam contrà sentiant. Portel. Potest tamen pro illo orari etiam in Missâ; quia etsi sit excommunicatus, non est tamen nominatim denuntiatus. Nauarr. & 3. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 192.

VI. Si quis prouocato ad duellum aduersario, sese ad locum conductum præfixo tempore conferat, ibique frustrà exspectato inimico, discedat, non incidit in excommunicationem Bullæ Gregor. XIII. Item si quis offensus ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen ab amicis impediendum; & hoc faciat ad reparandum honorem læsum, etiamsi vterque veniret ad locum designatum, gladios distringerent; &c. neuter incurreret excommunicationem,

Filliuc. & Trullench. *part.2.tractat. 16.resol.53.part.7.tract. 11. resol.* 44.

VII. Si quis inimicum arguat mendacij, si sustinere voluerit quod sibi relatum fuit, etiamsi hoc dicendo stringat gladium, non incurrit excommunicationem quia non est prouocatio ad duellum facta ex condicto. Neque qui alium prouocat ad pugnam, nullo statuto tempore, aut loco. Bonacin. Nec qui ad locum duelli accedit inspiciendi causâ, modò duellum secutum non sit. Nec qui duellum spectat obiter, & in transitu, vel ex occulto. Sanchez & 4. Nec qui aliquid narrat quod videt esse posse causam duelli, nisi illud narret, vt ad duellum incitet. Bonacin. Nec qui legunt scriptum quo aliqui se prouocant ad duellum. Comitol. Nec qui ratam habet prouocationem, vel pugnam suo nomine factam. Floron. Nec qui postquam suasit duellum, conatus est suum consilium reuocare, licet reipsâ secutum fuerit. Nec qui ortâ repente rixâ, se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem statim se conferunt, & ibi dimicant; quia non adest assignatio temporis. Cherubin. & 6. Quod verum est etsi intercedat aliquod spatium temporis, modò iudicio prudentis adhuc duret calor iracundiæ. Suarez. Nec qui alteri dicit: *pugnabo tecum cùm primùm tibi occurrero per vrbem*; quia nec ibi est assignatio loci, vel temporis. *part.3.tractat.6.resol.* 1.*& part.5.tractat.13.resol.59.& part.6.tractat. 6.resol.21.& part. 7.tract. 11. res.* 44.

VIII. Pœnæ statutæ contra duellantes incurruntur ipso facto: nec vllo modo admittendum est quod contrà docet Nauarra. *p.11. tr. 8. res.21.*

IX. Excommunicatione latâ à Tridentino tenentur non quilibet spectantes, sed soli qui ex condicto sunt spectatores, & testes: quia hi soli duellum sic promouent. Hurtad. Neque qui spectant nescientes id esse prohibitum sub pœna excommunicationis. Duuall. Neque qui amico duellaturo subministrat arma, sine quibus nihilominus duellaret. Imò neque acceptantes, vel offerentes duellum,

ſi pugna de facto non ſequatur. Hurtad. Sed an poſterius hoc probabile ſit, alii iudicẽt. *p.5.tr.14.reſ.100.101.&102.&p.11.tr.6.reſ.27.*

X. Ab hac excommunicatione occultâ poſſunt abſoluere Epiſcopi non obſtante conſtitutione Clemẽtis VIII. Bonacin. & Peregrin. Item poſſunt ab eâdem abſoluere per ſua priuilegia Regulares, Hurt. & 4. Sed hoc in Italia locum non habet. Layman & Dicaſtill. Poteſt tamen quis abſolui per Bullam Cruciatæ. Sanchez & Hurtad. *part. 5. tractat.* 14.*reſol.*103.*&*104.*& part.7.tractat.2.reſol.*21.*& tr.* 11.*reſol.*45.

XI. Poteſt Princeps ad maiora mala vitanda, in caſu extraordinario, duellum permittere. Sanchez & *9.p. 3.tr. 6.reſ.1.&p.6.tr.6.reſ.20.*

XII. Quod attinet ad ſcripta prouocantia ad duellum poſſunt famuli ea ſcribere, ſi alioquin ipſis immineret periculum mortis, aut alterius grauis damni. In nullo autem caſu licet ea ſcripta deferre: quia id eſt intrinſecè malum; Quamuis oppoſita ſententia non ſit improbabilis. Merolla & Cæleſtin.*part.3.tractat.6.reſol.1.&part.7.tractat.11.reſol.*44.

E

EBRIETAS.

I. QVando quis magnum malum V.G. proditionem ciuitatis, vel non recuperationem eius à legitimo Principe, non poſſet impedire, niſi quoſdam inebriando, probabile eſt id licere. Leſſius. Idem eſt vt quis ſe eripiat è manibus latronum. Leſſius. & 2. Contrarium tamen in vtroque caſu eſt probabilius.*p.6.tr.7.reſ.*43.

II. Quando ad euitandam mortem ſiue ex morbo, ſiue ex malitiâ alterius, neceſſarium eſt tantum bibere vnde inebrieris, licitè id facies. Leſſius & 2.*Ibid.reſ.*44.

III. Dicta aut facta ebriorum quæ non cedunt in dan-

est polluta:sicut non polluitur per hoc quod excommunicatus non toleratus in eâ celebret. Suarez & 5.*part*.11..*tr*. 8.*resol*.22.

V. Ecclesia non indiget nouâ consecratione etsi paulatim & per partes tota renouetur,etiam quando ex tali intentione partes ab initio sic destruuntur, modò numquam maior eius pars sit simul destructa. Dicastill. & 4. Quod probabiliter verum est etsi ex quatuor Ecclesiæ parietibus ferè duo corruerent.Lugo & Dicastill. *par*. 11. *tr*.3.*res*.21.

VI. Ecclesia quæ multo tempore sine tecto stetit & ianuâ, & plena est multis sordibus,vel etiam in qua Hæretici concionati sunt, vel cœnam suam celebrarunt, non debet solemniter reconciliari, sed simplici benedictione per aquam lustralem.Bauny.*p*.8.*tr*.7. *res*.93.

VII. Instrumenta musica possunt in Ecclesiis adhiberi. Procurandum tamen ne impurum aliquid aut lasciuum sonent. Idemque est de cantu modulato.Suarez & 7.*p*.11. *tr*.4.*res*.44. Similiter possunt in Ecclesiis fieri repræsentationes,seu actiones sacræ,v.g.de passionne Christi,aut vitâ alicuius Sancti, Sanchez & 3. Sed contrarium docet Gauant.& 2.*p*.4.*tr*.4.*res*.184.

VIII. Sumptio tobachi in Ecclesiâ,vel eius ambitu, licet indecens sit, non est tamen peccatum mortale. Lugo. Etsi hoc affirmet Pasqualig. Sed esset mortale si sumeretur Romæ in Ecclesiâ. S. Petri,vel eius porticu;ob prohibitionem Innocentii X. vel etiam si in aliquâ Ecclesiâ diœcesis Hispalensis ob prohibitionem Vrbani VIII. sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ. *part*.10.*tractat*. 16.*res*.24.

IX, Sedilia vel scamna quæ laici habent in Ecclesiis ad audiendam concionem possunt ab Episcopo, vel Superiore Regulari inde amoueri;quia laici non possunt vllum ius habere in Ecclesiam, sed istorum sedilium habent solum vsum facti,qui ad nutum reuocabilis est.Malder & 3.Etsi contrarium doceat Pellizzar.& 4.*Ibid*.*res*.64.

X. Ecclesia polluitur si quis in ea grauiter vulneretur, quamuis ex ea exierit antè quam sanguis effluxerit. Suarez & 12. Imò pollueretur si quis stans in ostio Ecclesiæ acciperet vulnus lethale, etsi mortuus caderet extra Ecclesiam; quia qui stat in ostio Ecclesiæ, dicitur stare in Ecclesia. Quod tamen videtur intelligendum, si hoc contingat in primo limine siue linea à parte interiori portæ, non autem si in linea externa. Marchin. Non tamen polluitur per hoc quod quis in ea grauissimè sit contusus, vnde paulo pòst domi moriatur: quia tunc nec sanguis in ea effusus, nec homicidium factum est. Suarez & 6. Et per consequens illa circumstantia loci tunc non est necessariò in confessione exprimenda Vniuersim autem vt Ecclesia censeatur polluta, probabile est requiri iudicialem delicti notitiam, siue per sententiam iudicis Fagund.& 3. Praxis tamen est in contrarium, quæ sequenda est. *part.6.tract.6 ref.47.26.& 27.& p.11.tract.8.ref.23.& tr.5.resol.44.& tr 2. ref.59.*

XI. Non polluitur Ecclesia nisi in ea fundatur sanguis in abundantia. Suarez & 6. Sed & si quis rixando cum altero, & pugno nares eius percutiendo in Ecclesia copiosum eliciat sanguinem, non tamen polluetur; quia facilè inde fluit sanguis. Fagund. & 4. Neque si quis ante Ecclesiam occisum, sed adhuc calidum, ideóque intra Ecclesiam delatum, quia credit adhuc viuere, in ipsa Ecclesia de nouo vulneret, vnde copiosus fluat sanguis: quia non funditur in Ecclesiâ sanguis hominis viui. Fagund. & Henriquez. *p.6.tr.6.ref. 25. & 24.*

XII. Eodem modo ad violationem Ecclesiæ requiri seminis effusionem copiosam, & non vnius aut alterius solùm guttæ, docet Lugo & 3. Sed probabilius est sufficere quantumcumque modicam, modo sit voluntaria. Iordan. Non tamen violabitur per effusionem in somnis licet indirectè voluntariam in causa. Bonacin. & 6.*part.*11, *tr.2.ref.58.*

XIII. Ecclesia probabiliter non polluitur nisi per illi-

citam seminis effusionem, ideóque per actum coniugalem in eâ exercitum non violatur. Pontius & 4. Item debet delictum esse publicum, ita vt Ecclesia sit quasi diffamata. vnde non sufficit duos vel tres id scire, sed debet aut confessione rei in iudicio, aut euidentia facti multis innotuisse. Vasquez & 4. Debet etiam actus esse factus intra corpus Ecclesiæ, & non tantùm in cubiculis corpori Ecclesiæ adhærentibus, aut in turri, aut sacristiâ &c. Perez. *p.* 11. *tr.* 8. *ref.* 34.

XIV. Polluitur Ecclesia si in ea sepeliatur infans parentis fidelis mortuus sine baptismo. Lugo. Etsi contrarium doceat Vgolin. & Iordan. *Ibid. res.* 22.

XV. Ecclesia polluta, vel violata, si sit consecrata, debet reconciliari per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de eius licentia, & cum aqua à se, vel ab alio Episcopo benedicta cum vino & cinere. Si autem sit tantùm benedicta, potest per simplicem Sacerdotem reconciliari, & aquâ benedicta communi. Henriquez & 5. Vnde etiam id possunt Superiores Regularium. Auila & 6. Imò etsi fuerit consecrata, non debere necessariò ab Episcopo reconciliari, sed posse à Simplici Sacerdote de illius licentia, putant Sà & 2. Sed contrarium est tenendum Lugo. *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 6. *&* *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 91. *&* *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 23.

XVI. Superiores Regulares ex priuilegio posse reconciliare, aqua per ipsos benedicta, Ecclesias consecratas ab Episcopo, docet Nouar. Saltem posse hoc quando Episcopus abest per duas dietas, docet Layman & 11. id est, itinere duorum dierum iuxta itinerum istius regionis consuetudinem. Idem est si mortuus sit Episcopus, vel quomodocumque absit. Henriquez & 3. Sed ego hæc solùm admitto quoad Ecclesias benedictas, non autem quoad consecratas. Garzias. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 91. *&* *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 22 *&* *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 23.

XVII. Vbi reconciliatio Ecclesiæ haberi non potest, v.g. propter absentiam Episcopi, posse ex huius permissione

eam lauari aquâ exorcisatâ,& interim in eâ celebrari donec per Episcopum reconcilietur:Similiter si Ecclesia non consecrata polluatur, sufficere quod per simplicem sacerdotem modo prædicto reconcilietur, docet Piasec. Quæ tamen non videntur admittenda.Potest tamen Episcopus permittere vt in Ecclesiâ violatâ celebretur ante reconcillationem,& in ipsius absentiâ eius Vicarius.D.Thomas & 3.Imò & in absentiâ vtriusque, si non esset alia Ecclesia in qua populus die festo Missam audiret,posset id fieri sine licentiâ.Lugo.*p.*11.*tr.*8.*res.*23.

XVIII. Ecclesia polluta reconciliatur per hoc quod quis in eâ celebret. Heuriquez & 6.Etsi malâ fide id faceret. Sà & 2.Quamuis hoc neget Layman. Porrò qui in eâ celebrat non tantùm non fit irregularis, sed nec incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ.Suarez &6.*part.6.tr.* 6. *resol.*28.*&* *part.*2.*tractat.*14.*resol.*69.*&* *par.*5.*tr.*13.*res.*60.*&* *p.*11.*tr.*2.*res.*59.

Ecclesiarum immunitas

I. ECclesiarum immunitas est de iure diuino. Rebuff. & 14. Etsi multi contrarium doceant. Suarez & 6. *p.*4.*tr.*1.*res.*44. Imò quidam docent etsi posteà ab Ecclesiâ reus egrediatur,non posse tamen à Iudice laico puniri:eò quòd immunitatem conferat in illâ priùs fuisse. Fagund. & 8.*p.*6.*tr.*1.*res.*33.*&* 34.

II. Constitutio Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiæ non tantùm derogat priuilegiis Principum, sed etiam iuri communi,& consuetudinibus.Filliuc,&10.*p.*1.*tr.*1.*res.*2. Vnde nulla consuetudo siue generalis,siue in casu particulari,potest in contrarium præualere. Suarez & 9. *p.* 6.*tr.*1. *res.*29.Independenter autem ab hac Bullâ, & vbi ea non est recepta,vt in Hispaniâ, multa possunt esse probabilia quæ docet Sancius *p.*1. *tr.* 1.*res.* 39.

III. Qui in Ecclesiis seu cœmeteriis commisit quæcumque atrocia crimina, excepto homicidio & mutilatione membrorum, non inde amittit immunitatem Ec-

clesiarum;quia Bulla illa duo sola excipit.Bonacin. & 6.*p.* 1.*tr.*1.*res.*2.

IV. Qui in Ecclesiâ committit homicidium, vel membrum mutilat,non ex proposito,sed in rixâ ortâ per accidens,& ex calore iracundiæ,non videtur ex verbis Bullæ immunitatem amittere, & multò magis qui vulnerat tantùm absque mutilatione, etiam cum sanguinis effusione. Azor & 11. Vti nec qui alium violenter ex Ecclesiâ extrahit,& tunc eum occidit,vel mutilat. Bonacin. & Castrop. *Ibid.res.*11.*&p.*4.*tr.*1.*resol.*107.*& p.*6.*tr.*1.*resol.*7.*&p.* 12.*tr.*3.*res.*6.

V. Si quis existens in Ecclesiâ,vel monasterio, per fenestram occidat sclopeto alium existentem extra Ecclesiam,gaudet immunitate; à qua excluduntur tantùm occidentes in Ecclesia.Bonacin. At contrà qui existens extra Ecclesiam, occidit existentem in Ecclesiâ immunitatem amittit. Bonacin.& 4. Non autem is qui existens in Ecclesiâ mandat homicidium extra illam committi; nec qui existens extra, mandat intra homicidium committi; quia qui mandat occisionem, non dicitur propriè occidere: at in pœnalibus, & odiosis verba Bullæ non sunt extendenda Farinac.& 3.*part.*1.*tractat.*1.*res.*9.*&* 10.*&p.*6. *tract.*1.*res.*7.

VI. Qui in atrio, vel scalis Ecclesiæ hominem occidit si post delictum confugiat ad Ecclesiam, gaudet eius immunitate;quia non occidit in Ecclesiâ. Riccius & 2. *p.* 3. *tr.*1.*res.*39.*& p.*6.*tract.*1.*resol.*7.Item qui deliquit iuxta Ecclesiam sub spe confugiendi ad eam, gaudet ipsius Ecclesiæ immunitate.Suarez & 15.*p.*1.*tr.*1.*resol.*3.*& part.*6.*tract.* 1.*resol.*10.

VII. In bello iusto si hostes abusi sunt Ecclesia tamquam arce & castro ad repugnandum, possunt ex illâ extrahi,vel in illâ occidi; quia eo ipso amittunt priuilegium immunitatis,ex *cap.Sanctorum Patrum.* 10.*q.*1. quod tamen non amittunt si illam solum munierint ad præcisam Ecclesiasticorum, & innocentium defensionem. Suarez

& 4.*part.*10.*tractat.*16.*resol.*74.

VIII. Qui occidit inimicum non proditoriè, sed ex insidiis, & præmeditatè,gaudet immunitate; quia Bulla excipit solùm homicidium proditorium, id est,quod factum est per simulationem amicitiæ. Bonacin. & 3. Imò & independenter ab eâ Bullâ, in terminis iuris communis,idem docet Suarez & 3. Quod tamen plures negant. Sanchez & 10. Item si proditoriè voluit quidem occidere,sed non occidit tamen de facto. Suarez & 10. Multò magis qui proditoriè quidem & sub specie amicitiæ, sed alapam solùm inflixit viro nobili,vel fustibus eum cecîdit,gaudebit Ecclesiæ immunitate. *part.* 1. *tractat.* 1.*resol.* 5.4. 31. *&* 33. *& part.*4.*tractat.*1. *resol.* 83. *& part.*6.*tractat.*1. *resolut.* 13.*&* 12.

IX. Reconciliatus inimico cum fideiussione de non offendendo,si posteà illum occidat, nondum dicitur proditoriè occidisse,vt careat immunitate Ecclesiæ; quia, vt suppono, non intercessit arctior aliqua imicitia simul comedendo,alloquendo,&c.vnde poterat præsumi, non obstante fideiussione, adhuc odium durare. Riccius, & de Marinis.*p.*1.*tr.*1.*res.*35.*& p.*4.*tr.* 1. *res.*34.

X. Procurantes abortum gaudent immunitate; quia non debet censeri homicidium proditorium, Bonacin. & 2.*p.*3.*tr.*1.*res.*72.*&p.*7.*tr.*5.*res.*42.Qui autem veneno alium occidit,ex omnium ferè DD. sententiâ, non gaudet immunitate,quia proditoriè occidit. Farinac.*p.*1. *tractat.*1.*resol.*36. Sed hoc intellige quando sic occiditur aliquis cum quo nulla præcessit inimicitia. *p.*6. *tr.*1.*res.*12.

XI. Qui infidelem proditoriè occidit,gaudet immunitate. Bonacin. & Ambrosin. Vti & qui eundem occidit pecuniâ conductus:quia non est assassinus. Couarr. & 3. *Ibid.res.*11. *& p.* 4. *tr.* 1.*res.* 105.

XII. Qui pecuniâ conductus, ex mandato alterius aliquem occidit præsente ipso mandante, non est propriè assassinus, nec priuatur Ecclesiæ immunitate. Castrop. & 2. Imò neque mediator assassinij illâ priuatur; quia

eo ipso non est assassinus. Gambac.& 2.Neque qui tentauit assassinium, morte non secutâ. Layman, & Castropal. Neque qui animo complacendi tantùm alicui homicidium perpetrauit. Ambrosin.& 2. Neque si pro homicidio promittatur, quod non est in potestate promittentis v. g. dare aliquam in vxorem. Farinac. & Boss. *p.*1. *tr.*1. *res.*18. *& p.*4.*tr.*1.*res.*109.*&* 33.*& p.*6.*tr.*1.*res.*11.

XIII. Falsus testis etiam pecuniâ ad hoc corruptus,& ob cuius depositionem alius morti est addictus, gaudet immunitate.Bonacin. & Castrop.*p.*4.*tr.*1. *res.* 104. *& p.*1. *tr.*1.*res.*19.*& p.*6.*tr.*1.*res.*26.

XIV. Occidens Clericum, quamuis sacrilegium committat,non tamen amittit immunitatem: quia excipiuntur tantùm homicidia proditoria, & per assassinium commissa. Farinac. & 4.*part.*1.*tractat.*1. *resol.*34.*& p.*4. *tract.*1. *resol.* 68.

XV. Committens crimen læsæ majestatis in Principem non supremum, gaudet immunitate: quia Bulla tantùm excludit offendentes personam Principis supremi. Barbos.& 3.Inter quos tamen computandi quoad hoc etiam Cardinales. Gambacurt. & 2.Imò mandantes eos offendi amittunt immunitatem, etsi effectus secutus non fuerit. Peregrin. Aut qui crimen illud læsæ majestatis scientes non reuelant. Farinac.& Ital. *p.*1.*tr.*1.*resol.*6.*&* 7. *& p.*5.*tr.*2.*res.*86.87.*&* 90. Etsi autem Regularis occideret suum Generalem, gauderet immunitate; quia ille in Bullâ non venit nomine Principis,cùm habeat se superiorem. Castrop. & Trullench. *p.*7. *tr.*11.*res.*57.

XVI. Rebellis,vel qui offendit statuas, vel imagines Principis, vel etiam qui machinatur proditionem ciuitatis, vel regni, gaudet immunitate; quia licet commitat crimen læsæ maiestatis, non tamen personam Principis offendit. Porrò si is qui personam Principis offendit,non est ei subditus nec origine, nec domicilio, hanc immunitatem non amittit; quia non censetur committere crimen læsæ maiestatis.Farinac,& 2.Hinc à fortiori non amittit

immunitatem qui Regium Ministrum putà Gubernato-rem,Præsidem &c.occidit.Bonacin.*p.4.tr.1.res.103.p.1.tr.1. res.7.& 20.& p.6.tr.1.res.18.*

XVII. Gaudent immunitate quæuis crimina præter illa excepta:vnde & filius occidens patrem : & periuri : & adulteri:& simoniaci:& blasphemi: & Sodomitæ : & falsi monetarij:(Villalob.& 3.)& fraudantes regia tributa:Suarez & 13.)& incendiarij:(Bonacin.& 2.) etsi fores Ecclesię combussissent, ad eam deprædandam : (Peregrin. & Nauar.) & fures etiam qui cum furto ad Ecclesiam confugiunt,vel in ipsâ Ecclesiâ furantur: (Castrop. & 8.) Imò etsi furati essent pyxidem sanctissimi Sacramenti. Barbos. & 2. Item gaudent eâ immunitate apostatæ à Religione præterquam in Ecclesiis eiusdem Religionis : (Farinac. & 5.)& raptores Virginium , vel deflorantes Monialem , etsi defloratio facta esset in ipsâ Ecclesiâ:(Fagund.& 5.) & qui carcerem effregerunt , vel qui sub iuramento redeundi ex eo essent dimissi. Farinac. Item quiuis debitores. Sanchez & 10. Qui vulnerat actu confitentem, vel aliud Sacramentum suscipientem,modò id non faciat animo hæretico. Item qui alium occidit in duello. Farinac. Denique etiam Infideles, Saraceni, & Iudæi;quia priuilegium illud concessum est non intuitu personarum , sed loci.Azor & 15.Etsi alij contrarium doceant. Layman & *4.p.6.tr.1.res.25.26.19.20.16.9.14.17.8.&23.&p.5.tr.1.res. 2.& p.4.tr.1.res.51.45.43.46.& 50.& p.3.tr.1.res.37.&40. & p.1.tr.1.res.21.23.32.17.& 22.*

XVIII. Depopulatores agrorum non gaudent immunitate,non tantùm nocturni,sed & diurni. Bonacin. & 2. Etsi hoc affirmet Castropal.Item etsi publici latrones , & grassatores viarum priuentur immunitate , tales tamen non censentur qui semel , vel bis in viâ publicâ , & cum violentiâ deprædati fuerint.Castrop.& 11.*part.6.tractat.1. resol. 15.*

XIX. Qui confugiens ad Ecclesiam secum fert sclopetum,aut alia arma prohibita, non priuatur immunitate

neque potest Iudex laicus illa ipsi in Ecclesiâ auferre, defectu iurisdictionis in eo loco. Farinac. & Peregrin. Si tamen Iudex id faciat non committit sacrilegium, neque ea erit circumstantia necessariò explicanda in confessione. Couarr. & Fagund. *part. 1. tractat. 1. resol. 8. & tractat. 7. resol. 38.*

XX. Clerici vel Religiosi confugientes ad Ecclesiam pro criminibus non exceptis, non possunt à iudicibus Ecclesiasticis, vel Superioribus suis extrahi, absque licentiâ S. Pontificis, sub pœnâ excommunicationis. Excipiendi tamen sunt Religiosi qui in propriis Monasteriis delinquunt; possunt enim à Superioribus puniri saluâ immunitate. Quamuis hoc etiam probabiliter alii negent, cùm non priuentur immunitate peccantes in ipsis Ecclesiis, nisi per homicidium, & mutilationem. Gambacurt. *p. 1. tr. 1. res. 24. & 25. & p. 3. tr. 1. res. 35.*

XXI. Hæreticus etsi quoad hæresim non gaudeat, in aliis tamen criminibus non exceptis à Bulla gaudet eâdem immunitate qua ceteri, Suarez & 10. *p. 1. tr. 1. resol. 29. & p. 6. tr. 1. res. 24.* Suspectus tamen de hæresi (in locis vbi hæretici non tolerantur) si ad Ecclesiam confugiat, potest à ministris Inquisitionis ab ea extrahi. Farinac. & 4. *p. 1. tr. 1. res. 29. & 38.*

XXII. Bannitus etiam capitaliter, modò non ob delictum exceptum in Bullâ, gaudet immunitate. Sanchez & 11. Quod si idem steterit in Ecclesiâ suæ patriæ, per hoc non fregit exilium; quia esse in loco exempto, vel extra territorium æquiparantur. De Marinis. *p. 6. tr. 1. resol. 21. & p. 4. tr. 1. res. 92.*

XXIII. Capite damnatus, qui per Ecclesiam ducitur ad supplicium, in rigore iuris non gaudet immunitate; cùm non sit libere ingressus in locum sacrum. Tanner. & Bobadil. Tamen piè crediderim, illum etiam gaudere immunitate. Nauar. & 2. *p. 1. tr. 1. res. 30.* Sicut gaudent damnati ad triremes si ad Ecclesiam confugiant; quia per talem condemnationem non fiunt serui pœnæ, sicut fiunt

damnati ad mortem. Correa & 4. Excipe tamen nisi ad triremes damnati sint ob crimen quod priuet immunitate. *Ibid. ref. 40. & p. 4. tr. 1. ref. 47. & p. 6. tr. 1. ref. 22.*

XXIV. Qui detentus à satellitibus intrat Ecclesiam, eosque per vim secum trahit, gaudet immunitate. Castrop. & 3. Etsi vt se è manibus eorum eriperet, aliquem in Ecclesia vulnerasset cum magna sanguinis effusione. Farinac. Idem est si violenter è manibus ipsorum ab aliis esset ereptus, vti nunc expressè declarauit Sac. Congregatio. Imò & qui eum eripuerunt etiam iam damnatum, etsi eripiendo satellites vulnerassent, vel etiam occidissent. *p. 1. tr. 1. ref. 13. & p. 3. tr. 1. ref. 36. & p. 4. tr. 1. ref. 106. & p. 6. tr. 1. ref. 27. & tr. 8. ref. 5. & p. 9. tr. 8. ref. 45.*

XXV. Gaudent ea immunitate quæuis seminaria. Bonacin. & 9. & per consequens etiam Collegium de propaganda fide, & similia. *p. 10. tr. 15. ref. 38.* Item quæuis Oratoria Confraternitatum, si auctoritate Episcopi sunt erecta; quod præsumitur, si cymbalum habeant supra tectum quod publicè pulsatur. Nec ad hoc est necesse vt in Ecclesia semper seruetur Ven. Sacramentum Bonacin. & 4. Nec vt in ea celebrentur diuina, sed satis est quòd celebrari possint. Bonacin. & 5. Imò & Ecclesia polluta, vel interdicta eodem priuilegio gaudet. Suarez & 14. Et destructa, modò non sit destructa auctoritate Superioris, & spes sit reædificationis. Sanchez & 8. Neque solus ambitus Ecclesiæ, sed etiam tota fabrica, vel habitatio coniuncta, vt turris cymbalorum, claustrum, horti, &c. Non tamen campanile quod vltra 30. passus ab Ecclesia disiunctum est. *p. 6. tr. 1. ref. 1. & p. 4. tr. 1. ref. 108.*

XXVI. Eodem priuilegio gaudent cœmeteria etiam separata. Suarez & 4. Et Hospitalia publica Episcopi auctoritate constructa, (Suarez & 13.) etsi in iis nec campanile esset, nec altare, nec Ecclesia. Item monasteria Religiosorum secundùm totum illud quod septum est. Sanchez & 7. *p. 6. tr. 1. ref. 6.*

XXVII. Palatium Episcopi etiam Titularis tantùm, licet

licet ab Ecclesiâ longè distans, imò etiam extra diœcesim, gaudet eâdem immunitate qua gaudet Ecclesia; quamuis non habeat Oratorium in quo Missa celebretur. Azor & 12. Vti & palatia Cardinalium extra Romam gaudent eâ immunitate. Sanchez & 5.*p.*1.*tr* 1.*res.*27 *&* 37. *& p.*4.*tract.*1.*resol.*40.*&* 96.*& p.*5.*tract.*2.*res.*34. *& part.* 6. *tract.*1.*res.*4.*&* 5.

XXVIII. Domus Ecclesiasticorum circa Ecclesiam ad 30.passus, quamuis habitentur à laicis, gaudent immunitate. Bonacin. & 2. Nec hoc iam consuetudine sublatum est: Etsi hoc affirmet Suarez & 8. Imò idem videri possit; quamuis essent eis concessæ in emphyteusim.*p.*3. *tr.*1. *res.* 71.*& p.*6.*tr.*1.*res.*2.

XXIX. Reus qui in castris ad altare portatile in territorio confugerat, & dum castra mouerentur illud manibus suis portabat, semper gaudebat immunitate, nec puniri poterat. Quintanad. ex Suarez,*p.*10.*tr.*15.*res.*15.

XXX. Reus confugiens ad cubiculum ægroti; in quo est Corpus Christi à sacerdote allatum ad communicandum infirmum; imò qui fugiens se immiscet illis, qui SS. Eucharistiæ Sacramentum per plateas prosequuntur, etiamsi non tangat Sacerdotem (nam si tangat, certius est non posse capi, cùm ratione huius sanctissimi Sacrimenti præcipuè Ecclesiæ habeant immunitatem. Syluester & 43.) gaudet immunitate: illi enim omnes vnà cum Sacerdote vnam Ecclesiam repræsentant. Peregrin. & Italia. Secus est de oleo Sancto: (Riccius.) vel de Sanctorum reliquiis, aut ipsâ Sacerdotis personâ, si reus illam apprehenderit, etsi id doceat Correa.*part.*1.*tractat.*1.*resol.*28.*& part.*4.*tract.* 1.*resol.* 48.

XXXI. Sacerdos indutus cottâ & stolâ procedens extra Ecclesiam præcedente cruce ad efferendum defunctum non potest capi etiam de licentiâ Episcopi; quia reuerentia Ecclesiæ debita, etiam huic debetur dum in habitu sacerdotali Ecclesiastica officia exequendo Christum præsentat. Multo magis id locum habet si deferat ex-

tremam vnctionem,vel Eucharistiam. Locatell. *part. 6. tr. 1.resol 25.*

XXXII. Etsi reus non sit toto corpore in loco sacro,vt si fugiens cadat super limenEcclesiæ, & humeris,ac capite eam tangat,gaudet immunitate. Trullench. Similiter & qui ostium,vel parietes Ecclesiæ tangit Suarez & 22. *p.6. tract.1.resol.6.& 3.& p.3.tract.1.resol.73.& part. 10. tractat. 15.resol.*38.

XXXIII. Serui ob sœuitiam Dominorum ad Ecclesiam confugientes non sunt iis reddendi nisi præstitâ securitate.Azor.& 4.*p.7.tr.7.res.59.* Aliis autem reis ad Ecclesiam confugientibus debent Iudices Ecclesiastici pœnas aliquas imponere vt pecuniariam,vel si egentes sint aliquam corporalem,non tamen multùm afflictiuam. Et hoc cedit in fauorem reorum, qui tunc non possunt pro eodem delicto posteà criminaliter accusari, aut iudicari. Castropal. & 4. Non possunt tamen tunc siue à iudice laico, siue ab Ecclesiastico exilio,aut perpetuo carcere mulctari, nec ad triremes damnari;quia hæ pœnæ sunt grauiores. Suarez & *6.p.6.tr.1.res.33.& p.1.tr.1.res.12.*

XXXIV. Non potest iudex laicus extrahere ab Ecclesiâ reum,quem scit immunitate non gaudere, absque licentiâ Episcopi,quin incurrat excommunicationem; debet enim priùs Episcopus cognoscere, an hoc sit verum, deinde consignare reum Curiæ sæculari.Filliuc. & 11. Nec potest Episcopus consentire nisi certò constet de tali delicto, & reus super hoc audiatur, si velit. Neque potest reum Iudici sæculari tradere extra casus expressos saltem stante Bulla Gregorij XIV. Bonacin. & Castrop. Etsi alii contrarium doceant.Suarez & 5.Et in dubiis semper iudicandum est in fauorem Ecclesiæ.Felin, & 5. Imò si Iudex laicus solum attentet extrahere,etiamsi reipsâ non extrahat,incurrit excommunicationem.Farin.& 4.*p.1.tr.1,res.14. & 15.& tr.2.res.66.& p.3.tr.1.res.38.p.4.tr.1.resol.42.& 112. & p.5.tr.1.res.9.& p.6.tr.1.res.28.30.31.& 32.*

XXXV. Iudex in[illegible]bitè extrahens reum ad Ecclesia

tenetur ad restitutionem damnorum quæ inde passus est. Suarez & 9. Et restitui debet eidem Ecclesiæ, etsi cùm licentiâ Episcopi esset extractus;quia ea fuit iniusta, quando non commisit delictum exceptum in Bullâ Gregor. XIV. Nec sufficit si restituatur alteri Ecclesiæ, vel Episcopo. Barbos. & de Marin. Quę vera sunt etsi post extractionem in carcere commisisset nouum delictum pertinens ad forum sæculare. Bonacin. & 2. Neque potest reus ibi existens renuntiare priuilegio immunitatis. Farinac. & 6. Qui verò vi vel dolo ab Ecclesiâ extractus est, non amittit immunitatem, nec potest tunc à Iudice capi. Valent & 3. Etsi id affirmet Suarez & 6. *part. 4. tr. 1. resol 97. & 102. & part. 1. tractat. 1. resol. 16. & 26. p. 6. tractat. 1. resol. 27. & 32. & p. 9. tract. 7. res. 6.*

XXXVI. Cognitio causæ, cum reus affirmat se à satellitibus captum esse in loco sacro, vel vtrum gaudere debeat immunitate, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, nec allegari potest contraria consuetudo, cùm per Bullam Gregorii XIV. omnes consuetudines penitùs tollantur. Bonacin. & 2. *p. 3. tr. 1. res. 32. & p. 4. tr. 1. res. 49.* Neque potest Iudex laicus interim reum ab Ecclesiâ extractum in carcere suo seruare, etiam nomine Episcopi, & datâ cautione de immunitate. Bonacin. Nec Episcopus tenetur acquiescere processui iudicis laici circa hoc facto. Castrop. & 9. Etsi multi contrà sentiant: *p. 5. tract. 1. res. 9. & p. 6. tractat. 1. res. 30, 31. & 32.*

XXXVII. Religiosus qui effracto carcere fugit ad Ecclesiam etiam proprii monasterii, sicut gaudet eius immunitate, ita inde educi non potest, nisi causâ cognitâ per Episcopum, aut eius Vicarium, an commiserit crimen exceptum. Bordon. & *3. p. 10. tr. 14. res. 30.*

XXXVIII. Potest de causâ illâ cognoscere Episcopus nondum consecratus: hoc enim est iurisdictionis. Vnde & Vicarius Capituli sede vacante: quia hic habet omnem iurisdictionem Episcopi. Peregrin. Neque potest Iudex sæcularis ab eâ sententiâ appellare, cùm reus id non pos-

tremam vnctionem,vel Eucharistiam. Locatell. *part. 6. tr. 1.resol 25.*

XXXII. Etsi reus non sit toto corpore in loco sacro,vt si fugiens cadat super limenEcclesiæ, & humeris,ac capite eam tangat,gaudet immunitate. Trullench. Similiter & qui ostium,vel parietes Ecclesiæ tangit Suarez & 22. *p.6. tract.1.resol.6.& 3.& p.3.tract.1.resol.73.& part. 10. tractat. 15.resol.38.*

XXXIII. Serui ob sœuitiam Dominorum ad Ecclesiam confugientes non sunt iis reddendi nisi præstitâ securitate.Azor.& 4.*p.7.tr.7.res.59.* Aliis autem reis ad Ecclesiam confugientibus debent Iudices Ecclesiastici pœnas aliquas imponere vt pecuniariam,vel si egentes sint aliquam corporalem,non tamen multùm afflictiuam. Et hoc cedit in fauorem reorum, qui tunc non possunt pro eodem delicto posteà criminaliter accusari, aut iudicari. Castropal. & 4. Non possunt tamen tunc siue à iudice laico, siue ab Ecclesiastico exilio,aut perpetuo carcere mulctari, nec ad triremes damnari;quia hæ pœnæ sunt grauiores. Suarez & *6.p.6.tr.1.res.33.& p.1.tr.1.res.12.*

XXXIV. Non potest iudex laicus extrahere ab Ecclesiâ reum,quem scit immunitate non gaudere, absque licentiâ Episcopi,quin incurrat excommunicationem; debet enim priùs Episcopus cognoscere, an hoc sit verum, deinde consignare reum Curiæ sæculari.Filliuc. & 11. Nec potest Episcopus consentire nisi certò constet de tali delicto, & reus super hoc audiatur, si velit. Neque potest reum Iudici sæculari tradere extra casus expressos saltem stante Bulla Gregorij XIV. Bonacin. & Castrop. Etsi alii contrarium doceant.Suarez & 5.Et in dubiis semper iudicandum est in fauorem Ecclesiæ.Felin, & 5. Imò si Iudex laicus solum attentet extrahere,etiamsi reipsâ non extrahat,incurrit excommunicationem.Farin.& 4.*p.1.tr.1,res.14. & 15.&tr.2.res.66.&p.3.tr.1.res.38.p.4.tr.1.resol.42.& 112. & p.5.tr.1.res.9.& p.6.tr.1.res.28.30.31.& 32.*

XXXV. Iudex in[illegible]bitè extrahens reum ad Ecclesia

tenetur ad restitutionem damnorum quæ inde passus est. Suarez & 9. Et restitui debet eidem Ecclesiæ, etsi cùm licentiâ Episcopi esset extractus; quia ea fuit iniusta, quando non commisit delictum exceptum in Bullâ Gregor. XIV. Nec sufficit si restituatur alteri Ecclesiæ, vel Episcopo. Barbos. & de Marin. Quę vera sunt etsi post extractionem in carcere commisisset nouum delictum pertinens ad forum sæculare. Bonacin. & 2. Neque potest reus ibi existens renuntiare priuilegio immunitatis. Farinac. & 6. Qui verò vi vel dolo ab Ecclesiâ extractus est, non amittit immunitatem, nec potest tunc à Iudice capi. Valent & 3. Etsi id affirmet Suarez & *6. part. 4. tr. 1. resol 97. & 102. & part. 1. tractat. 1. resol. 16. & 26. p. 6. tractat. 1. resol. 27. & 32. & p. 9. tract. 7. res. 6.*

XXXVI. Cognitio causæ, cùm reus affirmat se à satellitibus captum esse in loco sacro, vel vtrum gaudere debeat immunitate, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, nec allegari potest contraria consuetudo, cùm per Bullam Gregorii XIV. omnes consuetudines penitùs tollantur. Bonacin. & *2. p. 3. tr. 1. res. 32. & p. 4. tr. 1. res. 49.* Neque potest Iudex laicus interim reum ab Ecclesiâ extractum in carcere suo seruare, etiam nomine Episcopi, & datâ cautione de immunitate. Bonacin. Nec Episcopus tenetur acquiescere processui iudicis laici circa hoc facto. Castrop. & *9.* Etsi multi contrà sentiant: *p. 5. tract. 1. res. 9. & p. 6. tractat. 1. res. 30. 31. & 32.*

XXXVII. Religiosus qui effracto carcere fugit ad Ecclesiam etiam proprii monasterii, sicut gaudet eius immunitate, ita inde educi non potest, nisi causâ cognitâ per Episcopum, aut eius Vicarium, an commiserit crimen exceptum. Bordon. & *5. p. 10. tr. 14. res. 30.*

XXXVIII. Potest de causâ illâ cognoscere Episcopus nondum consecratus: hoc enim est iurisdictionis. Vnde & Vicarius Capituli sede vacante: quia hic habet omnem iurisdictionem Episcopi. Peregrin. Neque potest Iudex sæcularis ab eâ sententiâ appellare, cùm reus id non pos-

sit. Peregrin. & 2.*part.6.tractat.1.resol.30.& part.3.tractat.1.resol.38.*

XXXIX. Contrauenientes huic Constitutioni Gregor. XIV. quamuis ex multorum DD. sententiâ possint ab Episcopo absolui ab excommunicatione: (Barbos. & 11.) dicendum est tamen eam esse summo Pontifici reseruatam Filliuc. & 7. Eandem excommunicationem incurrunt Iudices, & eorum ministri reos in Ecclesiâ occidentes. Nouar. & 2.*p.1.tr.1.res.41.& p.6.tr.1.res.34.& 35.*

Ecclesiastici & Clerici.

I. PRiuilegium quo Clerici eximuntur à legibus, & iurisdictione Principum sæcularium, fuit à iure diuino immediatè concessum, & à iure Canonico posteà stabilitum, cui etiam accessit ius ciuile. Suarez, & 31.*p.1.tr.2.res.1.* Et vt hoc non esset, habuerunt certè illud ante tempora Constantini, & ante constitutionem vllius Imperatoris, ex iure Pontificio per potestatem à Christo traditam. Quam immunitatem concedere potuerunt Pontifices inuitis etiam Principibus sæcularibus. Suarez & 34. Sed quamuis esset ex concessione Principum, non possent tamen illud reuocare. Imò nec summus Pontifex potest huic renunciare; quia ipse non est dominus absolutus bonorum & iurium Ecclesiæ, sed solùm dispensator. Suarez & 5. Multò minùs Clerici id possunt; quia nullus potest cedere priuilegio toti communitati concesso. Salon. & 19. *Ibid.res.127.2.& 3.& p.7.tr.1.res.1.2.3.4.5.6.7.12.& 8.& p.5.tr.1.res.14.*

II. Nulla consuetudo, quamuis immemorabilis, potest huic priuilegio derogare; quia contra Ecclesiasticam libertatem nulla est præscriptio. Suarez & 21. Nec vlla tolerantia aut consensus tacitus Pontificis allegari potest, cùm hic quotannis reclamet in Bullâ Cœnæ, & tollat omnes consuetudines. Malder. & 12. Vnde nec quoad casum aliquem particularem præualere illa potest. Suarez & 2.

Quæ vera sunt etiamsi Clerici non coactè, sed voluntariè talem consuetudinem obseruarent tributa soluendo. Suarez *p.1.tr.2.res.4.& 5.& p.4.tr.1.res.1.& 10.& p.5.tr.1.resol. 21.& p.7.tr.1.res.18.& tr.10.res.3.* Sunt tamen quædam priuilegia Galliæ, & Hispaniæ Regibus à Pontificibus concessa, per quæ videtur Ecclesiasticæ libertati derogatum. *p.1.tr.2.res.6.& p.7.tr.1.res.16.* Sed eâ consuetudine immemoriali non probatur tale aliquod priuilegium esse concessum, nisi accedat fama priuilegij, & traditio æquè antiqua, & hæc integrè probetur. Suarez & *3.part,4.tractat. 1.res.62.*

III. Nouitij Religionum habent priuilegia omnia exemptionis, canonis scilicet, fori, & gabellarum. Imò & qui ante annos pubertatis ad Religionem admittuntur, (Sanchez & 2.) vel aliquo tempore per modum hospitum sub habitu religioso, viuunt ante inchoationem nouitiatûs. *p.1.tr.2.res.38.& p.6.tr.8.res.7.*

IV. Reges & Principes non habent ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi: possunt tamen eos rogare, & vocare vt Proceres. Azor & *2.p.3.tract.1.res.27.* Vocati autem ad comitia tenentur accedere: sed etsi non pareant non possunt propterea puniri, aut regno expelli. Quamuis hæc affirment quidam. Azeued. & 6. *p.1.tract.3.res.23.* Imò omnes Ecclesiasticos non esse Vasallos Regis docet Martha: quod tamen affirmat Velasc. & *2. part. 5. tract.1. resol.19.*

V. Non pertinet ad Principem & Magistratum laicum discutere potestatem Nuntij à Pontifice missi. Bonacin. & 2. Neque decet Regios ministros detinere in Cancellariis Bullas Apostolicas examinandas. Sunt quidem recognoscendæ, & discutiendæ, cùm dubitatur de earum subreptione, aut falsitate, sed ab Ecclesiasticis Iudicibus. Filliuc. & *7.p.1.tr.2.res.68.& 13.& p.5.tr.1.res.12.*

VI. Ad Principes sæculares non spectat curare, vt Episcopi resideant in suis Ecclesiis: ne Ecclesiastica bona dissipent, &c. Quia nullam in Clericos habent potestatem.

Azor & Filliuc.*p.3.tr.1.res.*42. Vnde etiamsi Episcopi non obseruent decreta Concilij Tridentini non potest propterea recurri ad Regem, sed ad Archiepiscopum. Pereira Etsi contrà sentiat Rodriquez & Bobadill.*p.1.tr.2.res.*102. *& p.4.tr.1.res.*75. Hinc compelli non possunt à laico Magistratu ad reparationem Ecclesiarum. Lotther. & Martha. *p.3.tr.1.res.* 8. Quod si Principes solas litteras hortatorias dent ad Episcopos vt ab aliquâ malâ determinatione desistant, non lædunt Ecclesiasticam immunitatem. *p.1.tr.2. resol.* 55.

VII. Sæcularis magistratus non potest cogere Clericos, vt triticum vendant, nisi vrgeat fames, aut alia necessitas, & periculum sit in morâ, tunc enim potest iudex laicus frumentum ex horreis Clericorum depromere, & vendere, non vi iurisdictionis, sed propter imminens periculum. *p.1.tr.2.res.9. & p.4.tr.1.res.*87.

VIII. Clerici in sacris, vel Religiosi non possunt per se negotiari. Non est tamen mortale vnâ, vel alterâ vice id facere. Lugo & 11. Etsi hoc affirmet Castropal. Item non prohibentur per alios id facere. Molina & 21. Vnde nec venialiter ex eâ parte peccant, si totam curam, & solicitudinem alteri relinquant. Turrian. Prout autem iis se immiscent dirigendo, & quasi superintendendo, peccabunt pro qualitate actionis in quantum est quasi quædam negotiatio per seipsum. Saltem probabile est Clericos in minoribus solùm Ordinibus non prohiberi sub mortali negotiari, etsi sint beneficiati. Hurtad. & 2. Sed contrarium est probabilius. Lugo & 7. *p.1.tr.8.resol.*72. *&* 73. *& p.9.tr.7.res.*69. *& p.11.tr.3.res.*10. *& p.7.tract.*10. *res.*20. Item non comprehenduntur eâ prohibitione Nouitij; quia absolutè non sunt Religiosi. Hurtad. *part.* 7. *tract.*10. *resol.* 21.

IX. Religiosus qui suis vel Monasterij sumptibus imprimit librum à se compositum, eaque exemplaria deinde aliis vendit, non potest inde dici negotiator. Pellizzar. Sicut licitum est conductis operariis proprios agros co-

lere, & fructus inde perceptos vendere. Molin. & 17. Contrarium tamen est consulendum. Sed libri illi dum sic venduntur, non possunt grauari gabellis: sicut neque cum venduntur libri ab impressore Auctori donati in recognitionem. *p. 11. tr. 6. res.* 41.

X. Posse Regulares factâ fornace ad vsum propriæ fabricæ vendere etiam externis lateres, calcem &c. Item ex frumento ex suis agris collecto panem in Monasterio conficere, eumque vendere in publicâ officinâ, docet Pelizz. *Ibid.*

XI. Clericus etsi fideiubere non possit in præiudicium Ecclesiæ, potest tamen in damnum proprium: etsi etiam tunc ex fideiussione non teneatur nisi quatenus commodè soluere potest, ita vt non egeat, iuxta *c. Odoardus de solut. p. 11. tr. 4. res.* 31.

XII. Clerici sæculares vel Regulares in diebus Bacchanalium incedentes laruati per vrbem, non possunt excusari à mortali. Garcia & 8. Etsi eos excuset Vidal. *p. 10. tr. 13. res.* 29.

Exemptio à gabellis.

XIII. Omnes clerici, etiam primæ tonsuræ, gaudent exemptione gabellarum, iure communi: (Molin. & 2.) licèt in quibusdam regnis ex consuetudine scitâ & approbatâ, clerici minorum Ordinum non eximantur, nisi actu habeant beneficium. Vasquez & 12. Nec obstat si in fraudem gabellarum facti sint clerici, & sine animo perseuerandi in clericatu. Duard. Neque ad hoc necesse est clericum habere ea omnia, quæ requirit Concilium Trident. loquitur enim Concilium de priuilegio fori tantùm. Molin. & 5. Nec in hoc excusare potest consuetudo immemorialis; Nam Bulla Cœnæ tollit omnes consuetudines. Megal. *p. 1. tr. 2. res.* 36..44. 37. & 97.

XIV. Principes imponentes gabellas, licet iustas, super bona Ecclesiasticorum, incurrunt in censuram Bullæ Cœnæ. Suarez & 6. Imò non licet Magistratui augere pretium

carnis, vini,&c,in grauamen Clericorum; sic enim soluerent gabellas indirectè, quod per Bullam non licet, nisi accedat consensus Cleri. Alterius & Megala. Etsi contrà sentiat Sanchez & 4. Similiter non tenentur ad gabellas positas pro primo ingressu Regis in ciuitatem. Azor & 3, *Ibid.res.*48.46.& 83.& *p.*3.*tr.*1.*res.*11.& *p.*4.*tr.*1.*res.*101. & *tr.*4.*res.*174. Non tamen videtur illicitum quod Panormi & alibi exigant à Clericis omnes gabellas cum animo restituendi easdem in fine anni; hoc enim fit ad euitandas fraudes, & consentientibus Clericis. *p.*1.*tr.*2.*res.*45.

XV. Si Princeps laicus iustè statuendo pretium legitimum vini, posteà super emptore laico imponat gabellam, quam supra pretium legale vini debeat Reipub. soluere ipse emptor laicus, docent quidam repugnare Ecclesiasticæ immunitati; eò quòd illa gabella indirectè cadat super Ecclesiasticos vendentes vinum, qui idcirco viliùs hoc debent vendere. Menoch. & 6. Alij verò id negant. *p.*1.*tr.*2.*res.*49.

XVI. Pragmatica de chartâ signatâ (vulgo *papel sellado*) si extendat se etiam ad Clericos, violat Ecclesiasticam immunitatem; quia illa est vera gabella. *p.* 6. *tractat.* 8, *resol.* 1.

XVII. Si omnes ciues contribuant ad sternendam lapidibus viam quæ est ante ianuam ipsorum, Ecclesiastici qui ibi habent domum, tenentur quidem contribuere: si tamen nolint, non possunt à sæculari Iudice cogi, sed per Iudicem Ecclesiasticum id fieri debet. Molina & 3. *part.*1, *tract.* 2. *res.* 76.

XVIII. Non tenentur contribuere ad subsidium Patriæ, & ad opera communia, nisi bona laicorum non sufficiant ad Reipub. necessitates Et tunc non sufficit in id consentire Episcopum & Clerum, sed debet consuli S.Pontifex, nisi res moram non patiatur. Castrop.& 13. Sed etiam tunc debet consuli saltem pro continuatione eiusdem gabellæ. ...nc autem censentur bona laicorum non sufficere, quãdo gerentur se priuare iis quæ necessaria sunt vt viuant

iuxta conditionem sui status. Megal.*part.1.tract.2. res. 79. & 134 & tr.3.res,22.& p.5.tract,1.resol.11.& 15.& par.7.tr.1. res.19,20.& 21.*

XIX. Clerici negotiatores amittunt priuilegium exemptionis, & potest ab illis exigi gabella, non tamen ante trinam monitionem. Lessius & 14.*p.1.tr.2.res.47.& p.3. tr.1.res.44.& p.4.tr.1.res.28.* Sed non omnis negotiatio lucratiua Clericis est interdicta, sed illa tantùm qua res non meliorata cariùs venditur quàm empta fuit. Molin. & 4. Vnde non debet censeri negotiatio quando fructus ex bonis patrimonialibus collectos aliò mittunt vt cariùs vendant. Bonacin, & 2. Possunt etiam illos vendere in propriis ædibus vel monasteriis, saltem ex consuetudine, etsi hoc neget Layman & Rebell. Item non est negotiatio si quæ emerunt absque animo reuendendi, postea, quia pretium multum auctum est, vendant ad maius lucrum. A Valle. Esset autem negotiatio si alienum agrum conductum per operarios colerent, & fructus inde collectos venderent, Bonac. & 4. Etsi hoc etiam excuset Trullench. *part.5.tract.1.res.27.& p.6,tr.7.res.11.& tr.8,res.4 & part.8. tr.7.res.26.& 27.*

XX. Clericus qui boues suos, post culturam agrorum suorum, interdum aliis etiam locat, ex hoc non est censendus negotiator: secus si eos emisset vt locaret. Molin. Quod tamen etiam negat Lugo: si semel tantùm aliquid emat ad locandum: secus si frequenter emerentur alia atque alia ad eum finem. *p.8.tr.7.res.62.*

XXI. Non licet Clericis emere vuam, aut oliuas, vt vinum, aut oleum inde vendant, aut agros conducere vt fructus vendant. Molin. & 2. Non esse tamen illa Clericis prohibita sub mortali, docet Fagund. etsi ad gabellam teneantur. Item possunt pro sustentatione suâ, vel familiæ emere in abundantiâ, & si quid superest, postea vendere, etiam cariùs quàm emerant, & non soluendo gabellam, modò non emant eâ intentione vt vendant. Molin. & 7. Et sic potest Episcopus cymbam piscatoriam habere pro

vsu familiæ, & pisces superfluos vendere. Lezan. *part.* 11. *tractat*. 3. *ref.* 10.

XXII. Qui emit victualia pro filio clerico vel Capellano suæ familiæ non tenetur pro iis gabellas soluere. *p.4.tract.4.ref.*175.

Exemptio à legibus ciuilibus.

XXIII. Clerici neque diuino, neque humano iure sunt exempti à legibus ciuilibus, quæ cum libertate Ecclesiasticâ non pugnant: ideoque si Clerici vendant frumentum vltra pretium taxatum, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Molin. & 12. Quamuis id neget Caspensis & 2. ideò quòd nullo modo legibus sæcularibus subiaceant, neque seruare eas teneantur secluso scandalo. Sed contrarium est verius. Neque tamen tenentur iis legibus directè, sed tantùm indirectè, siue ob conformitatem cum sæcularibus eiúsdem Reipublicæ siue ex eo quòd tales leges censentur approbari à Pontifice, quoad solam tamen vim directiuam, non quoad coactiuam. Vnde non potest Iudex laicus illos punire ob transgressionem illarum legum defectu iurisdictionis (Salas & 4.) etiam quando pœna exigenda est de plano, & sine aliâ controuersiâ iudiciali. Suarez. Et quamuis Iudex Ecclesiasticus non condemnet Clericum in pœnam legis laicalis, non potest hanc ideò ab illo exigere iudex laicus, aut Rex illum priuare bonis quæ antè ipsi concesserat; nam & mitiùs puniendi sunt Ecclesiastici (Vasquez & 2.) & bona ipsis concessa fiunt statim Ecclesiastica. Layman. *p.1.tract.* 2. *ref.*8. *& tr.* 10. *ref.* 12. *& p.3.tr.1.ref.*41. *& p.4.tr.1.ref.*8.4. *&* 29. *& p.6. tract.8.ref.4. & p.7.tr.10.ref.*2.

XXIV. Ecclesiastici heredes instituti, non conficientes inuentarium, non tenentur vltra vires hereditatis omnibus creditoribus in solidum; quia talis lex non comprehendit Clericos defectu iurisdictionis. Duard. & 2. *part.* 1. *tract.*2. *ref.*71.

XXV. Iudex laicus inueniens Clericos exportantes

pecuniam, aut frumentum è Regno contra leges, non potest ea illis auferre; quia non habet potestatem coerciti- uam. Azor. & 4. Similiter nec punire potest falsâ mensurâ triticum, vel oleum vendentes, aut supra taxam, Vasquez & 4.*part.* 1. *tractat.*2.*res.*16.72.*&* 77.*&* *part.*5.*tractat.*1. *resolut.* 6.

XXVI. Non potest minister sæcularis iurisdictionis spoliare clericum armis prohibitis, etiam in flagranti crimine: aut venationem vel piscationem prohibitam exercentem spoliare auibus, vel canibus, vel instrumentis: sed tantùm potest illum ducere ad Iudicem Ecclesiasticum. Salas & 8.*p.*1.*tr.*2.*res.*10.*&p.*3.*tr.*1.*res.*28. Aliud esset si auferrentur eis arma, & postea redderentur; id enim videretur fieri ne pergant vlteriùs violare legẽ. *p.*4.*tr.*1.*res.*19.*&* *p.*5.*tr.*1. *res.*4. Potest tamen Iudex laicus comprehendere clericum in flagranti delicto, vel cum armis prohibitis noctu grassantem mutato habitu, vt illum tradat Iudici Ecclesiastico. Bannez & 6. Sed debent tres conditiones concurrere. I. vt præsumatur fuga nisi tunc capiatur. II. vt non potuerit à proprio Prælato impetrari mandatum. III. vt statim remittatur proprio Iudici, id est intra spatium 20. horarum. Castrop. *part*.1.*tr.*2.*res.*11.*&*12.*&p.*5.*tr.*1. *res.*22. *&* *p.*4.*tr.*1.*res.*85.

XXVII. Clericus coram laico Iudice falsum testimonium dicens, ab eo puniri non potest. Duard. & 4. Imò nec pro quocunque alio crimine etiam enormissimo (Suarez & 9. etiam læsæ Maiestatis. Farinac. & 12. Neque vmquam amittit priuilegium fori ante sententiam degradationis, nisi sit assassinus, vel incorrigibilis. Sed etiam tunc debet per Iudicem Ecclesiasticum priùs declarari talis, etsi cum assassinus est, non degradetur. Bonacin. & 9. Et quamuis feudum à sæculari Principe haberet, non potest tamen ab hoc puniri ratione vllius delicti, etiam læsæ Maiestatis, neque feudo per sententiam priuari. Menoch. & 11.*p.*1.*tract.*2.*res.*110. 52.*&*7.*&p.*7.*tr.*1, *res.*9.10.11.13.14. 15.16. *&* 17. Quidam tamen excipiunt quando Clerico-

rum libertas in manifestam cederet Reipub. perniciem,& Pontifex admonitus non adhiberet remedium. Molin. & 7. Sed isti casus sunt metaphysici. *part.1.tract.2.res.7.*

XXVIII. Episcopi,& Ecclesiastici non possunt à Principe,aut eius Consiliariis regno pelli tanquam seditiosi,& perturbantes pacem, ac Rempubl. nisi de licentiâ Summi Pontificis Suarez & 14.aut nisi tanta vrgeat necessitas, vt sit euidens periculum in morâ. Molina & 2. Imò nec ad Pontificem possunt transmitti pro animaduersione ; quia hæc esset velata expulsio. Castropal. Multo minùs potest Rex Episcopum expellere quia simoniacè electus est;quia hoc tam respectu causæ,quæ spiritalis est , quàm respectu personæ,spectat ad Pontificem.*p.1.tr.2.res.18.&p.5.tr.1.res.5.&p.4.tr.1.res.81.& 76.*

XXIX, Principes sæculares , aut eorum ministri punire non possunt Clericum læsæ Maiestatis reum ; nec delinquentem in officio sibi à Principe concesso. Bonacin. & 6.Multò minùs,etsi Ministris iustitiæ reuerentiam non exhibuerit,aut coram iis deliquerit , puniri ab iisdem poterit pœnâ pecuniariâ.Megal.*p.1. tr. 2.res. 19.20.& 26.& p.4.tr.1.res.39.*

Priuilegium fori.

XXX. Clerici in minoribus gaudent pleno iure fori. Suarez.Ad hoc tamen requiritur, vt beneficium Ecclesiasticum habeant,aut Clericalem habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi , vel eius Vicarij deseruiant,aut in Seminario, vel Vniuersitate versentur,quasi in viâ ad maiores Ordines suscipiendos *p. 1. tr. 2.res.29.&p.4.tr.1.res.20.&p.9.tr.6.res.* 6, Putant tamen quidam non requiri vtrumque simul , gestationem habitûs,& tonsuræ , sed alterutrum sufficere , præsertim si in habitu Ecclesiæ inseruiant.Farinac,& 4. Vti & alij sufficere,si alicui Ecclesiæ deseruiant , etsi non ex mandato Episcopi,vel inseruiant alteri, quàm Episcopus pręceperat. Riccius & 6.*p.1.tr.2 res.33.&35.& p.4.tr.1.res.89.93.& 2.*

& p.6.tr.1.res.36.& p.9.tr.6.res.6. Vel etiam si alicui Ecclesiæ sint adscripti, & inseruiant, etsi non habeant primam tonsuram. Bellet.& 2.*p.3.tr.1.res.69.* Saltem non est necesse vt diebus Dominicis cum superpelliceo intersint diuinis. Riccius & 4. Et vt quis dicatur habere beneficium, sufficit, vt habeat titulum, & collationem illius, licèt nondum habeat possessionem. Couarruuias & 3.*par.4.tr.1.res.88.& p.1.tr.2.res.30.*

XXXI. Non est necesse ad priuilegium fori, vt Clericus non solum pallium, sed & togam ferat vsque ad talos. *p.4.tr.1.res.91.* Imò sufficit si eo vtatur vestium genere, vt à videntibus Clericus iudicari possit. Ambrosin. Si autem dubitetur an habitus sit clericalis, necnè; cognitio pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum. Molina & 24. Etsi multi reclament. Quod si aliquando dimittat habitum, & tonsuram, non ideò amittit priuilegium fori: sed si dimittat tamdiu vt publicè æstimetur laicus. Suarez & 10. Neque tunc opus est trinâ monitione. Riccius & 2. *Ibid. resol. 5. & 18.& p.3.tractat.1.resol.10.15.& 63.& part.1.tractat.2.resol.28.& 34.*

XXXII. Clericus qui sine habitu & tonsurâ perpetrat grauissima flagitia, non potest ante trinam monitionem à Iudice sæculari puniri. Suarez & 60. Contrarium tamen docet Molin.& 55. Idem est de Religioso professo. Nauar. & 22. Neque à Superiore degradandus est, aut Curiæ sæculari tradendus, inconsulto Romano Pontifice; quia præter delictum requiritur incorrigibilitas. Decius & 8. *part.1.tr.2.res.24.& 130.& p.3.tr.1.res.16.& 30.& p.7.tr.1.res.11.& p.10.tr.12.res.4.*

XXXIII. Realis degradatio fieri debet ab Episcopo consecrato; quia non est solius iurisdictionis. Suarez & 7. Non debet tamen necessariò fieri à proprio Episcopo. Suarez & 3. Hinc Vicarius Capituli Sede vacante potest sententiam degradationis ferre, & eius executionem alicui Episcopo committere. Auila & 2. Possunt autem degradari, & Curiæ sæculari tradi non solùm ob casus in-

iure expressos,sed etiam propter alia delicta enormia, & qualificata: Et in his probabile est non requiri incorrigibilitatem. Molin. & 18.Ego tamen suaderem id non fieri inconsulto Romano Pontifice. *part.*10.*tractat.*11. *resol.* 50. 51.*&* 52.

XXXIV. Clericus coniugatus qui habitum & tonsuram deposuerat, si illa reassumat, gaudet priuilegio fori. Barbos. & 2.*p.*1.*tr.*2.*res.*80. Qui verò Clericus commisit delictum, etsi posteà vxorem ducat, vel si est Clericus coniugatus fruens priuilegio fori,etsi posteà fiat bigamus, non potest à Iudice laico puniri; quia spectatur tempus delicti. Sanchez & 7. Idemque est quoad Nouitios. Etsi contrarium doceat Molin. & 4.*p.*4.*tr.*1.*res.*6.*&* 27. *& p.*3. *tract.*1.*res.*34.

XXXV. Prima tonsura vnius testimonio probatur. Rebuff.Et sola possessio sufficienter probat clericatum. Mascard. & 4. Vnde Clericus qui obtinuit beneficium quod non poterat obtinere,quia illegitimus,irregularis, &c. si reipsâ est in possessione, gaudet priuilegio fori. Itemque qui habet coadiutoriam à Papa concessam; censetur enim beneficiatus.Barbosa.*p.*3.*tr.*1.*res.*48.*&* 62.

XXXVI. Clericus qui habet pensionem super aliquo bñeficio loco tituli,gaudet tamquam beneficiatus, priuilegio fori. Suarez & 6. Item Capellanus cui capella in perpetuum,vel in titulum fuerit assignata; secus si habeat capellam amouibilem; hęc enim non dicitur propriè beneficium. Nauar. & 4. Imò si possideat præstimonium in titulum perpetuum,cum aliquo spiritali annexo. Garsias & 5.*p.*1.*tr.*2.*res.*31.*&* 32.

XXXVII. Clericus coniugatus, si contraxit cum virgine,& tonsuram,& habitum clericalem gestat, & alicui Ecclesiæ deseruit, gaudet priuilegio fori,etiam in ciuilibus.Duard.& 10.*Ibid.res.*51. *& p.*4.*tract.*1.*resol.*78. Imò & si Græcus post contractum matrimonium minoribus Ordinibus initietur.Aliud tamen est de Clerico latino, quia cùm hic non possit coniugatus Ordines sacros suscipere,

sicut potest Græcus, præsumitur minores suscipere tantùm in fraudem iurisdictionis laicalis. *p.5.tractat.1.res.26.* Eodem priuilegio gaudet vxor Clerici; nam vxor sortitur forum viri: neque illud amittit per mortem viri, nisi alteri nubat. Sanchez & *4.part.3.tractat.1.res.45.& part.4. tr. 1. resol.* 41.

XXXVIII. Tertiarij S. Francisci si collegialiter viuunt, & Tertiariæ si virginitatem seu cælibem vitam expressè vouerunt, etiamsi habitent in propriis domibus, gaudent priuilegio fori: Ex declaratione Congregationis Cardinalium. Pontius & *3.p.1.tr.2.res.8 5.* Imo & priuilegio canonis volunt quidam. Stratius. *p.6.tr.8.res.* 30. Vtroque gaudent Eremitæ qui edito voto, vel susceptâ aliâ obligatione apud Prælatum Ecclesiasticum Ordini alicui, vel Ecclesiæ speciatim addicti sunt: non autem qui vagi sunt. & nulli superiori Ecclesiastico specialiter obligantur. Coninc & *7.part.4. tract.1.resol.35.& part. 9. tractat.4. resolut.* 11.

XXXIX. Oblati qui se alicui Religioni cum omnibus suis bonis obtulerunt, & in monasteriis commorantur, habitumque gestant distinctum à sæcularibus, gaudent priuilegio canonis, & fori, etiam quoad delicta ante oblationem commissa, nisi per fraudem se offerrent, tunc enim puniri possent pœnâ peuniariâ, sed non corporali. Barbosa & *6.p.4.tr.1.res.31.& p.9.tr.4.res.12.*

XL. Gaudent omnibus priuilegiis clericalibus Equites S. Ioannis (Barbosa & 6.) D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ (Sanchez & 6.) Montesæ, S. Stephani, & S. Lazari. (Nauar. & 3.) Quia omnes hi Equites sunt veri Religiosi: vnde & eorum Nouitij gaudent eisdem priuilegiis. Barbos. & 6. Imò & vxores eorum etiam post mortem quamdiu viduæ manent, & honestè viuunt Fagund. & *4.p.4. tr. 1.res.36.& 86.& p.1.tr.2.res.50.&* 73. *& p.3.tr.1.res.* 61. *& p.5.tr.1.res.18.& tr.13.res.44.& p.6.tr.8.res.6.& p.8.tract.7. res.23.& p.9.tr.4.res.7.* Idem priuilegium ad Fratres D Ioannis qui portant solam mediam crucem albam, & sunt

saeculares ac coniugati, extendit Riccius. *part.* 3. *tractat.* 1. *resol.* 51.

XLI. Hospitalarij à Praelato Ecclesiastico deputati ad aliquod hospitale erectum auctoritate Episcopi, gaudent priuilegio fori. Barbos. & Valasc. *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 66. Imò & Confraternitates etiam quae per laicos reguntur, si in eis exercentur opera pietatis, & exercitia spiritualia, sunt loca pia, & gaudent eodem priuilegio fori, etsi non fuerint erectae auctoritate Episcopi. Nouar. & 3. *part.* 4. *tractat.* 1, *resol.* 37.

XLII. Familia Episcopi, vel Nuntij Apostolici licet laica, gaudet priuilegio fori, neque potest iudex laicus in illam inquirere. Bonacin. & 66. Idem dicendum de Officialibus Episcopi, vt sunt Carcerarij, Fiscales, Commissarij, Magistri, Notarij, Lictores &c. Barbosa & 20. Idque non solùm in delictis commissis in officio, sed & in quibusuis aliis. Idem est de familiâ Episcopi titularis tantùm; sed hi tunc puniendi sunt ab Ordinario loci in quo degunt, non verò ab Episcopo titulari. Idem est de iis qui non sunt Episcopi, sed habent iura Episcopalia cum potestate iurisdictionis; quia hoc Episcopis conuenit non ratione Ordinis, sed ratione dignitatis. *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 98. *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 12. *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 30 *&* *p.* 5. *tr.* 1. *res.* 1. *&* 25. *&* *p.* 6. *tract.* 2. *per totum.* Item familia Vicarij Episcopi. Nouar. & 3. Imò & Clerici cuiuscumque, saltem quoad seruos perpetuos; etiàm Mauros, & Turcas. Menoch. & 2. Et fortè etiam quoad conductitios. Menoch. & 4. *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 46. *&* 47. *&* *p.* 7. *tr.* 7. *resol.* 61.

XLIII. Filii Clericorum legitimi, viuente patre, gaudent priuilegio fori. Barbos. & 4. *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 7. *&* *p.* 4. *tract.* 1. *res.* 110. Sicut & priuilegium Clericorum non hospitandi milites, extenditur ad eorum patres, & fratres in eadem cum ipsis domo in communi viuentes. Riccius, & Grassis, *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 32.

XLIV, Ordinatus ante legitimam aetatem, aut extra tempora, vel per simoniam, vel ab Episcopo qui excommunica-

municatione, vel suspensione erat impeditus Ordines conferre, gaudet priuilegio fori; quia non obstantibus istis est verè ordinatus. Squillante. Idemque olim erat de ordinatis à non suo Episcopo, sine litteris dimissorialibus, sed hoc nunc per Vrbani VIII. constitutionem Ann. 1624. est sublatum. *Ibid. res.* 26.

XLV. Si Clericus se obligauit per publicum instrumẽtum guarentigiatum tempore quo erat laicus, non potest postea factus Clericus, pro executione illius instrumenti conueniri coram Iudice laico. Grassis & 2. *Ibid. res.* 23.

XLVI. Iudex laicus non potest procedere nec criminaliter, nec ciuiliter contra eum qui post admissum crimen, imò & post inchoatam litem, factus est clericus, vel Nouitius, & assumpsit habitum eâ intentione, vt se subduceret iurisdictioni sæculari; quia si confugiens ad Ecclesiam post delictum, animo euadendi iudicium sæculare, gaudet immunitate, multò magis qui se Deo consecrat. Bonacin. & 5. *Ibid. res.* 38. 84. *&* 95. *&* *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 27. *& p.* 3. *tr.* 1. *res.* 33. *&* 67.

XLVII. Laicus relegatus si tempore relegationis fiat Clericus & frangat exilium, non poterit puniri à Iudice laico. Riccius & 2. *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 22. Secùs si relegatus Clericus tempore relegationis fieret laicus, adhuc poterit à Iudice Ecclesiastico puniri. Genuens. *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 119.

XLVIII. Viduæ, pupilli, &c. personæ oppressæ, etiam sine Iudicis sæcularis negligentiâ possunt aduersarios suos trahere ad Ecclesiasticum tribunal. Scaccia & 4. *Ibid. resol.* 118. *&* *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 90.

XLIX. Clericus heres laici non tenetur coram Iudice sæculari prosequi litem iam inchoatam contra eum cui successit: sed denuò est conueniendus coram Iudice Ecclesiastico. Bonacin. & 6. Etsi communiter contrà sentiant. Reginald. & 8. *p.* 1. *tract.* 2. *res.* 25. *&* *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 31. *&* *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 21.

L. Clericus non potest compelli ad comparendum coram Iudice laico, tanquam creditor, aut legatarius in

confectione inuentarij. Bonacin.& 3. Neque ad restitutionem depositi,vel sequestri. Bonacin.& 4.*p.* 1.*tr.*2.*res.*21. & 22. Neque si spoliauit laicum suâ possessione, est ab hac iterum deiiciendus per Iudicem laicum, sed per Ecclesiasticum. Squillante & 2. Neque Clericus venditor interpellatus ab emptore, tenetur eum defendere coram Iudice laico; quia hic ibi esset eius iudex. Martha & 4.*p.* 4. *tr.*1. *res.*74.& 25.

LI. Ius congrui seu retractûs non habet locum in Clericis passiuè, sed actiuè tantùm. Ideò possunt Clerici iure congrui agere contra laicos, non autem laici in clericos; quia statuta laicorum prodesse possunt Clericis, non autem nocere. Surdus & 8. *p.* 3. *tr.*1.*res.* 43.

LII. Clericus non potest reconueniri apud Iudicem laicum de re quæ non habet connexionem cum petitione. v. g. si ipse exigat mutuum, & ab eo petatur commodatum; cum enim causæ hæ diuersæ sint, debent diuidi, & quælibet ad suum Iudicem remitti. In casibus autem quibus potest reconueniri, quamuis teneatur stare sententiæ Iudicis laici, non potest tamen ab eo cogi ad soluendum. Bonacin. *p.*4.*tr.*1.*res.*65.& 3. Et generatim non potest Iudex laicus facere realem executionem sententiæ à se latæ contra Clericum in casibus quibus ipsi cognitio à iure permittitur. Bellet. Quamuis contrà sentiat Barbos. & 6. *p.*3. *tr.*1. *resol.* 4.

LIII. Si clericus qui vendidit agrum, conueniatur pro euictione, debet conueniri coram Iudice Ecclesiastico: si verò lis mota fuerit contra laicum, qui rem à Clerico emit, & Clericus resistat defensioni emptoris,tunc non potest trahi ad tribunal Ecclesiasticum, quia agitur contra laicum, & Clericus tantùm assistit iudicio nomine, & pro defensione emptoris. Tamburin. *Ibid. res.* 22.

LIV. Debitor petens admitti ad beneficium cessionis bonorum non potest trahere Clericum creditorem suum ad forum sæculare, sed debet adire Episcopum. Duard. *p.* 1. *tract.* 2.*res.* 23.

LV. Si Clerici in debitis regalibus possunt conueniri in curiâ sæculari, id ex eo fit, quòd bona regalia Clericis cum hac tantùm conditione concedantur, vt docet Suarez. *p. 4. tract. 1. res. 66.*

LVI. Clericus in feudalibus potest conueniri coram Iudice laico, quia non subiicitur iudicio domini feudi tamquam persona Ecclesiastica sed tamquam Dux, Marchio, &c. Suarez & 6. *p. 3. tr. 1. res. 59.*

LVII. Speculatiuè loquendo Clericus, qui patitur violentiam, potest recurrere ad Iudicem laicum, quando Iudex Ecclesiasticus non adest, aut si adest, non vult reprimere. Alioqui non licet Iudici sæculari causam Ecclesiasticam ad se reuocare, & vim Clerico illatam propulsare. Suarez & 11. Ad *cap. filiis, vel nepotibus.* 17. *quæst.* 7. Respondendum, hoc ius fuisse sublatum, & abrogatum ab Innocentio III. Azor. & 10. Quidam tamen docent Regem Hispaniarum habere priuilegium in his causis violentiæ arcendæ. Suarez & 4. Quod tamen alij negant. Bonacin. & Ceuall. *p. 1. tr. 2. res. 14. & 15. & p. 3. tr. 1. res. 53. & 64. & part. 5. tr. 1. res. 13.*

LVIII. Clericus in ciuilibus potest se Iudici laico subiicere vt arbitro, non tamen ab illo cogi, vt stet illius sententiæ. Lessius & Tanner. *p. 1. tr. 2. res. 107.*

LIX. Episcopus potest delegare Iudici laico causam Ecclesiasticæ iurisdictionis merè ciuilem & pecuniariam, non autem spiritalem. *Ibid. res. 113.*

Vide *Iudex Ecclesiasticus, Statutum, Bona Ecclesiastica.*

Eleemosyna.

I. IN ordine ad eleemosynas extrema necessitas est quando desunt ea quæ simpliciter necessaria sunt naturæ, ita vt quis vel amissurus sit citò vitam, vel in grauem & periculosum incidet morbum. Grauis est cum desunt necessaria iuxta decentiam statûs, ita vt sine iis non nisi valde difficulter status consistat, vt si ob magna de-

bita in carcere detineatur &c. Communis est cùm desunt quidem necessaria ad statum, sed ea communi modo agendi moraliter certò obtinentur, qualis est eorum qui vel publicè, vel priuatim mendicant. Lorca. *part.5.tract.* 8. *resol.* 1.

II. Eleemosyna etiam in extremâ necessitate non debetur ex iustitiâ, sed ex caritate. Et præcepto etiam tunc satisfit si des eum onere restituendi; si fortè posteà ditior fiat; sic enim occurritur necessitati. Vasquez & 4. Etsi multi contrarium sentiant. Suarez & 11. Neque teneris inquirere tali necessitate laborantes, satis est si notos iuues, Vasquez & 10. Nisi quis dubitet de tali indigentiâ proximi; tunc enim tenetur inquirere veritatem. Sancius. Quòd si plures simul sciant aliquem esse in graui necessitate, singuli æqualiter tenentur in solidum, si alij nolint succurrere: aliàs omnes tenentur concurrere per æquas partes. Lorca. *part.5. tract.8.resol.2.5.3.39.& 13.& p.4.tr.* 3. *resol.* 34.

III. Non licet emere eum qui ex graui necessitate seipsum vendit in seruum, si re & spe pauper est; nam tali ex obligatione caritatis subueniendum est. Azor. *p.7. tract.7. res.* 7. Possuntque pauperes in extremâ necessitate implorare officium Iudicis contra diuites nolentes dare eleemosynam: imò hoc possunt quoties obligat præceptum eleemosynæ. Sanchez & 2. *p.5. tr.8. res.*4.

IV. Non tenetur restituere posteà qui in extremâ necessitate consumpsit quod antè acceperat commodatum, conductum, vel precarium. Lessius & 3. Imò neque quod erat antè furatus Hurtad. & 3. Sicut neque si in illâ necessitate accepisset, & consumpsisset. Sotus & 6. *Ibidem res.* 10.8.& 9.

V. Religiosis æquè debentur eleemosynæ, ac aliis pauperibus: quia etsi voluntate suâ pauperes sint, illa tamen voluntas rationabilis est, & Deo grata. Lorca. Aliud est de iis qui culpabiliter sponte suâ pauperes sunt, vt vagabundi, vel auari qui rebus suis vti nolunt. *Ibid. res.*18.& 19.

VI. Qui habent licentiam petendi eleemosynam v. g. pro ædificio Monasterii vel Ecclesiæ, posset eam alteri vendere, quia nihil spiritale venditur. Henriquez. Sic Superior posset collectori eleemosynarum concedere, vt quidquid supra certam summam acquisiuerit, impendat in suos vsus. S. Ioseph. Sed hoc nec damno, nec tamen probo: quia excitat ad nimiam importunitatem petendi. *p.* 10. *tr.* 11. *ref.* 41.

VII. Pauperes peregtinos vniuersim ciuitate prohiberi posse negat Sylvius. Sed alii communiùs affirmant, vti & ne quis ostiatim mendicet. Sed in casu occurrenti videndus Tanner. *p.* 5. *tr.* 8. *ref.* 36.

VIII. Pauperibus publicè ad mendicandum expositis qui vel ex nuditate, vel ex morbo videntur ostendere euidentia signa extremæ necessitatis, rarò tenetur quis sub præcepto succurrere etiam de superfluis; quia ferè ad mouendos spectatores ea necessitas exaggeratur, si non simulatur. Malder. & VViggers. *Ibid. ref.* 17.

IX. In necessitate etsi priùs succurrendum parentibus, deinde filiis, tum vxori &c. tamen probabile est non esse mortale illum ordinem non seruare, cùm omnes illę coniunctiones vnde oritur ea obligatio, sint valde magnæ. Lorca. Contrarium tamen docet Hurtad. Saltem vt priùs succurratur parentibus: etsi inter patrem & matrem, vel inter filios & vxorem non videatur ordo ille necessariò seruandus *p.* 5. *tr.* 14. *ref.* 93.

X. Etsi plerique Iuristæ obligationem filii ad patrem in necessitate alendem doceant solùm esse de iure gentium: patris verò erga filium esse de iure naturæ, ideoque parentes magis obligari filiis, quàm filios parentibus; & sic si quis in necessitate existens haberet & patrem & filium diuites, debere alimenta petere potius à patre, quàm à filio; Pratus & 8. Contrarium tamen in his sentiunt Theologi cum D. Thoma. Sed fortè dici posset in extremâ quidem necessitate maiorem esse obligationem erga patrem quàm erga filium, non tamen in aliâ quauis infra

extremam. De quo tu cogita. *part.* 10. *tract.* 13. *res.* 3.

XI. Captiuum apud Turcas diues non tenetur redimere; nisi fortè timeretur iniustè occidendus vel melancholiâ, aut cæli inclementiâ moriturus, tunc enim esset in extremâ necessitate. Hurtad. Sed ob nullam necessitatem teneris pro alicuius vitâ magnas diuitias expendere, videlicet ter vel quater mille aureos. Suarez & 2. *part.* 5. *tr.* 8. *resol.* 6.

XII. Non debetur etiam ex superfluis eleemosyna illi qui est in periculo amittendi iniustè sua bona, modò per hoc non incidat in grauem necessitatem. Hurtad. *Ibidem resol.* 16.

XIII. Diuites etsi habeant superflua, non tenentur neque sub venaili dare eleemosynas in communi necessitate: quâ solent esse quotidiani pauperes. Malder. & 18. II. etiam in graui necessitate pauperum, diues non dando superflua, non peccat mortaliter. Gabriel & 2. Sed contrarium est probabilius. III. etsi teneretur sub mortali dare eleemosynam, non tamen teneretur inquirere pauperes, sed solùm misereri occurrentibus, neque etiam subuenire omnibus, sed aliquibus, neque totam indigentiam subleuare, sed aliquid dare. Vasquez & 2. IV. bona quæ conseruantur ad acquirendum maiorem statum pro se, & consanguineis, non dicuntur superflua status: & ideò in sæcularibus vix inueniuntur superflua status. Vasquez & 4. V. Diues non tenetur subuenire proximo, etiam in extremâ necessitate constituto, cum graui detrimento proprii status. Coninc & 5. Tenetur tamen etsi cogeretur statum minuere. Vasquez & 6. Non autem si deberet hunc planè deiicere, vel amittere. Suarez & 4. Ex quibus colligitur diuites rarò grauiter obligari ad dandas eleemosynas. *p.* 2. *tr.* 15. *res.* 32. *&* *tr.* 16. *res.* 26. *&* *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 215. *&* *p.* 5. *tr.* 8. *res.* 17. 14. 20. 15. 7. *&* 41.

XIV. Episcopi & beneficiati curam animarum habentes, ratione officij tenentur etiam inquirere pauperes vt ipsis elleemosynas dent ex superfluis de reditibus Ecclesia-

ſticis:at ceteri Clerici ad hoc non tenentur,& multo minùs laici.Sanchez.*p.4.tr.4.reſ.158.*

XV. Beneficiarij & Epiſcopi ſub peccato mortali tenentur,ex ſuperfluis ſuſtentationi,eleemoſynam dare, etiam ſummus Pontifex;cùm præceptum illud ſit diuinum, & naturale. Sanchez & 4. Etſi Leſſius & 6. doceant eſſe Eccleſiaſticum.Quod omnino reſpuendum eſt. Eſt tamen probabile non teneri totum reſiduum dare,(Molin.& 5.) ſed ſufficere ſi medietatem illius dent, vel quod in idem ferè recidit, ſi dent quartam partem omnium fructuum. Hurtad. & 3. Et hoc poſterius pro Epiſcopis melius eſt; nam aliàs facilè omnia in ſuſtentationem expendunt. Sed hoc intelligendum in communibus neceſſitatibus: nam in grauioribus, vt tempore famis; aut peſtis &c.tenentur ad amplius iuxta proportionem neceſſitatis pauperum. Item ſi alii non Epiſcopi dent quintam aut ſextam.Trullench. & Machad. Penſionarii Eccleſiaſtici eodem modò obligantur vt alii beneficiarii, non autem qui penſionem habent titulo laico.Molin.& 4. Sed nullos penſionarios obligari docet Vaſquez.Vnde non auderem eos damnare de mortali. Quia tamen Eccleſiaſtici ſunt veri domini bonorum beneficialium (Vaſquez & 15.)etiam Regulares aſſumpti ad Epiſcopatum(Vaſquez & 8.) hinc etſi non dederint eleemoſynas,non tenentur ad reſtitutionem *p.5.tr.8.reſ.28.27.29.& 31.& p.4.tr.4.reſ.214.& p.7.tr.10.reſ.13.& p.8.tr.7.reſ.12.& p.10.tr.11.reſ.35.*

XVI. Superflua illa diſtribuenda ſunt primùm in pauperes eiuſdem loci: & pauperibus alterius loci præferenda eſt refectio Eccleſiæ,vel ornatus eius neceſſarius. Dual. & Lorca. Etſi alii liberam eam diſtributionem permittant.Molin.& 2.Sicut malè vellet Cardinalis aliquis ex fructibus ſui Epiſcopatus fabricare Eccleſiam Romæ. Sed bene applicantur Regi Catholico in neceſſitate, & bello contra Hæreticos. Poteſt etiam beneficiarius ex iis ſuſtentare & dotare filios ſpurios(Molin. & Caſtropal. etiam cum habet alia bona patrimonialia:ſicut poteſt ex iis

XX. Filius non potest ex bonis paternis dare eleemosynas nisi ex præsumpto rationabiliter eius consensu: imò neque ex bonis profectitiis, aut aduentitiis. Azor. Quod si pater nullas eleemosynas faceret, posset tunc filius; quia pater esset in hoc irrationabiliter inuitus: vnde tunc poterit eas dare in magnâ quantitate. Hurtad. *par.* 5. *tract.* 8. *res.* 25.

XXI. Seruus sicut potest aliquarum rerum habere dominium imperfectum, putà si aliquid sibi detrahat ex portione assignatâ, vel si accipiat ex turpi quæstu corporis, vel si ex sibi datis lucretur; (Lessius & 5.) ita potest ex illis dare eleemosynam. *Ibid. res.* 26. *&* *p.* 7. *tr.* 7. *res.* 34.

XXII. Tutores & curatores possunt moderatas eleemosynas facere ex bonis pupillorum, sicut ipsi facere deberent quorum bona administrant, Vasquez & 5, *par.* 5. *tr.* 8. *resol.* 35.

XXIII. Quorum bona ob crimen aliquod addicta sunt fisco, possunt ex iis facere eleemosynas sicut priùs, quamdiu per sententiæ executionem ipsis non auferuntur. Coninc *Ibid. res.* 40.

XXIV. Religiosus potest dare eleemosynam I. in extremâ necessitate etiam inuito Prælato. II. in graui, quando non potest recurrere ad Superiorem; quia præsumitur consensus. III. quando abest à monasterio in studiis, vel alibi ex iis quæ ipsi conceduntur. IV. Quando aliquid subtrahit ex concessis ad propriam sustentationem. V. quando ipsi aliqua pecunia conceditur ad vtendum. Imò quamuis Superior vetet dare eleemosynas non videtur vetare moderatas, sed ne modus excedatur Sanchez & 6. *Ibidem resol.* 32.

XXV. Qui habet certam pecuniæ summam distribuendam pauperibus, non tenetur eligere pauperiores, modò eligat pauperes (Bald.) Nomine autem pauperum intelliguntur etiam Hospitalia, Monasteria, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, fabricâ. Item ij qui non possunt honestè viuere iuxta suam conditionem, licet sint alio-

quin nobiles. Vasquez Molina & 8. Videndum tamen quænam sit intentio testatoris vel donantis ex signis claris vel coniecturis.*p.2.tr.15.res.8.*

XXVI. Ostiatim mendicantes qui paupertatem simulant, non tenentur ad restitutionem ; quia dominus ob rei paruitatem non censetur illud onus imponere ; quare aliud esset in extraordinariis, & amplis eleemosynis. Granad. & 6. Quæ restitutio tunc fieri poterit vel ei qui dedit, vt vult Granad. & 4. vel veris pauperibus, vt Villalob. cùm vtrumque sit probabile.*p.5.tr.8.res.*21.*&* 22.*&p.* 8.*tr.6.res.*109.

XXVII. Pauper qui adstans ad ostium diuitis, vel Monasterii expectans eleemosynam, si dicat alteri pauperi accedenti iam esse datam atque ita causa sit vt careat eleemosynâ, probabiliter non tenetur ad restitutionem. Lessius ex Aragon.*p.5.tr.8.res.*21.

Emphyteusis.

I. SCripturam esse de formâ contractûs emphyteutici docet Moliu.& 25.Quod tamen negat Bartol.& 25. Et in solâ Ecclesiasticâ emphyteusi requiri docet VVesenbec.*p.8.tr.7.res.*25.

II. Posse Prælatum rem emphyteuticam ad Ecclesiam reuersam, denuò in emphyteusin concedere, etiam suis consanguineis, docet Bocer. & Euerard. Et quamuis concessio non esset consueto modo facta, vel vltra tempus licitum, non esset omninò nulla, sed valeret in quantum intra debitam formam vel tempus facta. Bald. & 9. *Ibid. res.*24.*&* 30.

III. Si Emphyteuta irrequisito Domino vendat aliquam partem emphyteusis, amittit totam; quia ex naturâ suâ est indiuidua. Amic. & 2. Etsi communiùs alii velint illam solam partem amitti. Clarus & 15. Quod si plures sint domini proprietatis, & vnus tantùm sit requisitus, non amitti nisi partem iuris quæ respondet proprietario

non requisito,docet Molin.& 3. Quod solùm admittit Amic. quando duo illi domini singuli secundùm aliquam partem sunt domini;secùs si indiuisim sint domini totius. *p.10.tr.16.res.59.*

IV. Etsi Emphyteuta non cadat in commissum nisi per non-solutionem triennii, quando emphyteusis est ciuilis;vel biennii quando est ecclesiastica:si tamen aliquis iurauit se quotannis soluturum sub pœnâ amittendæ emphyteusis amittere eandem si non soluat, docet Baldel. & 11.Quod tamen etiam probabiliter negat Molin. & 5. eò quòd iuramentum non excedat naturam contractûs, saltem si non sit acceptatum à proprietario. Amic. *Ibidem resol.56.*

V. Quod si tamen Emphyteuta Ecclesiæ post elapsum biennium non-solutę pensionis moram purget celeri solutione,hoc est intra decem dies non amittit ius suum. Panormit.& 6. etsi dominus iam declarasset se velle locum esse caducitati.Couarr. quia est beneficium iuris Sed Emphyteutæ laicorum non permittitur moram purgare. Couarr. & 14. Quod etiam de ecclesiasticâ emphyteusi multi affirmant. Baldel. & 7. Saltem multæ in eâ limitationes admittendæ.*Ibid.res.57.*

VI. Emphyteuta per non-solutionem pensionis non amittit rem à tempore quo solutionem debitam omittit, vel moram purgare celeri solutione:sed tantùm à tempore quo postea proprietarius declarat illum incidisse in commissum. Quo tempore potest etiam propriâ auctoritate Emphyteutam expellere ante Iudicis sententiam si absit scandalum. Etsi contrarium sit probabile. Hurtad. *Ibid. res. 58.*

VII. Emphyteutam per 30. vel 40. annos non soluentem canonem prescribere immunitatem in futurum, docet Bartol. & 6.Quod tamen negat VVesenb. & 5. Quando autem cessauit aliquot annis, nec dominus quidquam egit,si posteà incipiat agere ad priuationem emphyteusis, fructus medio illo tempore ab Emphyteuta percepti, non

ſunt reſtituendi; quia ipſe manſit dominus rei. *p.8.tract. 7. reſol.36.& 9.*

Emptio.

I. QVi in ſubhaſtatione rogat amicos volentes emere, ne plus offerant certâ quadam quantitate, vt ipſe poſteà iuſto pretio infimo rem illam emat, non peccat contra iuſtitiam; nec tenetur ad reſtitutionem. Idem dicendum de eo qui volens officium emere, rogat alios emptores ne velint plus dare. Iſti enim vtuntur induſtriâ, & diligentiâ, vt res ſibi iuſto pretio detur, timentes ne in auctione pretium plus iuſto augeatur. Nauarra & *6.part.1.tractat.8.reſol.76.*

II. Qui impediunt alios ne merces emant ab iis, qui eas portant, ſed eas ipſi anticipatè emunt, ita vt alii poſteâ cogantur eas cariùs emere de manibus ipſorum, obligantur ad reſtitutionem, Rebell. Quamuis alii putent eos poſſe excuſari. Molina & *4.Ibid.reſ.27.*

III. Licet vendere rem creditâ pecuniâ pretio rigoroſo, & poſteà illam ſtatim emere numeratâ pecuniâ pretio infimo, modò id non fiat ex pacto. Molina & *9. Ibidem reſol. 20,*

IV. Sartores qui pro aliis emunt pannum, ſi fideliter agant, poſſunt ſibi retinere partem illam pretii, quæ ipſis remittitur à mercatore; quia nulli fit iniuria. Filliuc. & Homobon Alii tamen putant illam remiſſionem fingi à mercatoribus vt ſartores ad ſe alliciant, ideoque hos ad reſtitutionem teneri. Molin & Salas. *Ibid.reſ.26.*

V. Poſſunt merces minoris emi. I. ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. II. ob inopiam pecuniæ. III. propter modum vendendi. Bonacin. *Ibidem reſolut. 23,*

VI. Qui emit rogatus à venditore, poteſt emere multò minoris; nam merces vltroneæ vileſcunt pro tertiâ parte Leſſius & 4.) aut etiam pro medietate; (Salas & 3.) eſt

enim signum copiæ mercium, & paucitatis emptorum *Ibid. res.* 53. *&* 78.

VII. Licet minoris emere merces anticipatâ solutione, ob lucrum cessans, & damnum emergens. Filliuc. & 2. *Ibid. res.* 22.

VIII. Si in fasce herbarum, vel olerum, quæ vulgò venduntur ad cibum, inueniatur herba ignota magnæ virtutis, potest emi pretio currenti. Item si lapidariis esset ignota virtus alicuius lapidis pretiosi, qui nouit illius virtutem, potest communi pretio illum emere. Molina & 3. *Ibid. res.* 79.

IX. Qui scit in agro thesaurum latere, potest illum emere pretio currenti. D. Thomas & 16. Quod negat Hurtad. Et videtur ex æquitate debere tunc auctoritate Iudicis diuidi cum venditore. Item qui scit in saccis quos miles in expugnatione vrbis rapuit, putans tritico plenos, latere aurum vel argentum, potest eos emere tamquam solo tritico plenos; quia miles non est dominus illius, cùm non intenderit illud occupare propter ignorantiam. Lessius & 4. *p.* 9. *tr.* 5. *res.* 15

X. In emptionibus præsumitur donatio circa excessum iusti pretij, quando aliquis scit valorem rei, & sine necessitate, vi, vel fraude amplius dat. Molin. & 12. Quamuis alij prætereà requirant vt contrahentes sint consanguinei, vel amici. Lessius & 4. *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 39. *&* *p.* 8. *tract.* 6. *res.* 114.

XI. Chirographa, seu debita, quæ spem habent exiguam solutionis, exiguo pretio emi possunt, etsi emptor integram solutionem sit obtenturus: hoc enim dandum est industriæ, & bonæ fortunæ. Molin. & 3. *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 50.

XII. Qui bonâ fide rem emit à fure, quam durante bonâ fide vendidit alteri, si deinde sciat rem illam fuisse furto ablatam, potest sibi pretium retinere, modò eam vendiderit eodem pretio quo emerat: neque tenetur rescindere contractum cum emptore, sed tantùm in foro

conscientiæ illi cedere actionem de euictione quam habet aduersus furem, à quo bonâ fide emit. Nauarr. & 5. *Ibid. resol.* 68.

XIII. Qui rem alienam bonâ fide vendidit eodem pretio quo emerat, non tenetur vero domino quidquam restituere; non enim pretium semper succedit loco rei. Molin. & 5. Etsi hoc affirmet Vasquez & 4. Imò neque si maiori pretio vendidit; nam ille excessus est fructus industriæ: modò pretium quo ipse emerat, fuerit iustum, etsi infimum. Molin. & Layman. *part.* 3. *tr.* 5. *res.* 41. & 42.

XIV. Qui bonâ fide emit à fure, postea de furto certior factus, potest tutâ conscientiâ rem reddere furi, & pretium recipere, nisi speret se facilè posse illud recipere à domino si illi rem suam restituat. Vasquez & 15. Sed si gratis illam accepisset à fure, non posset huic eam reddere, nisi moraliter certus esset eam domino restituendam. Nauarra & Sayr. Imò & qui malâ fide emisset à fure, posset eam huic reddere ad recipiendum pretium; quia potest quisque sibi potiùs consulere quàm alteri. Syluest. & 8. *part.* 1. *tractat.* 8. *resol.* 69. & *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 4. & *part.* 5. *tractat.* 14. *res.* 87.

XV. Quando res aliqua determinata absolutè empta est, etsi nondum sit tradita, deterioratio vel interitus eius pertinet ad emptorem, modò non accidat culpâ venditoris, neque hic fuerit in morâ culpabili. Lessius & 3. Quando verò empta solùm est sub conditione, tunc pendente conditione, commodum & incommodum est venditoris. Talis est emptio rei mensurandæ, vel gustandæ. Couarr. & 3. *p.* 11. *tract.* 7. *res.* 32.

XVI. Si empta sit res indeterminata, v.g. decem modij tritici, tenetur venditor eos præstare etsi pereat omne triticum quod habebat; si verò empti sint illi modij ex designato aceruo, quamdiu aliquid eius aceruí superest, debent illi tradi emptori: sin autem totus pereat, perit etiam sua pars emptori. Lessius & 4. *Ibid.*

XVII. Fructus pendentes tempore venditionis spe-

ctant ad emptorem : Quamdiu tamen pretium non est solutum, vel habitum pro soluto, potest venditor rem suam retinere quasi pignus ne emptor fructus percipiat dum venditor non potest frui pretio. Nauarra & 7. Fructus verò nondum apparentes tempore venditionis pertinent ad emptorem à die celebratæ venditionis, nisi aliud sit expressum. Contrarium tamen est probabile ; quia ante traditionem venditor manet dominus rei. Molin. & 2. Denique fructus rei venditæ & traditæ pretio soluto, vel habitâ fide de pretio, sunt emptoris. Lessius & 7. *Ibid. ref.* 33.

Vide *Venditio.*

Episcopus.

I. EPiscopotum electio iure diuino spectat ad solum Papam : & asserere spectasse aliquando ad alios sine expresso vel tacito consensu Pontificis, est hæreticum. Post tempora tamen Apostolorum ob persecutiones & remotam absentiam Pontificis, ex tacito huius consensu, Episcopi electi fuerunt à Clero, numquam autem à populo etsi hic electioni adsisteret, tum ad præsentandum, tum ad ferendum testimonium de vitâ eligendi, tum ad præstandum consensum. Idem ius à Principibus sæpe vsurpatum, sed postea abrogatum, & solis Canonicis Ecclesiarum cathedralium permissum, donec etiam ab his ad quosdam Reges auctoritate Apostolicâ ius præsentandi seu nominandi translatum est : quod Reges Hispaniæ habuerunt à tempore Leonis II. regnante Eruigio Rege Gotho per annos 120. ante natum Carolum Magnum. *part.* 10. *tract.* 1. *per totum.*

II. Ad Episcopatum an Theologus potiùs an Canonista sit præferendus, disputatur. Vbi non vigent hæreses Canonista posset præferri : sententia tamen pro Theologis in rigore est probabilior. Lugo & 6. *p.* 7. *tr.* 12. *ref.* 1. & 34. Quilibet autem Episcopus tenetur sub mortali scire saltem in principiis suis & fundamentis ea quæ ad articu-

tulos fidei, & officium suum pertinent. Et hoc modo in suâ ordinatione dicit se vtrumque Testamentum scire. Gerund. & 2. *p*.12.*tr*.1.*res*.71.

III. Episcopi feudatarij Regis tenentur potiùs obedire Pontifici, seu Metropolitano, quàm Regi. Martha. *part*. 3. *tract*. 1. *res*. 6.

IV. Rex de licentiâ Summi Pontificis potest detinere Episcopum, eoque vti ad regni administrationem, si ita expediat bono communi. Sanctarel.& 4.Si verò nulla sit necessitas publica, Episcopus obligatur ad residentiam de iure diuino.Sanchez & 12.*p*.3.*tract*.1.*res*.5.*&* *p*.10.*tr*.14.*res*. 66.Quod verum est, etsi sit Cardinalis idque ex vi Concilij Tridentini,& BullæVrbani VIII. Azor & 7.exceptis illis sex Cardinalibus, qui habent Episcopatus Vrbi proximos. Sanctarel. *p*. 5. *tr*. 2.*res*.8. Possunt tamen Episcopi à diœcesi abesse per trimestre, etiam animi solùm recreandi causâ. Sotus & 5.Potestque continuari trimestre vnius anni cum trimestri sequentis, & sic aberunt per sex menses continuos. Pellizzar. *Ibid*.*tract*.13.*res*.90. *&* *part*.9. *tr*. 6. *res*.22.*&* *p*.10.*tr*.14.*res*. 67.

V. Excessus illius trimestris ad octo vel decem dies per annum videtur leuis & moraliter contineri sub trimestri.Vidal. Qui autem residet prope diœcesim in loco non distante vltra vnum milliare, non censetur abesse, sed moraliter præsens. Thesaur *p*.10. *tr*.14.*res*.67.

VI. Quando Pontifex dispensat in residentiâ Episcoporum, non dispensat in iure Diuino, sed mutat eius materiam quatenus ea pendet ex voluntate humanâ; sicut enim obligatio oritur ex pacto cum tali Ecclesiâ: ita hoc pactum Episcopi subordinatur supremo Pastori, & excellentiori eius potestati in talem Ecclesiam. Suárez & 3.*par*. 10. *tr*. 14. *res*.66.

VII. Potest Pontifex dispensare vt vnus Episcopus duabus Ecclesiis præficiatur: non tamen licitè,aut validè id facit sine iustâ causâ. Sanchez & 13.Sicut & ex vrgentissimâ causâ potest dispensare vt in eâdem Ecclesiâ sint

duo

duo Episcopi. Azor & 3. *part.* 12. *tr.* 1. *res.* 72. *&* 73.

VIII. Episcopus iure Diuino maior est presbitero, saltem quoad potestatem Ordinis, iuxta Tridentin. *sess.* 23. *can.* 6. *&* 7. In excommunicationem tamen Bullæ Cœnæ latam in offendentes Cardinalem non incidunt qui offendunt Episcopum nisi hic sit consecratus. Suarez & 7. *Ibidem resol.* 76. *&* 107.

IX. Episcopos non teneri irregularitate quæ fertur lege aliquâ generali, docet Maiol. Sed sine fundamento; quia *cap. periculosum. De sent. excom. in* 6. tantùm excipiuntur à suspensione & interdicto iure aliquo vniuersali latis, non autem ab irregularitate, vel excommunicatione. Hurtad. & Turrian. *p.* 4. *tract.* 2. *res.* 53.

X. Archiepiscopus, si fiat Episcopus, non potest vti pallio, nisi Summus Pontifex speciali priuilegio vsum pallij illi concedat; quia pallium est proprium gestamen Archiepiscoporum in certo loco. Vnde nec potest Archiepiscopus de vno Archiepiscopatu translatus ad alium, vti pallio priori. Azor & 9. Imò fortè non posset illo priori vti etsi postea iterum rediret ad eundem Archiepiscopatum, sed nouum petere deberet. Acugna. Multi etiam docent non posse vti pallio extra suam prouinciam, etiam de licentiâ Ordinarij illius diœcesis in qua versatur; ideò quòd priuilegium pallij sit merè locale. Barbos. & 5. *part.* 3. *tract.* 6. *res.* 37.

XI. Archiepiscopus ante acceptum pallium non potest se nominare Archiepiscopum, nec deferri curare ante se crucem; quia hoc est insigne dignitatis Archiepiscopalis. Nec potest exercere pontificalia, aut ordinare, vel chrisma conficere &c. Imò nec potest in alienâ diœcesi de licentiâ Episcopi diœcesani Ordines conferre. *part.* 12. *tractat.* 1. *resol.* 68.

XII. Episcopus habet territorium, & in eo vti potest iurisdictione contentiosâ, tenendo familiam armatam, fiscum, & carcerem. Felin. & 14. Neque possunt Iudices laici certum ei numerum satellitum, vel Officialium

præscribere. Barbosa & *2.p.4.tr.1.res.17.& 100.& p. 6. tr. 2.res.5.& p.7.tr.10.res.3.*

XIII. Potest Episcopus in alienâ diœcesi, sed non Romæ, celebrare in altari portatili, & celebrari facere. Gauant & 7. Quidquid sentiat Nauarr. & 2. Potest etiam etsi nondum sit consecratus, domi suæ habere Oratorium pro solâ suâ commoditate, iuxta *cap. fin. de priuileg. in* 6. quia non est domus priuata. Sanchez. & 6. Non tamen duo, vnum pro se, & alterum pro familiâ. Lugo & Pasqualig. Etsi id affirmet Pellizzar. Potest tamen alterum habere in domo rurali. Auersa & 2. Neque his priuilegiis derogatum est per Tridentinum. Quæ omnia valent etiam in Episcopis titularibus tantùm, sed non in iis omnibus qui habent iura Episcopalia & veniunt nomine Ordinarij; alioquin enim competerent & Vicario generali. Quamuis autem in Oratorio palatij Episcopalis possit quilibet celebrare præsente Episcopo, non tamen ipso absente vel mortuo: quia est priuilegium personale. Portel. & 2. Etsi vtrumque illud affirmet Pellizz. *p.4. tr.4. res.15. & part.9.tractat.1.resol.36.37.38.39.47.48.40. & 41. & p. 12.tract.1.res.102.*

XIV. Episcopum qui propter bona temporalia vel ambitum, alium pinguiorem Episcopatum procurat, peccare mortaliter, plures docent, Medin. & 2. Sed aliqui non nisi de veniali condemnant. Rodriq. *p.4.tr.4. res.100.* Imò non potest Pontifex eâ de causâ ad alium Episcopatum transferre: Quamuis enim ea translatio sit solùm prohibita iure Ecclesiastico: Suarez: (etsi Vasquez doceat esse iuris diuini) tamen non potest fieri nisi ob publicam Ecclesiæ vtilitatem. Gerund. *p.11.tr.4. res.40.*

XV. Officiales Episcopi nihil possunt accipere, ne quidem ratione laboris, pro licentiâ audiendi confessiones, concionandi &c. sicut nec delegati in dispensationibus matrimonialibus, vel executoriis indulgentiarum, & aliis licentiis, ex decreto Sac. Congregationis. Barbos. *p.5.tr.13.res.70. & 71.*

Episcopi consecratio.

XVI. Episcopatus verus est Ordo distinctus à sacerdotio (Vasquez & 28.) & Sacramentum. Auersa & 11. Vndè & octo Ordines dici possunt. Valent. & 2. Ab eò nihil differt Archiepiscopatus, Patriarchatus, aut etiam Papatus. Imprimit etiam characterem, siue addendo nouum (Auersa & 7.) siue extendendo sacerdotalem. Sanchez & 10. Vnde si Episcopus à mortuis resurgeret, non deberet iterum ordinari; cum potestas characteri annexa perseueret in æternum. D. Thomas & 5. Etsi hoc neget Vasquez & 6. *part.*12.*tr.*1.*ref.*1.2.3.5.6.7.8.9.10.11.4.20.21.*&* 23.

XVII. Probabilius est solum S. Petrum à Christo ordinatum esse Episcopum per illa verba Ioan.21. *pasce oues meas*: & ab illo ceteros Apostolos esse ordinatos. Bellarm. & 5. Est tamen probabile omnes Apostolos ordinatos esse à Christo, & non à S. Petro. S. Augustin. & 8. *Ibidem resolut.* 80.

XVIII. Materia ordinationis Episcopalis est sola impositio manuum: forma verò illa verba: *accipe Spiritum S.* &c. Vasquez & 20. ideòque & tunc character imprimitur. Sanchez & 4. Ceteræ verò cæremoniæ, vt vnctio capitis & manuum, traditio libri Euangeliorum, annuli, & baculi pastoralis, non sunt substantiales, sed tantùm accidentales: vnde nec adhibentur ab omnibus tribus Episcopis, sed à solo Consecratore. Alij tamen etiam in quibusdam harum cæremoniarum materiam & formam consecrationis non improbabiliter constituunt: vnde pleræque omitti non possunt sine mortali, vt vnctio, traditio libri, vel annuli, vel baculi pastoralis, imò & mitræ: chirotecarum autem, vel sandaliorum omissio censeri potest materia leuis. *Ibid. ref.*12.13.14.15.16.17.18.22.38.*&* 70.

XIX. Etsi vnctio chrismatis esset de substantiâ consecrationis, hæc tamen non esset inualida etsi prior adhiberetur vnctio, & postea traditio libri (sicut si in Missâ

prius consecraretur sanguis quam Corpus Christi (Suarez & 3.Imò fortè posset id fieri sine mortali. De quo tu cogita. Peccaret tamen mortaliter qui in eâ vteretur chrismate alterius anni, vel ex balsamo adulterino, vel ex solo oleo, nisi fortè in necessitate & defectu balsami, supponendo vnctionem hanc non esse de substantiâ, sed ritum tantùm accidentalem. Differt autem vnctio Pontificis & Regis quod illa fiat in capite & manibus; hæc verò in brachio & humero. Hallier & 2. *Ibidem resol.* 69. 85.86. 87. & 88.

XX. Minister huius consecrationis iure Diuino est Episcopus: vnde non potest ea potestas simplici sacerdoti à Pontifice committi. D. Thomas & 4. Etsi quidam id velint. Paludan.& 2. Multò minùs potest Pontifex solo verbo aliquem facere Episcopum dicendo v. g. *esto Episcopus Antuerpiensis*: etsi possit sic conferre omnem iurisdictionem. Azor. *Ibid. res.* 24. 25. & 26.

XXI. Ad valorem ordinationis Episcopalis ex institutione Christi requiruntur minimum tres Episcopi. Vasquez & 7. Quod si plures tribus sint præsentes, possunt omnes simul ordinare. Hallier. Ex dispensatione tamen Pontificis potest vnus sufficere. Granad. & 11. Imò & sine dispensatione posset vnus Episcopus alium validè ordinare. Sanchez & Auersa. Sed quamuis admittantur tres iure Diuino esse necessarij, hoc solùm intelligi debet citra casum necessitatis, & concessionem Pontificis. Dicastill. & 8. Et sic Pontifices sæpiùs dispensarunt pro Indiis. Henriquez & 3. Inualida tamen fuit consecratio cuiusdam Episcopi in Indiis ab vno Episcopo ante acceptas Bullas dispensationis, etsi constaret has esse concessas. multo minùs licitè potuit sic consecrari. Ouideo & 5. *p.* 8. *tr.* 1. *res.* 31. & *part.* 12. *tractat.* 1. *resolut.* 27. 28. 29. 30. 31. 34. 58. & 59.

XXII. Collegium Cardinalium Sede vacante non potest alicui concedere eam potestatem vt committat vni Episcopo alterum ordinare: sed Pontifex posset eam con-

cedere etiam simplici sacerdoti. Dicastill. Si tamen Pontifex in his omnibus dispensaret sine causâ, inualidè id faceret. Dicastill. Etsi contrarium etiam probabile sit. *t. 12. tr. 1. res. 33. & 32.*

XXIII. Non est necessarium vt consecratio hæc fiat ex mandato Archiepiscopi, vel Patriarchæ, & ab Episcopis Suffraganeis: sed hoc est de necessitate præcepti, nisi aliter decernat Pontifex. Sanchez & 2. potest tamen Archiepiscopus nondum accepto pallio, hoc alicui committere. Sanchez & 3. *Ibid. res. 35. & 68.*

XXIV. Si aliquis ex tribus Episcopis non imponeret manus super caput consecrandi, aut non proferret formam, deberet consecratio sub conditione iterari; cum probabile sit esse de necessitate Sacramenti, vt à tribus conferatur. Idem est si consecratus esset sine chrismate, sed solo oleo Catechumenorum. Quoties tamen omissum est aliquid quod est de necessitate Sacramenti, non est tota ordinatio iteranda, sed solum quod omissum est. Et quamuis non sit absolutè necessarium vt suppleatur ab eodem ministro, debet tamen fieri quando potest. Henriquez & 4. *Ibib. res. 45. 47. & 50.*

XXV. Episcopus tenetur consecrari intra tres menses à die confirmationis, nisi legitimè impediatur vel dispensetur, alioquin priuatur fructibus perceptis: & si ad alios iterum tres menses neglexerit, priuatus est ipso iure Episcopatu iuxta Tridentinum *sess. 23. c. 2. de reform.* Quæ tamen pœnæ non debentur in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam. Lessius & 6. Etsi contrarium huius sit etiam probabile. Reginald. & 2. Postquam autem Episcopus consecratus est, & pacificam habet possessionem suæ Ecclesiæ, vacant ipso iure beneficia quæ antè habuit. Rodriquez & Parisius. Potest tamen retinere pensiones si quas habet in alio aliquo Episcopatu, quas tamen deberet dimittere si Episcopo illi succederet in Episcopatu. Gigas. *Ibidem resol. 55. & 56.*

XXVI. Consecratio Episcopi fieri debet die Dominico, vel in festis Apostolorum; sed non aliis, nisi ex dispensatione Pontificis Sanch. & 2. Et si quis alio die consecraretur, maneret suspensus ab executione. Iordan. & 2. Debet etiam fieri horâ tertia *c. 1. distinct. 75.* qua horâ Dominus crucifixus est, & Spiritus S. descendit in Apostolos, & Apostoli ordinauerunt Paulum & Barnabam. Hoc tamen communiter non obseruatur. Item fieri debet in Ecclesiâ & quidem propriâ consecrandi, si commodè potest: Qui tamen in Oratorio priuato Episcopi, vel Regularium consecraret Episcopum peccaret solùm venialiter; quia lato modo sunt Ecclesiæ; & alii Ordines sine vllo peccato ibi possunt conferri. Quod si Pontifex certam Ecclesiam designasset pro consecratione, posset tamen iusta de causâ fieri in aliâ. Solorzan, *Ibid. res.* 62. 63. 64. *&* 81.

XXVII. Tempore interdicti non potest fieri consecratio Episcopalis, cum sit Ordo & Sacramentum. Suarez & 8. Quod verum est etiam in Sabbatho sancto, etsi tunc officium illius diei permittatur; quia non est necessaria connexio ordinationis cum officio illius diei. Castropal. & 2. Neque etiam hoc licet ex permissione *cap. Alma mater* quia ibi in illis festiuitatibus solùm permittuntur baptismus & Pœnitentia, non autem Ordo. Auila & 3. Neque etiam ianuis clausis & exclusis interdictis; quia hoc solùm conceditur quoad officia Diuina, non quoad Sacramenta. Leand. *Ibid. res.* 100. *&* 101.

XXVIII. Episcopi assistentes Consecratori celebranti etsi soleant esse ieiuni, an tamen iura quæ hoc statuunt importent præceptum? tu cogita. Sed qui in peccato mortali consecrat Episcopum peccat mortaliter: vti & qui in mortali consecratur. Marchin. Si tamen eliceret actum contritionis ante impositionem manuum & prolationem formæ; excusaretur. Et qui tres Episcopos simul consecraret, vnum tantùm peccatum probabiliter admitteret. *Ibid. res.* 39. 40. 41. *&* 42.

XXIX. Non potest validè consecrari Episcopus qui

non est sacerdos. Sanchez & 8. Et qui ex priuilegio ordinaretur sacerdos in die Dominicâ, non posset tamen eâdem die consecrari Episcopus; quia sic bis consecraret & communicaret eâdem die in vtrâque ordinatione. Nisi fortè hoc fieret in die Natalis Domini; tunc enim posset in vtrâque Ordinatione concelebrare cum Episcopo: imò & postea tertiam Missam celebrare; quia etsi in Ordinatione communicauit de manu alteriùs, verè tamen celebrauit. Quintanad. Ordinatus autem die Sabbathi potest sequenti Dominicâ consecrari Episcopus, etiamsi ieiunium Sabbathi non continuetur (quod solùm requiritur quando alij Ordines conferuntur, vt sic ipsum Sabbathum quasi continuari censeatur, quo die conferri debent (modò ipso die Dominico sint ieiuni consecrans & consecrandus. Sanchez & 6. *Ibidem resolut.* 53. 65. 94. *&* 66.

XXX. Episcopus matrimonium spiritale contrahit cùm Ecclesiâ suâ, etsi ab Infidelibus sit occupata, Vnde ex hoc etiam capite peccat consecratus in mortali, non tamen distincto peccato. Gerund. Quamuis autem ordinaretur aliquis nullâ assignatâ Ecclesiâ, valida esset consecratio. Azor & 2. *Ibid. res.* 51. 52. *&* 77.

XXXI. Ante consecrationem Episcopi rectè præmittuntur processus de vitâ & moribus. Bouer. Item professio fidei & iuramentum fidelitatis, quæ nòn possunt fieri per Procuratorem. Solorzan. Etsi hoc satis probabiliter affirmet Sanchez & 4. *Ibidem res.* 110. *&* 57.

XXXII. Episcopum ex vi consecrationis peculiari voto obedientiæ, & quidem solenni adstringi quo constituatur in statu perfectionis, docet D. Thomas & 4. Sed hoc probabiliter negat Suarez & Gerund. Neque ad limina Apostolorum accedere ex vi voti, sed iuramenti tenetur, & quidem personaliter nisi legitimum sit impedimentum, vt est remota distantia. Gerund contra Sanchez. *Ibid. res.* 96 *&* 97.

XXXIII. Episcopi debent suis Consecratoribus rene-

tentiam eam quam filii parentibus ; vnde eos accusare olim non poterant. *Ibid.res.93.*

XXXIV. Episcopus ante legitimam ætatem 30. annorum expletam consecratus, non incurrit suspensionem Pij II. latam in promotos ad Ordines ante legitimam ætatem. Suarez & 5. Item neque latam in promotos per saltum ; quia illæ spectant tantùm ad sic promotos ad alios Ordines sacros. *Ibid.res.*49.108.*&* 109.

XXXV. Episcopus ordinatus ab Episcopo hæretico vel excommunicato non denuntiato : non est irregularis aut suspensus ab vsu Ordinis suscepti. Sanchez & 3. Imó etsi ipse irregularis vel excommunicatus consecraretur, si neque posset consecrationem sine scandalo differre, neque absolutionem antè obtinere, excusaretur à peccato, *Ibid.res.99.&* 43.

XXXVI. Cæremoniarum omnium & rituum consecrationis Episcopalis mysticas significationes plures ac varias assignant D.Thomas, Hallier. Suassay, Socolouius, Durand.& alii. *Ibid.res.*113.114.115.116.117.118.119. 120, 121.122.123.124.*&* 125.

Episcopi potestas.

XXXVII. Episcopus non potest conferre Ordines eo die quo consecratus est; valida tamen esset collatio. *c. quod sicut.§.super eo de elect.p.*12.*tr.*1.*res.*44. Neque vmquam potest eos conferre in alienâ diœcesi, aut Missam celebrare in Pontificalibus, seu cum baculo pastorali & mitrâ, absque licentiâ Ordinarii eius loci. Sanchez & 6. Etsi quoad celebrationem in Pontificalibus contrarium doceat Henriquez & 6. Neque sufficit licentia Ordinarii exempti, sed præterea requiritur licentia Episcopi, nisi locus exemptus ad nullam diœcesim pertineret. Barbos. *p.*3.*tr.*6.*res.*36.*& p.* 4.*tractat.*4.*resol.*143.*& part.*9.*tractat.*8.*resol.*29.*& par.*11.*tr.* 6.*resol.*23.

XXXVIII. Non peccat mortaliter Episcopus in mor-

tali consecrans sacrum chrisma, aut oleum. (Suarez & 5.) seu conferens minores Ordines: (Suarez & 3.) seu consecrans Ecclesiam. Coninc & 2. Etsi multi in his contrarium doceant, *p.3.tr.6.res.67.& p.5.tr.13.res.73.& p.8.tract. 1.resol.7.*

XXXIX. Episcopus etsi per solam consecrationem accipiat potestatem quoad ea quæ sunt Ordinis) quæ propterea à Pontifice auferri non potest) antè tamen per confirmationem accipit potestatem iurisdictionis : vnde tunc potest indulgentias concedere. D. Thomas & 12. Omnem tamen iurisdictionem habent Episcopi iure humano à Pontifice. Suarez & 5. Etsi probabile etiam sit habere illam immediatè à Deo. Vasquez & *6.part.12. tract. 1. res.74, 103, & 75.*

XL. Episcopos posse in suâ diœcesi quidquid Pontifex potest in vniuersali Ecclesiâ, nisi aliquid à Pontifice sit reseruatum, docet Pontius & 14. (quod Valerus etiam ad Parochos extendit.) atque adeò dispensare in omni lege Pontificiâ nisi ei prohibeatur. Pontius & 3. Sed contrarium est tenendum, numquàm scilicet inferiorem posse, nisi superior expressè, vel tacitè concedat. D Thom. & 10. Quando tamen Pontifex non reseruat absolutionem à censurâ, tunc Episcopis videtur eam concedere. Suarez & 5. Item quotiescumque in canone vel lege additur, *nisi dispensetur*, & non dicitur à quo, censetur ea potestas cōcessa inferiori Prælato: nisi vel lex feratur circa solum Prælatum inferiorem, vel sit lex non solius Pontificis, sed etiam Concilij generalis. Amic. & Meroll. *p.3.tr.5.res.23.& tr.6. res.82.& p.7.tr.10.res.36.& p.8.tr.3, res.11.& 18.*

XLI. Episcopus etiam non consecratus, extra suam diœcesim potest eligere sacerdotem idoneum, id est ab Ordinario approbatum cui confiteatur, & non alium, vt decreuit Gregorius XIII. Suarez & 13. Etsi quidam contrà sentiant. Villalob. & *3.p.3.tr.2.res.3.& p.8.tr.1.res.85 & p.11. tr.4.res.13.& p.12.tr.1.res.105.*

XLII. Potest Episcopus nouum constituere Canoni-

corum numerum,& Collegium, nouasque creare dignitates.Nouar.&2.*p.*3.*tr.*6.*res.*38.Sed non potest de iure communi conferre gradum Doctoratus.Sà & 11. Etsi contrarium non improbabiliter doceat Bordon. & 2.*part.* 12. *tr.* 1.*resol.* 95.

XLIII, Episcopos posse concedere Bullas quibus aliis concedant suam potestatem ordinariam quoad absolutionem à reseruatis,& dispensationem in votis cum onere dandi aliquam pecuniam in bonum Ecclesiæ vniuersalis, vel particularis,negat Nauar. & Rodriquez ; sed affirmat Henriquez & 2.*p.*4.*tr.*4.*res.*60.

XLIV. Si vigilia S. Matthiæ incidat in vltimum diem bacchanalium, potest Episcopus transferre ieiunium in præcedens sabbathum,ne violetur ieiunium. Layman.*p.*3. *tr.*6.*res.* 66.

XLV. Potest Episcopus dispensare in suis constitutionibus etsi sint confirmatæ à Papa,nisi hic puculiare robur eis addat approbando, & faciat proprias. Salas. Aut nisi transierint in contractum in commodum alterius. Senchez.Item potest Episcopus dispensare in casu in quoPontifex rogatus noluit dispensare iudicans causam non esse iustam.Suarez & 3. contra Sanch.Quod etiã verum est respectu cuiuslibet alterius habentis priuilegium dispensandi.Imò quamuis facta esset dispensatio à Pontifice cum onere certorum operum pœnitentiæ, potest de nouo dispensari sine his ab inferiori habente generalem potestatem.Sanchez.*p.*8.*tr.*3.*res.*73.*&* 49.*&* *p.*9.*tr.*6.*res.*41.

XLVI. Metropolitanum posse dispensare cum Episcopis suffraganeis docet Sanchez & 6. Sed hoc alij negant. Neque id necessarium est cum ipsi Episcopi eandem habeant potestatem. Suarez & 3. Neque similiter dispensare potest cum subditis suffraganeorum : (Suarez & 9.) nisi ad ipsum recurratur à subdito cuius Episcopus non vult dispensare,cùm tamen iusta sit causa,etsi non cogens.Sanchez & 2. Quamuis Castropal. id solùm permittat tunc, cum Episcopus tenetur dispensare, & non vult. Imò no

tempore quidem visitationis id potest; nam hoc ipsi in iure non conceditur, sicut nec potest tunc ipsis concedere dimissorias ad Ordines, vel dispensare in denuntiationibus matrimonialibus. Fagund. & *5.p.8.tr.3.ref.*13 14.*&* 15.

XLVII. Episcopus non potest visitare hospitale si fundator in fundatione ipsum exclusit à visitatione, etiamsi Episcopus non consenserit. Ita congregatio Cardinalium. Similiter Confraternitates, & hospitalia quæ sunt sub protectione Regum, non sunt ab Episcopis visitanda. Barbos. & *3.p.1.tr.2.ref.*84.*&* 101.

XLVIII. Executio legatorum ad pias causas est mixti fori, etsi testator prohibuisset Episcopũ se ingere. Molin. & 8. Sed hoc procedit solùm de iure ciuili, nam iure canonico ad solum spectat Iudicem Ecclesiasticum. Bonacin. Executio tamen quoad bona incerta & obnoxia restitutioni non spectat ad Episcopum, sed ad heredẽ: (Molin. & VVading.) nisi quãdo de malè partis constat in iudicio, vel extra; tunc enim heres vel executor debẽt restituere cõsulto Episcopo. Couarr. & 2. Imò & aliorum quorumuis legatorum sit executor Episcopus si intra annum non soluantur Molin. & 8. Etsi in eo testamẽto nulla essent legata pia. Molin. & 3. Sed hoc locum non habet si testator in illo casu negligentiæ alium executorem substituerit, nisi fortè etiam hic eodem modo posteà esset negligens. *p.1.tr.2.ref.* *99.&p.3.tr.1.&ref.*21 *&p.4.tr.1.ref.99.& p.7.tr.6.ref.*31.*&* *p.8.tr.5.ref.*45.40.*&* 56.

XLIX. Deuolutio illa post annum fit ad Episcopum non in cuius diœcesi sunt bona, sed vbi testator habebat domicilium, etsi in aliâ vòluerit sepeliri. Merol. Neque liberum est executoribus elapso anno moram suam purgare, sed executio statim deuoluitur ad Episcopum. Sanchez & 3. Imò tenetur Episcopus in illo casu negligentiæ executionem suscipere. Meroll. Et quod dictum est de executione, eodem modo intelligendum est de electione personarum, v. g. pauperum, in quas distribuendum est legatum, nam etiam hæc post annum, vel sex menses deuolui-

tur ad Episcopum.Molin. & Meroll. Quidam tamen omnem hanc deuolutionem docent esse mixti fori, & in eâ locum esse præuentioni cum Iudice laico. Molin.& 6.*p.8. tr.5.ref.59.54.57.61.& 55.*

L. Episcopus cum fuit executor vltimæ voluntatis,tenetur reddere rationem non coram Iudice laico, sed coram suo Metropolitano.Carpius & 2.Idem est de omnibus Clericis.Marta. Qui etiam citari non possunt à Iudice laico super confectione inuentarij.*Ibid.ref.42.43.& 44.*

LI. Potest Episcopus exequi legata pia,quamuis se opponat aliquis tertius laicus possessor.Imò potest illa commutare in æquale,vel melius,maximè cum consensu heredum:neque sic infringit voluntatem testatoris, sed interpretatur. Vasquez & 12. Sed contrarium probabilius est, & tutius.Molina & 7.*p.5.tr.1.ref.24.& p.2.tr.17.ref.26.& p.8.tr.5.ref.63.*

Episcoporum potestas ex concessione Concilij Trident. sess.24.c. 6. de reform.

LII.Possunt ex eâ concessione dispensare in irregularitatibus omnibus:& suspensionibus prouenientibus ex delicto occulto,exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario,& aliis deductis ad forum contentiosum.Possunt etiam absoluere ab omnibus casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis,etiam ab hæresi in foro conscientiæ tantùm.Item à percussione occultâ Clerici etiam enormi, etsi facilè posset recurri ad Papam. Quæ concessio extenditur etiam ad casus post Concilium de nouo reseruatos. Suarez & 5. Sed vbi Tridentinum non est receptum, non possunt Episcopi illâ potestate vti. Suarez & 11. Quamuis id affirmet Zypæus.*p.7.tr.2.ref.1.2.0.& 2.& p.6.tr.8.ref.27.& p.9.tract.4. resol. 63.*

LIII. Competit priuilegium illud Episcopis electis tantùm & confirmatis, etsi nondum sint consecrati. Suarez. & 7. Non autem titularibus tantùm & carentibus diœcesi. Suarez & 2. Imò & Vicarium generalem ibi com-

prehendi nomine Episcopo docent Sayr.&Victorell. Competit item Capitulo Sede vacante,(Sanchez & 9.)&Abbatibus aliisque Prælatis habentibus iurisdictionem quasiEpiscopalem. Sanchez & 12. Imò & Prælatis Regularium exemptorum : saltem Generali, & Prouinciali competere docet Rodriq. & 4. & saltem ex Bullâ Pij V. illam potestatem habent Prælati etiam conuentuales. Sanchez & 5. *p. 7.tr.2.ref.1.3.4.& 5.& p.4.tr.4.ref.211. & p.8.tr.4.ref.7. & p.12. tr.1. ref.104.*

LIV. Habet eam potestatem Archiepiscopus in totâ Prouinciâ dum actu visitat. Suar. & 7.& quouis tempore circa ipsos suos suffraganeos Episcopos. Sayr. & 3.Imò & circa eorum subditos, si vel Episcopi malitiosè differant absolutionem, vel illi appellent. Castrop. Possunt eâdem potestate vti Episcopi circa Regulares exemptos ex licentiâ superiorum eorundem, vel si hanc superior iniustè negaret. Suarez & 4. Nisi fortè aliquis Superior in eâ Religione eandem potestatem haberet, qui non nimis abesset. Pontius. *p.7.tr.2.resol.7.& 6.& p.8.tr.3.resol.48.*

LV. Potest eâ facultate Episcopus vti extra suam diœcesim. Suarez & 3.Et quoad subditos extra illam existentes Sanchez & 3. Et extra confessionem Sacramentalem. Sub nomine autem subditorum comprehenduntur I. vagi. Suarez & Sanchez. II. qui æqualiter n duplici diœcesi habent domicilium. Sanchez. III.Peregrini, etsi breui solùm tempore ibi morentur, saltem quoad absolutionem, non tamen quoad dispensationem. Suarez & 6. Etsi etiam prius affirmet Castrop. *p.7.tr.2. res.8.9.10.& 11.& p.8. tr. 3. resol. 47.*

LVI Potestas hæc dispensandi in irregularitate & suspensionibus non limitatur pro foro conscientiæ tantùm; quia ista clausula apponitur soli potestati absoluēdi à reseruatis. Sanchez & *3.p.7.tr.2.ref.18.&p.4.tr.4.ref.116.* Potestque Episcopus eam potestatem dispensandi aliis subdelegare.Sanch.& 4.Vti & potestatem absoluendi à reseruatis.Suarez & 4.Non tamen ab hæresi, nisi pro casu par-

ticulari. Item potest Episcopus omnem hanc suam potestatem committere alicui à quo ipse absoluatur, vel dispensetur. Suarez & 9. Et sic possunt etiam prælati Regulares committere Confessario suo vt cum ipsis dispenset in omnibus in quibus possunt ipsi cum subditis. Sanchez & 2. *p.7.tr.2.ref.12.13.& 14.*

LVII. Quantumuis occultum sit homicidium voluntarium ita vt nemo sciat præter ipsum homicidam, non potest Episcopus in eâ irregularitate dispensare: licet contrarium doceat Couarr.& 6.& saltem id posse in casu quo nullum aliud esset medium ad euadendam grauem infamiam vel scandalum, (sicut posset tunc in impedimento dirimenti matrimonium) docet Fragos. Aliàs verò poterit saltem in eâ irregularitate dispensare vt minoribus Ordinibus susceptis vtatur, imò, si causa subsit, vt etiam sacris. Lessius. Saltē quando magna vrget necessitas, nec facilis est recursus ad Papam. Auila & 3. *p.6.tr,6.ref.51.& p.4.tr.2.ref.100.& p.9.tr.8.ref.52.& tr.7.ref.22.& p.11.tr.2.ref.26.* Non potest tamen cum tali dispensare ad accipiendum beneficium simplex. Marchin. Quidquid dicat Henriq. Posse autem ad retinendum etiam curatum, docet Marchin. & Alzed.*p.7.tr.2.ref.33.& 34.* Eadem hæc restrictio Concilij quoad homicidium extenditur etiam ad mandantes, aut suadentes illud. Tolet. Etsi hoc neget Pellizzar.*p.10.tr.13.ref. 38.*

LVIII. Potest Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio casuali, licet publico. Henriq.& 5. (Sed nunc re melius consideratâ iudico non posse dispensare nisi ad Ordines minores,& beneficium simplex. Lessius *p.12.tr.1.ref.104.*) Neque dicitur voluntarium nisi factum sit animo deliberato ita vt sit intentum expressè,& non tantùm in causâ : nam si rixâ repente exortâ, aut propter verba contumeliosa, sub tò homicidium perpetratur, non censetur voluntarium, sed potius casuale. Coninc & 19. Contrarium tamen est probabilius. Suarez & *3.p.7.tr.2. ref.31.& 32.& p.2.tr.15.ref.19.& p.4.tr.2.ref.72.& p.10.tr.11.ref.19.*

& part, 12. tractat. 3. resol. 6, & 8.

LIX. Potest etiam dispensare in irregularitate ex homicidio occulto commisso per excessum iustę defensionis; quia nec illud comprehenditur sub voluntario. Barbos. & 2. Imò etiamsi quis iam fugientem persequatur, & occidat. Suarez & 5. Item in irregularitate mandantis percussionem, si mandatarius excessit mandatum, & occidit. Molin. & 3. Vel si iussus occidere Petrum occidit Paulum. Barbos. Sicut & si quis prægnantem percutiat, vnde sequatur abortus præter intentionem Sayr. & Marchin. *part.7.tractat. 2.res. 29. & 30. & part. 10.tractat.11.resol.19.*

LX. Occulti casus hîc dicuntur qui non sunt publicè noti, etsi probari possent. Suarez & 15. Vnde in magnâ ciuitate quinque vel sex vidisse non sufficit vt censeatur notorium. Sanchez & 3. Imò quamuis alio loco essent publici, sufficit non esse hoc loco vbi petitur absolutio, vel dispensatio, modò notitia illa non sit eò facillimè peruentura. Sanchez & 4.*p.7.tr.2.res.15.&16.* Imò aliqui volunt casus censeri occultos quoad effectum dispensationis, quamdiu non sunt deducti ad forum contentiosum. Pontius & 4. Sed hoc est contra stylum Curiæ, & praxim omnium Episcoporum, & communem sententiam DD. *p.11. tr.8.res.68.& p.12.tr.2.res.21.*

LXI. Deductum ad forum contentiosum non dicitur crimen dum facta est denuntiatio vel accusatio, sed cum per responsionem partis negantis, vel confitentis lis est contestata. Castrop. & 4. Tunc autem cessat hæc potestas Episcopi pro quouis loco, etiam vbi planè ignoratur. Castropal. & Trullench. Quod si finito iudicio reus per sententiam absoluatur, manet occultum vt dispensari possit, etsi iniquis mediis absolutio illa esset obtenta. Suarez & 9. Imò etiamsi iudicium non absoluatur, satis est si accusator per annum taceat. Barbos. & 3. Vel si reus componat cum parte, & fisco, ita vt non condemnetur. Genuens. & Raguce. De quo tu cogita. Sed verum [id est] etiamsi iudi-

cium finiretur per sententiam solùm interlocutoriam quâ reus absolueretur tantùm ab instantiâ, eò quòd crimen non nisi semiplenè probaretur. Sanchez & Bossius. Non autem si solùm dimitteretur cum onere se præsentandi toties quoties. Barbos. & 2. Neque sufficit socium criminitui esse accusatum, vt tecum dispensari non possit. Castrop. & 4.*p.7.tr.2.res.*17.18 *&* 19.

LXIII. Potest similiter Episcopus dispensare quotiès delictum fuit in foro contentioso iudicatum, & punitum; quia hic casus non comprehenditur sub illâ exceptione Concilij. Sanchez & 18. Etsi multi contrà sentiant. Suarez & 9. *Ibid. res.* 19. *&* *p.4.tract.2.resol.*97.

Eucharistia.

I. SI per negligentiam Parochi per integrum diem lumen non ardeat ante Ven. Eucharistiam in templo; peccabit mortaliter: secùs si per horam vel aliquanto amplius non arderet. Quintanad. Etsi vniuersim eam obligationem, & consuetudinem tam vniuersalem neget Marchan. *p.9. tr.6. res.*34.

II. Sacerdos sine cottâ & stolâ transferens pyxidem S. Eucharistiæ ad aliud altare, etiam aliquibus videntibus, non peccat nisi venialiter. Bordon. *p.10.tr.*13.*res.*34.

III. Regulares non posse publicè in suis Ecclesiis exponere sacram Eucharistiam sine Episcopi licenciâ, docet Gauant. ex decreto Sacræ Congregationis. Sed contrarium docet Bruno ex alio eiusdem decreto, & ex Bullâ Vrbani VIII. Saltem non est vsu receptum vt licentia illa petatur. *p.*11. *tr.*2. *res.*5.

IV. Si sunt aliquæ guttæ vini in calice separatæ à toto vino quod in ipso calice continetur, probabiliter iudicari possunt non consecratæ; quia Sacerdos illud tantùm intendit consecrare quod per modum vnius continui potabile existit intra calicem. Suarez & 2.*p.*2.*tr.*17.*res.*16. *&* *p.* 3. *tr.*4.*res.*22.

V. Panis

V. Panis ex aquâ rosaceâ factus non est materia apta Eucharistiæ D.Thom. & 6. Etsi dubitet Caietan. & contrarium non improbabile doceat Valent. *p. 6.tr.7. res.*18. Sic etiam hostiæ rubræ quibus mixtum est cinnabrium; qualibus solent litteræ sigillari, non videntur materia consecrabilis, cùm non sint panis vsualis. Lugo.Etsi quidam contra censeant probabile. Neque item panis ex amylo Dicastill. & 3. Et certò esset mortale illis vti; quia saltem sunt materia dubia. Panis tamen ex aquâ maris est consecrabilis (quamuis neget Fagund.) quia illa est etiam aqua naturalis, etsi differet specie ab aliâ aquâ. *part.7. tractat.* 12.*resol.*8.*& p..9.tractat.* 9.*resol.*58.*& part.*10.*tract.*16.*resol.*39.

VI. Succum qui elici potest ex vuis passis esse materiã consecrabilem, cum sit verum vinum, docet Amic. quod tamen impugnat Opatou. Iusculum autem panis cocti non est; quia vi ignis ex illo pane & aquâ factum est vnum tertium mixtum artificiale. Quando autem vinum esset imbibitum in offâ panis, posse consecrari vtrâque consecratione panis & vini, docet Dicastill.Sed quoad vinum; contrarium est probabilius; quia hoc tunc demonstrari non potest, nec vt sic potabile est. Lugo & 5. *part.* 7.*tractat.* 12.*resol.*8.*& part.*9.*tractat.*9.*resol.*58.*& tractat.* 8. *resol.* 65.

VII. Sacerdos absque necessitate consecrans in musto; peccat mortaliter, tum propter *can. cum omne.de consecr. dist.* 2. tum propter consuetudinem Ecclesiæ in re graui, tum propter irreuerentiam, cum mustum multas habeat admixtas fæces quæ non sunt consecrabiles. Suarez & 11. Est tamen necessitas ad hoc sufficiens vt sacrum die festo audiatur. Hinc tollenda consuetudo quarundam Ecclesiarum vt certo anni die botrus in calice exprimatur, & sic consecretur. Suarez & 2. Etsi eam approbet Tanner. *p.*10. *tr.*11. *res.*37.

VIII. Vinum congelatum potest validè consecrari; est enim potabile naturâ suâ, & solùm per accidens potari

non potest. Suarez & 28. Etsi id probabiliter neget Henriquez & 6. Peccaret tamen mortaliter qui id faceret, nisi priùs solueretur gelu, tamquam consecrans materiam dubiam. Suarez & 15. Etsi hoc neget Vasquez & 2. Imò etiam soluto gelu sumendum est aliud vinum, saltem ex decentiâ. Suarez & 5. Quod verum est etsi congelaretur post oblationem ante consecrationem. Suarez & Dicastill. *p.3. tr.6.res.*100.*& p.*10.*tr.*12.*res.*8.*& p.*11.*tr.*1.*res.*17.

IX. Quantumuis parua sit particula panis, si tamén sit sensibilis, potest validè consecrari. Suarez & 43. Imò etiamsi ob paruitatem nullo sensu exteriori percipi possit, validè consecrari, affirmat Henriquez & 3. negat Suarez & 3. vtrimque probabiliter. Dicastill. Sufficit tamen quod sensibilis sit ab aliquo acutiorem sensum habente, etsi non sit ab ipso consecrante. Lugo & 3.*p.*11.*tr.*6.*res.*36.

X. Quilibet sub mortali tenetur ritum Ecclesiæ suæ seruare, Latinus Sacerdos consecrando in azymo, Græcus in fermentato. Neque contrarium licet etsi populus deberet diu carere sacrificio, vel proximus decederet sine viatico. Dicastil. & 3. Aliud tamen esset quando sacerdos id faceret ad euadendam mortem, quæ intentaretur non in contemptum Religionis. Quando tamen Latinus peregrinaretur inter Græcos, vel Græcus inter Latinos posset sequi modum illius Ecclesiæ, sed non teneretur, ideoque posset tunc vel in azymo celebrare, vel in fermentato. Sed si sui haberent ibi Ecclesiam sicut Græci habent Romæ, teneretur seruare ritum suæ Ecclesiæ, nec possent Græci ibi in aliâ Ecclesiâ celebrare in azymo. Suarez & 3. Etsi hoc putet Leand. & 4.*part.*10.*tract.*16.*res.*40.*& p.* 3. *tr.* 6.*resol.* 99.

Eucharistiæ sumptio.

XI. Etsi feriâ sextâ parasceues communicare non sit illicitum; (Vasquez & 19.) tamen qui vouisset communicare singulis festis B. Virginis non teneretur festo Annuntiationis in eam feriam incidente. Sed suppositis declara-

tionibus Cardinalium non est eo die ministranda Euchatistia nisi infirmis *p.4.tr.4.res.237.& p.6.tr.6.res.19.& p.9. tr.7.resol.24.*

XII. Quotidianam communionem quibusuis in gratiâ existentibus, etiam laicis tepidis & imperfectis permittunt quidam. Sancius & 2. Quod tamen nullo modo est admittendum, cùm paucissimis id videatur concedendum. Suarez & 48. Imò sæcularibus satis esse videtur si octauo quoquo die communicent, nisi qui à mundo abstracti se totis dedunt rebus spiritalibus. Lessius. *part.11. tr.7.res.15.*

XIII. Quando sacerdotes communicant de manu alterius, non est præceptum Ecclesiasticum adhibendi stolam. Azor & 2. nam præceptum *c.Ecclesiastica dist.23.* videtur vsu abrogatum. Contrarium tamen docent Homobon & Nald. *p.2.tr.14.res.20.*

XIV. Si hostia vel sanguis cadat in barbam communicantis, sufficeret eam repetitâ lotione purgare, Trullench & 2. Etsi radendam insuper, velit ab Angelis. Contra verò etiam lotionem necessariam neget Tamburin. sicut & Pellizzar. negat lotionem necessariam si ceciderit in manum, aut vestem communicantis, eò quòd rubricæ hoc de solis mappis seu linteis præcipiant. Sed contrarium est tenendum; quia rubrica illos casus non ponit taxatiuè sed demonstratiuè. Nigro & 3. *part.10.tract.12.res.10.& tractat. 13.resol.49.*

XV. Qui accedit ad communionem voluntariè distractus, non peccare venialiter, docet Sancius & 3. Neque qui cum affectu peccati venialis. Ledesin. Sed alij contrà sentiunt. Layman. *p.3.tr.4.res.31.* Accedere verò ad Eucharistiam ipso die habitæ copulæ, est contra reuerentiam Sacramenti: ideóque minus expedit coniugatis. Sanchez & 21. Etsi Sancius iudicet suadendum illis quidem, vt tunc à copulâ abstineant, non tamen, vt non communicent, posito quòd non abstinuerint, sicut neque post voluntariam pollutionem, aut etiam fornicationem accede-

re erit veniale· Dicastill. & 4. aut etiam die sumptæ Eucharistiæ ad vxorem accedere. Sanchez & Tamburin.*p.3. tr.4.res.* 30.*& tr.6.res.*71.*& p.5.tr.* 13. *resol.*65. *& part.*10 *tract.*16.*res.*34.

XVI. Etsi periculum sit ne Eucharistia deueniat in manus infidelium,non potest sacerdos existens in mortali eam sumere non elicitâ contritione, vtcumque velit non Sacramentaliter eam sumere, sed materialiter, eo modo ac si in foramine eam absconderet. Tho. Hurtad. Posset tamen eo casu sumi à non ieiuno, etiam laico,licet præsente sacerdote.Lugo.*p.*11.*tr.6.res.*2.

XVII. Qui suscipit Eucharistiam in peccato mortali, vnum tantùm peccatum committit sacrilegij contra dignam Sacramenti sumptionem: neque omissio confessionis ante communionem,constituit peccatum distinctum; quia confessio ordinatur ad dignam Eucharistiæ sumptionem. Turrian. & Fay. Idem est si quis præcepto humano v. g. excommunicatione prohibitus esset communicare. Vasquez & Lugo.*part.3.tractat.4.resol.*35.*& p.5.t.* 13.*resol.*62.

XVIII. Eucharistia suscepta in mortali, postea non reuiuiscit(D.Thomas & 5.)nisi obex tollatur dum species adhuc durant in stomacho.Suarez & 13.Multo ergo magis conferetur gratia si aliquis conteratur dum adhuc durat sumptio.Lugo & 8.*p.*11.*tr.7.res.*48.

XIX. Potest fieri vt ad Eucharistiam accedens nec peccet, nec tamen eius gratiam percipiat, si v. g. peccati alicuius mortalis inuincibiliter sit oblitus, ideoque sine dolore de peccatis ad Eucharistiam accedat. Suarez & 4. Quod si de peccato illo esset saltem attritus, tunc Eucharistia conferret illi primam gratiam, sicut etiam illi qui non habens copiam Confessarij in necessitate accedit putans se contritum cum solùm sit attritus.*part.3.tractat.* 6.*resol.*92.

XX. Sacerdotes sub vtrâque specie communicantes plus gratiæ accipere,alij aiunt:(Vasquez & 4.)alij negant.

(Suarez & 5.) vtrimque probabiliter. *p.3.tr.6.res.97.& p.5. tr.13.res.29.* Confertur autem hæc gratia eo instanti quo verum est dicere, nunc facta est sumptio, & immediatè anteà non erat. Henriquez & 2. Et quamuis probabile sit si, dum species manent in stomacho, saltem si melioretur dispositio, augeri etiam gratiam Sacramentalem: Lugo & 3. tamen non propterea maiorem ideò quis accipit gratiam si maiores vel plures hostias sumat, etsi hæc possit esse illius occasio. Coninc. Neque ideo erit nouum peccatum sacrilegij non elicere actum contritionis dum species post indignam sumptionem adhuc durant in stomacho. Lugo. Etsi hoc affirmet. Amic. *part.3.tractat.6.res.96. & p. 11.tr.7.res.47.*

XXI. Si Eucharistia miraculosè poneretur in stomacho hominis sine manducatione, causaturam gratiam, negat Suarez & Coninc: affirmat. Lugo & Leand. vtrimque probabiliter. Sed si quis non voluntariè sed casu per os, vel nares respirando attraheret paruum fragmentum particulæ in stomachum, an perciperet gratiam, tu cogita: cum non sit actio comestiua: sicut per similem attractionem muscæ non frangeretur ieiunium naturale. *p. 11. tr.7.res.48.*

XXII. Surdus, & mutus etiam extra articulum mortis communicare potest æquè ac confiteri; nam æquè videtur quoad vtrumque Sacramentum posse instrui: Quando autem, & quoties id possit, iudicio prudentis confessarij remittendum. Similiter & mutus sacerdos potest eam tempore necessitatis ministrare. Gratian. *p.5. tractat. 6. res. 6.7.& 18.*

Eucharistia Minister.

XXIII. Ministrare Eucharistiam sine lumine, vel non præmisso *confiteor &c.* esse mortale, docet Quintanad. & Leand. Sed probabiliùs non excedit veniale. Suarez & Lugo. Neque potest sacerdos impeditus pollice & indice propter chiragram, aliis digitis illam ministrare. Bonacin.

& 2. Etsi hoc affirmet Leand. Neque ad ægros deferri potest sine superpelliceo, stolâ, & lumine. Lugo & 10. Etsi hoc etiam affirmet Leand. *part.10.tractat.11.resol.40.& tractat.16.resol.80.*

XXIV. In distribuendâ communione patenam debere supponi, ne minutæ particulæ decidant, vult Posseuin. Sed hoc est contra consuetudinem. *p.10 t.13.res.34.* Tempore autem pestis etiam in periculo contagionis non licet infirmis ministrare Eucharistiam in cochleari argenteo; vel oblongiori forcipe, aut spatulâ; vel ita vt mensæ imponatur accipienda ad ægro. Bonacin. & *4.p.4.tr.4.res. 114. & p.5.tr.3.res.50.*

XXV. Sacerdos in peccato mortali ministrans aliis Eucharistiam, non peccat mortaliter. Quia est tantùm veluti applicans actiua passiuis; in aliis autem Sacramentis Sacerdos simul conficit, & ministrat. Vasquez & 10. Et quamuis peccaret, non deberet multitudinem personarum exprimere quibus ministrat: quia est tantùm vnicum peccatum. Henriquez & Tanner. *p.1.tr.7.res.41. & p.2.tr.14.res.23.& tr.17.res.13.& in Addit.3.p.res.5.& p.9.tr.7.res.58.*

XXVI. Quando Regulares secundùm priuilegia sua celebrant ante auroram, possunt etiam aliis tunc Eucharistiam ministrare. Vnde malè negat Bordon. laicos posse communicare in Missâ Natiuitatis DOMINI mediâ nocte *p.9.tr 7. res. 43.* Determinatio autem temporis quoad Eucharistiam tantùm spectat ad consecrationem non faciendam ante auroram, vel post meridiem: non autem ad Communionem, ideòque qualibet horâ hæc licita est, modò absit scandalum. Suarez & 11. Licèt ob reuerentiam Sacramenti, non sit extra necessitatem permittendum vt quis sub vesperam, aut qualibet horâ communicet. Coninc. *p.2.tr.14.res.54.& p.11.tr.7.res.22.*

XXVII. Si Sacerdos ex confessione sciat aliquod delictum alicuius non emendatum, non debet illi Eucharistiam occultè petenti denegare; esset enim tacita expro-

bratio peccati in confessione auditi, quod repugnat eiusdem sigillo. Sanchez & 12. *p.3.tr.4.res.46.*

XXVIII. In dubio an peccator publicus sit, an occultus danda est ei Eucharistia. Ochagauia. Qui autem indigno ministrat non peccat duplici peccato, & contra proprium officium,& cooperationis peccati proximi:sed vnico tantùm, quòd Sacramentum conferat indigno,id enim vtrumque inuoluit.Præpos.*part.4.tractat.3.res.54. & tract.4.resol.103.*

XXIX. Testimonium Confessarij de licentiâ pœnitentis valet vt in foro externo pœnitens probetur emendatus vt possit ei dari Euchatistia, vel etiam Ecclesiastica sepultura. Non tamen sufficiet nisi à Confessario publicè reueletur; quia pro publico delicto debetur Ecclesiæ publica satisfactio. Malder. & *5.p.5.tr.11.res.40.*

XXX. Non licet peccatori occulto scienti & volenti ministrare hostiam non consecratam.D.Thom.& 15.Non ausim tamen contrariam sententiam improbabilitatis damnare, dummodo proponatur hostia consecrata adoranda, & post illam retro teneatur non consecrata. Villalob. & *4.p.3.tr.6.res.83.& p.4.tr.4.res.47.*

XXXI. Potest Sacerdos non tantùm in casu necessitatis,sed etiam deuotionis causâ, seipsum communicare extra Missam ex præconsecratis hostijs, vbi non est alius Sacerdos à quo accipiat Eucharistiam. Suarez & 8. Qualibet etiam diei horâ: modò sit ieiunus, & absit scandalum.Henriquez & 4.Imò etsi præsens esset Diaconus præstaret sacerdotem proprijs manibus consecratis Eucharistiam sumere, quàm de manu non consecratâ Diaconi. Suarez & 2. Etsi contrarium doceat Præposit. & *2,p.2.tr.14.resol.53.& 54.& part.5.tr.3.res.48.& p.8.tr.1.resol.48.& p.11.tr.7.res.42.*

XXXII. Diacono non competit ex officio vlla dispensatio Eucharistiæ, etiam sanguinis;sed ex solâ commissione Episcopi, vel presbyteri.Suarez & 4.Etsi illud affirmet D. Thomas & 4. Ad quam commissionem requiritur al-

qua saltem iusta causa: vnde si constaret de nullitate causæ, non posset ministrare. Quamuis tamen sine commissione, & necessitate ministraret, non incurreret irregularitatem. Item non potest Diaconus, deficiente Sacerdote, in die parasceues hostiam præconsecratam in altari consumere, & reliquas cæremonias peragere. Amic. sicut non posset perficere Missam deficiente Sacerdote post consecrationem: quia in vtroque casu actiones illæ sunt propriæ Sacerdoti. *p.11.tr.7.res.44.*

XXXIII. Non solùm in articulo mortis, sed etiam in magno festo v.g. Natiuitatis Domini, si absit sacerdos, posse Diaconum Eucharistiam ministrare, docet Quintanad. Sed communiter hoc non conceditur nisi in extremâ necessitate ad dandum viaticum. Sed vt Diaconus ministret de licentiâ sacerdotis, non requiritur tam grauis causa, sufficit si sacerdos concionibus, vel confessionibus &c. occupetur Præpos. *p.9.tr.6. res.39.*

XXXIV. In articulo mortis si parochus absit vel iniustè neget licentiam, possunt Regulares Eucharistiam ministrare, non tamen solemniter per plateas deferre; hoc enim proprium est Parochis. Suarez & 7. Ab excommunicatione autem quæ lata est contra Regulares si Eucharistiam ministrent Clericis vel laicis sine licentiâ, excusat quæuis ignorantia, propter verbum *præsumpserint. p.9. tr. 9. res.63.& p.5.tr.3.res.51.*

XXXV. In articulo mortis, si alius non adsit, potest Eucharistia sumi à sacerdote excommunicato etiam nominatim, & ab alio quocumque à quo posset tunc peti absolutio. Suarez & 3. Imò si quis laicus in eo articulo alium ministrum non habeat à quo Eucharistiam sumat, nihil obstare videtur, quo minùs seipsum communicare possit, exemplo Mariæ Scotiæ Reginæ. Suarez & 12. Etsi Lugo ad hoc requirat priuilegium Pontificis. Imò etiam alios in simili casu communicare posset laicus. Coninc & 18. Idemque est si Parochus, vel sacerdos præsens nollet infirmo viaticum ministrare, aut laico licentiam ministran-

di concedere. Suarez & 4. Etsi contrarium doceat Pasqualig. Quod etsi verum esset, & laicus illicitè ministraret, probabiliter tamen non incurreret irregularitatem. Dicastill.& Giballin.Etsi hoc affirmet Suarez & 14. *p. 3. tr.4.res.47.& p.5.tr.3.res.49.& 47.& p.9.tr.6.res.39.& p.8. tr.1,res.48.& p.11.tr.7.res.44.*

Eucharistia præceptum.

XXXVI. Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medij, sed solius præcepti. Suarez & 6. Etsi contrarium probabile sit.Layman & *5.p.13.tr.6.res.95.& p. 5.tr.13.res.28.*Ideò etsi posset Ecclesia permittere infantibus eius sumptionem,non tamen ad hoc tenetur. Quod si fortè infans casu inuentas sacras species ex gulâ,vel leuitate deglutiret, vel etiam si sacerdos per incuriam, dum alios communicat, illi porrigeret, non apparet cur gratiam non reciperet. Lugo & 8. Posset etiam Pontifex aliquem ob grauissima crimina priuare communione etiam in articulo mortis:quod tamen fieri non solet,sed quibuslibet etiam damnatis ad mortem dari iubetur iuxta motum proprium Pii V.*part.8.tractat.1.resol.45.& 79.& p.10. tr.11.res.18.*

XXXVII. Præceptum sumendi Eucharistiam est diuinum.D.Thom.& 11.Obligat in articulo mortis. Granad. & 5. Et prætereà aliquoties in vitâ.Quamuis seclusâ determinatione Ecclesiæ non peccaturum mortaliter qui totâ vitâ vsque ad periculum mortis eam non sumeret, doceat Vasquez & 2. Et in articulo mortis omittere non esse mortale si absit contemptus.Bonauent. & 5. Sed contrarium est dicendum. Sotus & 4. Imò simpliciter non obligare nisi semel in vitâ, quocumque tempore, docet Bauny & Ledesm.Sed Apage.*p.9.tr.9.res.46.& p.3.tr.4.res.* 40. Non obligat tamen Infideles.Sanchez & 2.Etsi id velit Suarez & *3.p.8.tr.7.res.*81.

XXXVIII. Communio sub vtrâque specie laicis iure

Diuino præcepta non est:sed iustè ab Ecclesiâ est prohibita; ita vt nec in articulo mortis possit commicare sub specie vini,qui non posset sub specie panis;cùm non sit Sacramentum necessarium. Suarez & 4. Contrarium tamen docet Ochagauia. Et non damnat saltem peccati mortalis, qui id faceret in eo casu, ex benignâ legis interpretatione,Amicus.Et saltem cum consensu Episcopi permittit Nugnus. Quod olim apud Græcos vsitatum fuit. Tolet. Absolutè tamen potuisset Ecclesia ita præcipere solum vsum calicis, sicut nunc præcipit solum vsum sub specie panis sed hoc non decuit. Fagund.Sed saltem etiam nunc possent species vini à laico sumi, si sacerdos post consecrationem deficeret, nec alius adesset, & periculum esset ne species corrumperentur, vel deuenirent in manus Infidelium.Vasquez.*p.8.tractat.*1.*res.*24.*&* 25.*&* *p.*5. *tractat.* 3.*resol.*34.

XXXIX. In primitiuâ Ecclesiâ fuisse preceptum quotidie communicandi probabiliter affirmat D. Thom. & 5.Sed etiam probabiliter negat Bellarm. &3. Nunc autem omnes tenentur in Paschate,etiam Hæretici. Etsi hoc neget Bernal. Sed qui communicat in Ecclesiâ Cathedrali suæ diœcesis satisfacit præcepto;eò quòd illa sit communis parochia totius diœcesis.Borbos. & 7.Sed contrarium est probabilius. Sanchez & 2.*p.*8.*tr.*1.*res.*27.*&* *p.*9.*tr.*9.*res.* 64.*&* *p.*10.*tr.*16.*res.*33.*&* *p.*11.*tr.*7.*res.*28.

XL. Pueri prius sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ, nam minor rationis vsus, & discretio ad illud requiritur.Suarez & 19. Sancius tamen & 2.contendunt vtrumque præceptum eodem tempore obligare: licet ob communionem in Paschate omissam ante annum 14. non ligentur censuris. Homobon. & 6. Idem de publicis meretricibus docet Leand.& 6. eò quòd non soleant denuntiari. Romæ tamen priuantur ecclesiasticâ sepulturâ si moriantur sine confessione. Quod si Confessarius dubitet an puer sit doli capax, potest ei dari Eucharistia.Lugo & 3.Etsi hoc neget Bernal.*p.*3.*tr.*6.*res.*70.*&* *in*

Addit.3,part.res.19.& p.4.tract.4.res.207.& p.10.tr.12.resol. 36.& tr.16.res.36.

XLI. Excommunicati; suspensi & interdicti excusantur à præcepto communionis, ideoque non tenentur ex hoc capite procurare absolutionem vt satisfaciant huic præcepto. Leand. & 2. Imò etsi nollent absolui eo fine vt non tenerentur communicare in Paschate, non peccaturos contra hoc præceptum, docet Pasqualig. *p.11.tract. 7. resol.14.*

XLII. Qui sumpsit Eucharistiam vno aut altero die ante Dominicam Palmarum, tenetur iterum communicare intra quindenam paschalem etsi priùs communicasset per modum viatici. Præposit. Licet contrarium doceat Pasqualig. *p.11. tr.7.res. 14.*

XLIII. Qui præuidet se in Paschate à sacra communione impeditum iri, non teneretur tempus præscriptum præuenire, dummodò intra eum annum semel communicauerit. Layman & 2. Sed qui præuidet se impediendum totâ hebdomadâ post Dominicam Paschatis, tenetur communicare in hebdomadâ Sanctâ; quia tunc obligat præceptum. Quod si alicubi liceat etiam ante Dominicam Palmarum præcepto satisfacere, non teneretur tamen ante eam communicare qui præuideret se totâ quindenâ Paschali impediendum: sicut non teneretur matutinum pridie legere qui præuideret se toto die sequenti impediendum. Dicastill. Qui verò tunc non communicauit non tenetur posteà communicare. Granad. & 16. Sed contrarium est probabilius. Suarez & 10. Qui autem communicauit indignè, satisfecit præcepto Ecclesiæ: quia Ecclesia nihil præcipit, quam vt in Paschate corpus Domini sumatur Suarez & 18. *p.3.tr.4.res.42.41.& 43.& in Addit.3. p.res.14.& p.5.tr.13.res.3.& p.11.tr.7.res.29.*

XLIV. Quando in priuilegiis Regularium, vel Bullæ Cruciatæ quoad ministrandam Eucharistiam excipitur dies Paschæ, intelligitur communio paschalis formaliter, siue per quam satisfiat præcepto. Suarez & 10. *p.4.tr.4.res.*

81.*&* *p.8.tr.1.res.88.& p.9.tr.1.res.25*. Possunt tamen Episcopi prohibere Regularibus ne in die Paschatis administrent Eucharistiam etiam iis qui præcepto satisfecerunt. Henriquez & 3. Et est declaratio expressa Cardinalium Anno 1644.cum subscriptione Innocentii X.*p.9.tractat.9. resol.27.*

XLV. Regulares virtute suorum priuilegiorum posse in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis Eucharistiam ministrare Equitibus S. Ioannis, Calatrauæ, Alcantaræ &c.eò quòd sint veri Religiosi, docet Nigro.Sed hoc non placet; aliàs eodem modo possent illis ministrare extremam vnctionem.*p.10.tr.11.res.31*.Possunt tamen illam ministrare peregrinis & aduenis; nulla quippe fit Parochis iniuria. Sanchez & 4. *p. 3.tr.2.res.12.* Imò & quoslibet alios sæculares communicando apud Regulares, satisfacere Ecclesiæ præcepto, ex priuilegio concesso monasterio B. Mariæ de Guadalupe Ordinis S. Hieronymi,& postea à Pio IV.extenso ad omnia monasteria illius Ordinis,docet Rodriquez & 11.Quibus libenter adhærerem,nisi obstaret declaratio Sac. Congregationis. Imò posse etiam pro viatico eam sæcularibus ministrare inuitis Parochis, docet Bruno.Sed contrarium est dicendum.Lugo & 2.*p.2.tr.14.res.73.& p.6.tr.7.res.58.& p.11.tr.2.res.16.& tr.7.res.4.*

XLVI. Vt satisfiat præcepto sufficit tacita licentia Parochi & ratihabitio etsi sit de futuro. Idem est vt licitè ministretur extrema vnctio. Secùs dicendum de confessione & matrimonio. Fagund. *&* 2. *part.*11. *tractat.* 7. *resol.*28.

XLVII. Regulares qui communicant more laico tenentur Eucharistiam sumere de manu proprii Prælati, vel alterius de eius licentiâ, vt satisfaciant præcepto.Pasqualig. *Ibid.*

XLVIII. Omnis fidelis qui non est notorius excommunicatus, nec notorius peccator, si inciderit in amentiam,debet Eucharistiam in articulo mortis sumere, mo-

dò abſit irreuerentia, & periculum vomitûs. D. Thom. & 3. Extra illum articulum amentes non ſunt communicandi. Imò & infidelis in articulo mortis naturalis, vel violentæ conuerſus ad fidem, ſtatim poſt baptiſmum eſt communicandus. Sancius. Pueris verò in articulo mortis dari poteſt etiam quando dubitatur an ſint doli capaces, & ſufficienter diſcernant hoc Sacramentum. Lugo & Poſſeuin. Non tamen obligantur eam ſumere niſi eâ ætate quâ obligantur præcepto Eccleſiaſtico. Vaſquez & 3. Hoc autem non tenentur ante annos pubertatis. Marat. *p.2.tractat.14.reſ.78.& 79.& p.5.tr.3.reſ.46.45.& 44.& tr.14.reſol 50.*

XLIX. Ne æger ſine viatico decedat, poſſe ſacerdotem celebrare non ieiunum, etiam in fermentato, ſine veſtibus ſacris, & ſine arâ conſecratâ, eò quòd hæc omnia ſint de iure humano, docet Tho. Hurtad. Quod tamen non eſt admittendum niſi in caſu quod id neceſſarium eſſet ſacerdoti ſic celebranti ad euadendam mortem quæ intentaretur non in contemptum Religionis. *p.11.tr.6.reſ.15.& 25.*

L. Si infirmus ſex, aut octo diebus antequam in mortis periculum incideret, communicauerit, non obligatur iterum ſumere Euchariſtiam per modum viatici. Layman & 10. Multo minùs ſi in articulo mortis ſumpſerit, etſi poſteà iterum peccarit. Lugo & 3. Alij putant ſufficere ſi in Paſchate communicauerit. Caiet. & 5. Sed contrarium eſt tenendum. Quamuis etiam quidam doceant, ſimpliciter omittere Euchariſtiam in articulo mortis, non eſſe mortale Bonauent. & *5.p.3 tr.4.reſ.40. & p.5.tr.3.reſol.41.43.& 42.& p.11.tr.6.reſ.17.* Poſſet tamen quis vnicâ communione ſatisfacere vtrique præcepto, ſi tempore Paſchali periculosè ægrotaret, etſi deinde intra illud tempus adhuc durans conualeſceret. Pellizzar. Quamuis hoc neget. Quintanad. *p.10 tr.11.reſ.39.*

LI. Qui manè communicauit, & à prandio incidit in periculum mortis, poteſt iterum communicare, confor-

miter sententiæ asserenti, per priorem illam communionem non esse satisfactum præcepto diuino communicandi in articulo mortis:Hurtad.& 14.Contrarium tamen est probabilius, Suarez & 15. Alter casus quo laicus posset bis eodem die communicare est, quando immineret periculum irreuerentiæ inferendæ Sacramento,neque aliter hoc seruari posset,Hurtad.& 2.*p.4.tr.4.resol.*197.*& p.5 tr.3.res.* 33. *& p.6.tr.6.res.*18.*& p.8.tr.1.res.*87.*& p.10.tr.11.res.*40. *& p. 11. tract.7.res.* 21.

LII. Si in ægro sit periculum vomitûs, putà quia solet quemlibet cibum statim remouere, posse ei dari paruam particulam quæ iudicio Medicorum non esset alteratura stomachum docet Sancius: si verò etiam independenter à cibo solet vomere, posset tamen ei dari Eucharistia si saltem per sex horas vomitus cessasset. Sancius. *part.5.tract.* 3.*resol.*55.

Ieiunium ante communionem.

LIII. Qui cadens in flumen multum aquæ deglutiret,siue eam postea totaliter eiiceret, siue non, posse nihilominus communicare:itemque deglutientem aliquid cibi aut potûs, sibi dormienti, vel non aduertenti in os apertum ab altero iniectum; eò quòd illa non traiiciantur per modum cibi aut potûs, sed per modum respirationis, tradit Bossius. Sed ego putarem propter reuerentiam Sacramenti abstinendum,*p.*10.*tr.*16.*res.*49.

LIV. Sacerdos qui misit in os aliquid sacchari ante somnum, si dubitat an post mediam noctem aliquid in stomachum traiecerit, non potest illo die celebrare, quia non est ieiunus Suarez Vasquez & 15.Etsi contrarium doceat Bauny & 2. *p.* 2. *tr.*14.*res.* 51. *& p.* 6.*tr.*7.*res.*15. Imò quamuis sciret se post mediam noctem adhuc deglutiisse, posse nihilominus celebrare, non improbabile censet Amic.& 2. Sed tu Lector iudica. *p.*7.*tr.*12.*res.*10. In hac autem ieiunij fractione non datur materia parua .D. Thomas & 8. Et contrarium improbabile est, quidquid ali-

qui dicant. *p.5.tract.5.ref.12.& p.6,tract.8.ref.8.& part.10. tract.* 16. *ref.*49.

LV. Particulæ consecratæ probabiliùs non frangunt ieiunium naturale : vnde secunda communio eodem die non prohibetur ratione ieiunij violati per priorem (etsi hoc velit Fagund.) Sed si sacerdos communicasset sine ablutione, posset vrgente necessitate posteà eodem die celebrare. Tho. Hurtad. Magna tamen quantitas particularum consecratatum, violare posset ieiunium etiam Ecclesiasticum, cum nutriant æquè ac non consecratæ Tancredi. *p.11.tr.6.ref.15.&* 35.

LVI. Sumere aliquid per os quod non est comestibile, vel nutritiuum, non frangit ieiunium naturale, etsi sumatur cum intentione sumendi per modum cibi, quia per intentionem non fiunt cibi: quo nomine solùm comprehenduntur ea quæ per se loquendo alterari possunt à stomacho, vt non sunt aurum, lapilli, papyrus, &c.Lugo & 14.*p.3.tr.4.ref.38.& p.5.tr.13.ref.1. & p.11. tr.6. ref.22.* Idem est si aliquid è propriis vnguibus, sanguinis è vulnere deglutiat. La Cruz. & Coron. *p.2.tr.14.ref.52.*

LVII. Qui sumit mane tobachum siue in folio, vel puluere per nares, siue in fumo, siue in folio sumpto in ore, non frangit ieiunium naturale. Lugo & 7.*p.5. tr.13. ref.1. &p.8.tr.7.ref.3.&p.10.tr.16.ref.24.* Sicut nec qui reliquias cibi pridie sumpti dentibus inhærentes voluntariè deglutit. Suarez & 8. Aut qui aliquantulum aquæ per nares attrahit, quod in stomachum deinde transit: aut si aliquid etiam nutritiuum attrahatur respirando v. g. musca. Fagund. *p.3.tr.4.ref.37.& p.4.tr.4.ref.104.*

LVIII. Qui dubitat an sit ieiunus, non tenetur abstinere à Communione : quia lex Ecclesiastica de ieiunio à communicaturis seruanda, non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. Sancius & Layman. Quod verum est siue dubius sit an aliquid comederit, necne : siue an comederit post 12. noctis, sciens se circa illud tempus comedisse. Layman & 10. Etsi in posteriori

hoc dubio id neget Lugo. *p.*3.*tr.*4.*res.*29.*& part.*10. *tr.*12. *resol.* 17. *& tractat.* 13. *res.* 54.

LIX. Qui credens transiisse mediam noctem communicaret, & posteà deprehenderet nondum fuisse mediam noctem posset iterum communicare, etsi post primam communionem comedisset. Bernal. *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 49.

LX. Si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam 12. mediæ noctis, aliud non sonuerit, potest qui tunc comedit, communicare die sequenti. Sin vnum tantùm sit horologium, si quis bibat vbi cœpit sonare 12. non poterit die sequenti communicare; quia ad primum horæ (vel præludij. Lugo & Præposit.) pulsum iam est hora expleta, & horologium est tantùm index. Vnde qui comedit, cum audit primum pulsum horæ 12. debet eiicere ex ore bucellam, si die sequenti Eucharistiam sumere velit Sanchez & 5. Quamuis aliqui putent hoc non mathematicè, sed moraliter sumendum: quo modo hora 12. censetur durare vsque ad vltimum pulsum. Bresser. & 2.*p.*3.*tr.*4. *res.*36.*& p.*4.*tr.*3. *res.*19.*& p.*6. *tr.*6. *res.*34. Imò & ad quadrantem horæ id extendit Caram. & Pasqual. Et saltem ad medium quadrantem quando vnicum est horologium: vel si plura sint, ad moram salutationis Angelicæ post omnes pulsus vltimi horologij, Verricelli. Sed hæc prorsus reiicienda vt contraria praxi Ecclesiæ. *p.*7.*tr.*11. *res.*15. *& p.*10.*tr.*13.*res.*54.*& tr.* 16.*res.*49.

LXI. Potest Eucharistia ministrari reo eo ipso die quo est supplicio afficiendus, etiamsi non sit ieiunus. Suarez & 7.*p.*3.*tr.*6. *res.*59. Imò etiam vnicâ horâ ante mortem quando hæc differri non potest. Sancius & 3. *p.*5. *tr.* 3.*res.*38. Quæ vera sunt etsi pridie communicasset ex deuotione. Quintanad. & 3. Tenetur tamen etiam tunc communicare ieiunus, quoties potest sine notabili incommodo, vti & ægri tenentur, vt habet praxis communis Ecclesiæ. Lugo & 11. Nec contrarium admittendum est quod docet Tho. Hurtad.*p.*9.*tr.*6.*res.*42.*& p.*11.*tr.*6.*res.*16.

LXII. Si

LXII. Si Eucharistia ob mortis periculum sumpta sit à non ieiuno, potest iterum sic accipi sexto pòst die. Filliuc.& 4. Imò sic poterit sequenti statim die iterum communicare,si non possit ieiunus modò idem mortis periculum instare videatur. Castrop. & 6. Sed hoc contra Rituale Romanum.Poterit tamen sumere post duos dies :vt si sumpsit feriâ 2. poterit iterum sumere feriâ 5. sic enim dicetur sumere post aliquos dies , vt vult Rituale. *p. 2.tr. 14.ref.75.&77.&p.3.tr.4.ref.44.& p.5.tr.3.ref.37.&part.9. tr.9.ref.47.& p.11.tr.6.ref.17.*Aliqui tamen generatim docent ab infirmis non ieiunis posse toties sumi , quoties à sanis ieiunis ; eò quòd ab hac lege in Concilio Constantiensi excipiantur infirmi sine vllâ limitatione. Hurtad. *p.4.tr.4.ref.195.*

LXIII. Si æger laboret difficultate aliquid trasmittendi, potest ei dari communio , impositâ paruâ hostiæ particulâ in cochleari cum vino , vel aquâ , non autem cum iusculo,nisi fortè illa alia iudicarentur à Medicis nocitura.Præpos.*Ibid.ref.104.& p.10.tr.16.ref.80.*

LXIV. In necessitate ne Eucharistia deueniat in manus Infidelium, potest sumi à non ieiuno : sed potiùs sumenda est à laico ieiuno,quàm à sacerdote non ieiuno:ab hoc tamen potiùs quàm ab excommunicato licèt ieiuno. Dicastill.*p.10.tr.13.ref.53.*

LXV. Sacerdos sumpto cibo non potest celebrare ad communicandum infirmum morti proximum. Nauarr. & 9. Non desunt tamen , qui contrarium probabile putent.Maior & 5.In quatuor autem casibus Sacerdos potest non ieiunus sumere Eucharistiam. I. si aquam pro vino infusam hausit ; tunc enim propter integritatem sacrificij debet vinum consecrare , & sumere. D. Thom. & 4. II. Quando post haustum calicem, & ablutionem, videt reliquas hostiæ in patenâ , vel corporali.Henriquez & 5.III. Quando post consecrationem moritur Sacerdos , aut non potest perficere Sacrum , debet alius etiam non ieiunus succedere,si nullus adsit ieiunus.Coninc & 3.IV. Quando

post consecrationem recordatur se non esse ieiunum. Vasquez & 3. Quòd si recordaretur antè consecrationem, teneretur ab altari recedere,nisi id fieri non posset sine notâ. Præpos. *p.2.tr.14.res.66.& p.3.tr.4.res.33.& p.4.tr.4.res.104.& p.5.tr.3.res.35.*

LXVI. Sacerdos moriturus si non potest aliter sumere viaticum,potest celebrare non ieiunus. Lugo & 2. *p.5.tr.3.res.36.* Similiter & pro aliis casibus posset Pontifex dispensare;cùm præceptum sit Ecclesiasticum. Et sic Cardinalis coram Pontifice nocte Natiuitatis DOMINI ante mediam noctem celebrat non ieiunus : Vel potiùs Pontifex tunc diem illum anticipat. Lugo & Auersa. Non potest tamen Cardinalis ille tunc manè alias Missas facere cum iam celebrauerit pro die Natiuitatis. Dicastill. Sicut quiuis alius Sacerdos qui eo die communicasset more laicorum,non posset posteà celebrare ; quia priuilegium tres Missas dicendi conceditur solis celebrantibus , quod ius amittitur communicando more laicorum. *p.8.tr.1.res.89. & p.11.tr.4.res.43.*

LXVII. Si Sacerdos finito Sacro in Sacristiâ inueniat aliquod fragmentum in patenâ vel calice , non debet illud sumere;quia quamdiu est in altari. illa sumptio refertur ad vnum idemque sacrificium ; secùs autem si ab illo discesserit:(etsi contrarium doceat Leand. & 4.) tamen si nullus alius Sacerdos esset post illum celebraturus , qui in eodem calice ieiunus accipiat,& ibi non asseruatur SS. Sacramentum,tunc potest non ieiunus illud fragmentum accipere. Suarez & 5. Imò posse illas particulas sumere etiam postquam ad Sacristiam peruenit quamdiu adhuc sacris vestibus est indutus,docet Granad.& 2. Neq; in his facienda est distinctio quoad magnas particulas , vel paruas.Suarez & 2.*p.3.tr.4.res.45.& p.5.tr.14.res.43.& p.6.tr.6.res.17.& p.10.tr.13.res.54.*

LXVIII. Etsi Sacerdos longo tempore Eucharistiam distribuerit immediatè post finitum sacrum , poterit vasa purificare , & particulas in illâ Missâ consecratas consu-

mere; quia est adhuc eadem actio & consummatio sacrificij: imò etsi ab alio antè consecratæ sint, si commodè seruari non possint. Suarez & 2. p.10.tr.13.res.53.

LXIX. Post ablutionem non potest Sacerdos sumere particulas ab alio consecratas: multò minùs laicis infirmis non ieiunis dari possunt inuentæ in patenâ, vel pixide. Vasquez & 10. Contrarium tamen quoad vtrumque docet Marchin. & inclinat Castrop. Sed an probabiliter aliis remitto. *p.6.tr.6.res.23.& p.9.tr.6.res.37.* Nunc autem iudico id esse probabile. Marchin.& 2. v.g. si dum ægro in paruâ pyxide defertur Eucharistia vinum deinde infundatur in pyxidem, vt cum eo simul fragmenta sumantur ab ægro. *p.10.tr.13. res.53.*

LXX. Si quis proximè ante medium noctis cœnasset in Dominicâ pridie Natiuitatis DOMINI, posset statim post mediam noctem celebrare: sicut etiam nemo tenetur post communionem certo tempore à cibo abstinere. Villalob. & 2. *p.3.tr.4.res.44.*

Eunuchus.

I. NOn licet Principi, vel parenti castrare filium, vel seruum, quamuis consentientem, ad conseruandam vocem, aut similem causam. Lugo & 7. Quamuis id affirmet Pasqualig.& 2. Similiter nec potest aliquis se castrare ob illas causas, aut etiam ad superandas tentationes carnis; quia hæ aliter superari, & meliùs possunt. Lessius & *9.p.3.tr.5.res.38.& p.6.tr.6.res.35.& tract.8.resol. 36.& part.7.tractat.7. resol.63.& part.9.tractat.8. resol.45.& part. 11.tr.1.res.23.*

II. Non sunt censendi eunuchi vt nequeant matrimonium contrahere, quibus testiculi intra corpus arte medicâ reconduntur, vt ab herniâ curentur; cùm eo non obstante verum semen emittant. Pontius & Leand. *part. 12. tract.3. resol.4.*

Excommunicatio.

I. EXcommunicatio est actus irretractabilis seu irreparabilis ad mentem Concilij Trident. *sess.* 13. *c.* 1. *de reform.* Vti & incarceratio, & tortura; quia absolutio ab illâ non potest posteà tollere damnum per illam illatum. Lezan. & 6. Etsi multi contrà sentiant. *part.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 21.

II. Potestate excommunicandi nemo potest vti in propriâ causâ per modum iudicij, potest tamen per modum defensionis contra violentum inuasorem *c. dilecto filio. de sent. excom. in* 6. Imò etiam posse per modum iudicij cum causa est ita manifesta vt negari non possit, docet Abbas. *p.* 5. *tr.* 9. *res.* 52.

III. Episcopus non potest excommunicare etiam per sententiam suum subditum existentem extra diœcesim, vel in loco exempto; quia iurisdictio non extenditur extra diœcesim. Nomine autem loci exempti intellige etiam monasteria Regularium. Si autem subditus deliquit in diœcesi, potest Episcopus illum excommunicare, etiamsi extra diœcesim sit. Coninc & 3. Quòd si inchoaret delictum intra diœcesim, & perficeret extra, non incurreret censuram. Suarez & 2. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 74. *&* *p.* 5. *tr.* 9. *res.* 66. 32. 37. *&* 33.

IV. Edictum superioris reuelare iubens delictum aliquod occultum, sub penâ excommunicationis intra certum tempus, non comprehendit eos qui tempore edicti sunt extra diœcesim, vel territorium, vel qui sunt ignari edicti: quare etsi post elapsum illud tempus non denuntient, non incurrunt excommunicationem; quia edictum vltra præfixum tempus non habet vigorem. Ita Armilla & 4. Sed tu à communi contrariâ sententiâ non recedas. Non tamen obligat ad reuelandas personas valde coniunctas v.g. filium; quia non est verosimile patrem velle illum infamari. Raynaud. Et idem videtur de complicibus

eiuſdem, quia per hos ipſe filius manifeſtatetur. Sed de hoc tu cogita. *part.3.tractat.5.reſol.95.& part.5.tractat.13. reſol. 69.*

V. Quando publicatur monitorium ſub pœna excommunicationis vt qui habent aliquas ſcripturas ſpectantes ad ius alterius de quo litigatur, teneantur eas reuelare, tunc non erit obligatio reuelandi quando magnum damnum imminet reuelanti, quod meritò præferri debeat incommodo quod alter patietur ex non-reuelatione. Raynaud. & Auila. Quod intellige niſi per furtum aut fraudem illas ſcripturas poſſideat, tunc enim niſi reſtituerit tenebitur ad omne damnum quod ex earum carentiâ alter patietur. Sicut & vniuerſim quoties earum retentio ſeu ſuppreſſio erit mortalis. Raynaud. *part. 9.tractat.9. reſol.48.*

VI. Quamuis Epiſcopus non poſſit citare ſubditum ſuum exiſtentem in alienâ diœceſi; quia hoc eſt iuriſdictionis (Auila & 7.) poteſt tamen ipſe extrâ diœceſim exiſtens excommunicare ſubditum ſuum quando res eſt adeô clara vt non indigeat cognitione cauſæ. Nauar. & *2.p.5.tr.9.reſ.34.& 35.*

VII. Si quis fiat ſubditus Epiſcopi poſt latam ab eo ſententiam excommunicationis v.g. in eos qui non manifeſtant aliquod furtum, non ligabitur illâ etſi ipſe ſciat; quia non erat ſubditus cùm ferretur. Auilla & 2. *Ibidem reſol. 36.*

VIII. Excommunicatus non poteſt alium excommunicare niſi ſit toleratus, neque Epiſcopi Inquiſitores, neque hi illos. Megal.*Ibid.reſ.50.135.& 51.*

IX. Integra communitas non poteſt per vnicam ſententiam excommunicari ab homine, ſed à iure poteſt. Hurtad.& 2.*Ibid,reſ.38.*

X. Excommunicatio debet neceſſariò ferri ſcripto, non quidem vt valida ſit, ſed vt licita, & aliter facientes incurrunt ſuſpenſionem. Prælati tamen Regulares quando excommunicant per ſententiam particularem ad hoc

non tenentur, ex priuilegio Leonis X. Aliud est quando id faciunt per modum statuti. Villalob. *Ibid.ref.73.*

XI Excommunicatio lata ex vi, aut metu, valida est sicut omnia alia per metum facta, nisi iure impediantur. Suarez & 4.*Ibid.ref.69.*

XII. Excommunicatio ferenda sine præuiâ monitione est signum obligationis sub peccato mortali: secus si monitionem requirat. Præpos. Aut nisi tantùm ad terrorem posita sit sine animo illam infligendi sine monitione. Sanchez. Etsi absolutè id neget Serra. Suspensio autem, interdictum, & irregularitas pœnalis, si absolutè non ferantur sed ferendæ sint, non sunt signum obligationis sub mortali. Castrop. & 5.*p.3.tr.6.ref.76.& p.5.tr.9.ref.21.& p.9.tr.6. ref.5.* Sic præceptum sub pœnâ suspensionis probabiliter non inducit peccatum mortale nisi expressé, aut æquiualenter id significetur. Nauarr. & 10. *part.12.tractat.2,resol.15.*

XIII. Paruitas materiæ excusat interdum ab excommunicatione vt si quis transiens paucis alloquatur Monialem: sicut excusat à reseruatione casûs, vt si quis exiguum quid furatus sit in Ecclesiâ. Graff. & 2.*p.3.tr.5.resol. 69.& p.5.tr.5.ref.46.*

XIV. In excommunicatione Papali de non efferendis libris e bibliothecâ communi, erit materia parua si liber non sit magni valoris v.g. trium solum aut quatuor florenorum. Pellizzar. aut si librum magni valoris non efferas nisi ad 3. vel 4. passus. Nec coalescunt eæ materiæ etsi id sæpe fiat, si primus liber semper referatur priùs quàm efferatur alius. *p.10.tr.11.ref.29.*

XV. Excommunicatio lata secundùm allegata & probata, sed ex causâ tamen falsâ obligat in publico ad vitandum scandalum, non in occulto. (etsi etiam hoc probabile sit ex eo quòd Iudex iustè procedat.) Neque tunc incurruntur pœnæ excommunicationis etiam quoad effectus externos inhabilitatis ad beneficia, vel irregularitates &c. Suarez & 2. Quòd si tantùm probabiliter iudice-

tur iniusta, incurruntur etiam omnes pœnæ, modò Iudex, etiam ex sententiâ probabili illam ferat Vasquez & 4. Contrarium tamen probabile est pro foro conscientiæ. Bordon. & *3.par.5.tract.9.resol.26.27.28.29.& 72.& par 9. tr.9.res.45.*

XVI. Non incurritur excommunicatio propter opus quod exterius solùm est veniale, etsi interiùs sit mortale, v.g.percussio Clerici. Portel & 3. Imò nec suspensio, nec interdictum probabiliter possunt validè ferri ob solùm veniale. Suarez & 3. Excommunicatio tamen lata contra aliquos quorum singuli paruam solùm quantitatem furati sunt, valida est *p.5.tr.9.res.41.47. & 54.& tr.5.res.65.& tr.10.res.19.*

XXII. Appellatio à sententiâ excommunicationis suspendit eius effectum. v. g.quando Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine vel à iure, ego appello à declaratione allegans quod non fecerim id propter quod erat lata, vel quod factum sit dubium &c.Hurtad, & 11.*p.5.tr.9.res.30*

XVII. Sacerdotes priuatim in domibus suis audientes lectorem iuris ciuilis, vel medicinæ non incidunt in excomm. Barbos. & 5. Neque si studeant legibus in scholis publicis, quatenus illud facit ad notitiam iuris canonici. Sanctarel & 2.Sed hoc intelligendum in foro interno:nam in foro externo præsumerentur excommunicari. *part.3.tr.5.res.27.*

XIX. Incendiarij nullamipso facto excommunicationem incurrunt, sed tenentur Episcopi illos excommunicare sub pœnâ suspensionis per annum à Pontificalibus. Castrop.& 10.Et si posteà denuntientur, tunc illa excommunicatio erit reseruata Papæ, ex *c. tua nos. de sent.excom.* Non sufficit tamen denuntiationem illam fieri edicto generali, sed debet fieri expressis nominibus incendiariorum.Turrian. & 3. Et si hoc neget Suarez. *part.9. tr.1.t,5. resol.10.*

XX. Extrahentes mercimonij causâ ex statu Ecclesia-

ſtico frumentum, oleum, legumina &c.in magna quantitate(qualis non cenſetur quæ vno equo deferri poteſt. Bonacin.)ex Bulla Vrbani VIII. incidunt in cenſuram reſeruatam. Leone & 2. Non autem qui panem coctum. Caſtrop.& Filliuc. Neque probabiliter qui farinam. Neque ſub nomine olei comprehenduntur oliuæ ; quia ferè ad comedendum extrahuntur. Caſtrop. Contrarium tamen probabile eſt, Filliuc. *Ibid.reſ.*43.

XXI. Qui eadem actione quæ tota ſimul fit, v. g. exploſione bombardę occidit duos, non incurrit duas excommunicationes, ſicut nec committit duo peccata. Suarez & Cornejo. Qui verò plures Clericos percuteret ſucceſſiuè, in tot cenſuras incurreret quot ſunt Clerici. Bonacin. & Alterius.Imò & qui percuteret Monachum Clericum, duas incurreret excommunicationes; quia ſunt ibi duæ circumſtantiæ diſtinctæ ob quarum ſingulas lata eſt excommunicatio:vna ratione ſtatûs clericalis, & altera ratione ſtatûs religioſi.Suarez & 2.*part.*5.*tractat.*9.*reſol.* 59.*&* 60.

Quis vitandus

XXII. Vt excommunicatus ſit vitandus non eſt ſatis quòd ſit condemnatus de crimine, cui certò conſtat annexam eſſe excommunicationem, ſed debet expreſsè denuntiari excommunicatus. Sanchez & 2. Ex quo ſequitur poſſe adhuc aliquem communicare cum hæretico damnato ab Inquiſitoribus. Hurtad. *p.* 5.*tractat.*9.*reſ.*62.*& tr.* 14.*reſol.*97.

XXIII. Etſi notorium ſit delictum cui de iure annexa eſt excommunicatio, non poteſt tamen aliquis denuntiari hanc incurriſſe niſi præuia citatione perſonali; quia non eſt propterea ſemper notorium non poſſe illud factum aliquam admittere excuſationem. Panormit. & 15.Neque ſufficit citatio facta domi ſolitæ eius habitationis;quia hoc ſolùmverũ eſt quando reus dolosè latet.Vulpe & 4.*p.*10*tr.*12.*reſ.*4.

XXIV. In communicatione cum excommunicato est veniale ex paruitate materiæ si exigua pars Missæ v.g. vsque ad Euangelium cum illo audiatur. Auila. Vel si excommunicatus transiens per templum ibi attentus hæreat, donec breuis psalmus cantetur. Coninc. *p.5.tr.5.resol.* 21. Item si priuatim cum eo recitentur horæ. Suarez & 9. Item si in horis ipse dicat *Dominus vobiscum*; vnde neque per hoc fit irregularis. Layman & 4. Imò ab omni peccato id excusant. Auila & Hurtad. Sed hoc est contra communem. *p.5.tr.9.res.89.& 93.*

XXV. Cum nominatim excommunicato, vel denuntiato excommunicare in humanis & ciuilibus, non est nisi veniale. Suarez & 11. Etsi frequentissimè id fieret. Auila & 3. Excipe nisi hoc esset specialiter prohibitum. *Ibid.res.2.& p.7.tr.11.res.47.*

XXVI. Cum excommunicato patre potest filius communicare etiam emancipatus, vel adoptiuus, vel illegitimus: imò & nepotes, & pronepotes, vel in eodem gradu affines. Hurtad. & 4. Et cum filio pater, cum marito vxor, vel cum vxore maritus, nisi factum esset diuortium, Suarez. Item seruus cum domino, quamuis coniugium; vel seruitus tantùm cœpissent post excommunicationem. Coninc & 4. Item serui, vel filii cum alio seruo, vel filio (Turrian. & 4.) imò & dominus cum seruo. Non tamen sponsi de futuro cum sponsa. Sanchez & 2. Nec Religiosi cum Prælato, nisi quoad eam communicationem quæ ab habitantibus in eadem familia vitari non potest. Quòd si essent tolerati, possent Religiosi eis obedire, sed non tenerentur. Suarez & 4. *p.5.tr.9.res.*118. 119. 120. 122. 123. 124. 125. 126. *&* 127.

XXVII. Licita est communicatio cum toleratis ac si non essent excommunicati: resalutari autem potest etiam non toleratus. Coninc & 6. Imò salutatio quæ prohibetur intelligitur de solâ verbali, non de eâ quæ fit per signa reuerentiæ, v.g. aperiendo caput. Sayr. & 2. Communicatio verò in eâdem mensâ intelligitur ita vt fiat per modum

Societatis : vnde poteſt eſſe licita in eâdem etiam mensâ, ſi in eâ ſinguli ſeparatim comedant, aut ſi caſu & materialiter fiat, vt ſi in eodem hoſpitio vna menſa, vel etiam idem lectus cum excommunicato aſſignetur. Hurtad.& 3. Et contrà, illicita erit etiam in diuerſis menſis vel etiam cubiculis, ſi omnes ſpectent ad idem conuiuium. Auila & 2. Quoad cubicula tamen diſſentit probabiliter Suarez & 4. *Ibid. reſ.* 117. 116. *&* 121.

Effectus Excomm.

XXVIII. Excommunicatus validè recipit quæuis Sacramenta, etiam pœnitentiam, ſi non peccet eò quòd ſcienter ſic Sacramentum ſuſcipiat. Suarez & 6. Quod verum eſt quamuis excommunicatio ſit reſeruata, aut quamuis Confeſſarius ſciens peccata habere annexam excomm. tamen ex malitiâ pœnitentem abſoluat. Coninc & 6. Imò & licitè ea recipiet ſi ignoret vel ſe eſſe excommunicatum, vel illicitum eſſe ſic Sacramenta ſuſcipere, vel etiam, ſi id neceſſe ſit ad vitandam grauem infamiam, ſiue ſcandalum, ſiue damnum vt periculum mortis, vel quid ſimile. Præpoſ. & 2. Idemque eſt de adminiſtratione Sacramentorum etſi ſit nominatim excommunicatus & denuntiatus. *part. 3. tractat. 4. reſol.* 78. *& part. 5. tract. 9. reſ.* 53. 82. 81. *&* 96.

XXIX. Excommunicatus non peccat contra præceptum Eccleſiæ non audiendo Miſſam, etſi negligens ſit in procuranda abſolutione ; quia illud præceptum non obligat ad tam remotam diſpoſitionem ſicut obligat præceptum confeſſionis, & communionis annuæ. Suarez & 6. Contrarium tamen eſt probabile. Quòd ſi autem interſit Miſſæ, vel diuinis officiis non incurrit aliquam pœnam, ſed illum admittentes incurrunt excommunicationem minorem. Sed ſi eo caſu poſt auditam die feſto Miſſam abſolueretur ab excommunicatione ante prandium, teneri eo die aliam Miſſam audire ; docet Baucius ; eò quòd ex-

communicatus, cùm non obligetur,non possit satisfacere præcepto. Sed de hoc tu cogita. *p.4.tr.4.res.57.p.5.tr.9.res.* 88,*&* 95.*&* *p.10.tr.14.res.*10.

XXX. Excommunicatus non potest vti aquâ benidictâ;hoc enim spectat ad communicationem suffragiorum. Suarez & 2.Etsi quidam contrarium putant pium sentire. Turrian. Potest tamen ingredi Ecclesiam,& ibi orare, etsi alij fideles priuatim ibi orent : quia per hoc non fit communis oratio. Nauar.& Caietan Imò etiam dum fiunt diuina officia, modò solùm ingrediatur, vt transeat,non autem vt illis intersit; quia sic non dicitur communicare in diuinis, etiamsi transeundo flectat, & priuatâ oratione oret.Caietan. & 3.*p.5.tr.9.res.*90.*&* 86.

XXXI. Excommunicatus toleratus potest ministrare Missæ,si alius desit,& sit grauis causa celebrandi:nulla tamen Sacramenta licitè administrat, nisi propria,vel proximi necessitas excuset. Præpos. & Cornejo. Contrahentes tamen matrimonium non peccant peculiariter vt ministri; quia illa prohibitio ministrandi sacramenta spectat tantùm ad Clericos.Præpos.*Ibid.res.*91.83,*&* 85.

XXXII. Pro excommunicatis toleratis licet publicè orare,& sacrificium offerre. Henriquez & 4. Imò probabiliter etiam pro non toleratis, si per contritionem iustificentur ante absolutionem. Henriquez & 5. Pro his tamen non potest offerri sacrificium Missæ. Vasquez & 3. Quamuis contrarium probabile sit. Faber. Et multò certiùs potest quis priuatas orationes pro ijs offerre, etiam orando pro ipsis in *Memento* tempore Missæ. Filliuc. & 3. Vel etiam Missam , aut officium diuinum offerre quatenus habet effectus suos ex opere operantis;quia hoc modo opus illud aliàs publicum,fit priuatum. Hurtad.& Filliuc. *Ibid.res.*74.75.76.*&* 77.

XXXIII. Excommunicatus non toleratus inualidè absoluit etiam à venialibus. Auila & 2. Sed contrarium huius est probabile. Vasquez. Quod etiam ad mortalia extendere conatur Marchant ; eò quod iurisdictio videa-

tur so'ùm auferri quoad actus fori externi. Sed hoc non est admittendum. Item si ingrediatur Ecclesiam tenetur Sacerdos missam inchoatam omittere, ante canonem inceptum, imò & ante consecrationem : Etsi contrarium sit probabile. Suarez. Non est tamen necessariò siue in publico, siue in occulto vitandus in alio loco vbi delictum est occultum. Præpos. & 2. Sed non impeditur à suo debitore exigere debitum, & hic tenetur soluere. Lessius & 2. *Ibid. res.* 84. 92. 134. *&* 130. *& p.* 10. *tr.* 15. *res.* 14.

XXXIV. Excommunicatus etsi incapax sit omnis non tantùm beneficij, sed etiam officij Ecclesiastici, probabiliùs tamen non est incapax officij sæcularis habentis iurisdictionem; quia vsus tantùm iurisdictionis suspenditur. Suarez & 3. Etsi contrà sentiat Garsia. *part.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 34.

XXXV. Excommunicatus non potest esse actor in iudicio, potest tamen respondere per seipsum, nec procuratore opus est. Coninc & præpos. Nec potest esse Tabellio, & acta essent inualida : nisi ex consensu partium admitteretur, tunc enim valerent in foro conscientiæ. Suarez. Nec potest esse testis, si tamen admittatur, erit validum testimonium. Henriquez. Neque esse Procurator, aut Aduocatus nisi quando est toleratus, & inducitur ab alijs. Hurtad. & Villalob. Neque Tutor, aut Curator, sed contractus ab eo initi valent. Neque potest admitti ad executionem testamenti: si tamen non fiat oppositio validè exequitur. Carpius. Neque ipse potest licité testari, validè tamen id facit etiam cum excommunicatum instituit heredem. Suarez & 7. Contractus tamen omnes ab illo facti validi sunt, (Sanchez & 4.) nisi fiant ab eo vt à personâ publicâ, ratione muneris, vel beneficij; tunc enim spectant ad iurisdictionem. *p.* 5. *tr.* 9. *res.* 110. 111. 112. 113. 114. 115. 129. *&* 128. *& p.* 8. *tr.* 5. *res.* 2. *& p.* 11. *tr.* 4. *res.* 20.

XXXVI. Excommunicatus potest esse testis, vel accusator in causâ fidei, non tantùm validè, sed & licitè. Suarez & 6. non autem in causis matrimonialibus: sed assistentia Parochi excommunicati etiam non tolerati valida est. Sanchez & 6. Sed quamuis testimonio excommunicati vitandi fides tunc sit adhibenda, potest tamen eius depositio irritari ope exceptionis. Suarez & Coninc. *p.11.tr.4.ref.21.*

Excommunicatio ob percussionem Clerici. can. siquis suadente. 17. q. 4.

XXXVII. Percutiens Clericum qui non habet beneficium, neque requisita Concilij Tridentini, incurrit in excommunicationem; quia etsi hic Clericus amittat priuilegium fori, non tamen Canonis. Molina & 4. Quamuis incurrere negent. Suarez & 3. Item incurrit qui percutit Clericum coniugatum, etsi non deseruiat alicui Ecclesiæ, si ceteras conditiones obseruet. Auila & 2. Aut etsi habitum de facto non gestat, si communiter solet gestare. Leone. Item si quis vxorem eius percuteret in odium mariti, vel consanguineum in odium ipsius Clerici: (Squillant. & 3.) aliàs non; quia vxor per se non gaudet priuilegio canonis, sed fori tantùm. *p.3.tr.5.ref.82.& p.9. tract.4. ref.5. & 6.*

XXXVIII. Deferentes habitum clericalem ante primam tonsuram non gaudent priuilegio canonis, vti nec Clerici saluatici. ex decreto Congregationis. Item neque Clerici qui dimisso habitu grauibus se criminibus immiscent vt seditionis, assassinij &c. Suarez & 5. Similiter nec Hæretici aut schismatici. Villalob. & Portel. Gaudent tamen excommunicati, aut verbaliter tantum depositi. Squillant. Vti & per saltum promoti, vel ab alieno Episcopo, aut cum falsis dimissoriis. Marchin. *part.9. tr. 4. ref. 4.5.& 12.*

XXXIX. Qui non canonicè ad statum clericalem per-

uenit, vt si seruus sine licentiâ Domini ordinetur, gaudet tamen hoc priuilegio, donec de gradu deiiciatur. Megal. & Leone. Vti & inualidè professum eodem gaudere æquè ac Nouitium, docet Bordon. Quod tamen difficultate non caret: neque est paritas. Gaudent tamen damnati ad triremes: & ideò si Comites ttiremis excedant modum in officio suo, incidunt in hanc censuram. Leone & Rodriq. *Ibid. res.7.34. & 17.*

XL. Excommunicationem hanc non incurri ex notoriâ percussione Equitis Hierosolimitani, Calatrauæ &c. vel etiam cuiusuis alterius Religiosi qui non habet saltem primam tonsuram, docet Baucius; eò quòd tales non sint Clerici. Sed hoc non placet: quia canon ille est fauorabilis, ideoque sub nomine Clericorum veniunt Religiosi. *p.10.tr.14.res.9.*

XLI. Gaudent eo priuilegio Nouitij manentes extra conuentum cum licentiâ illicitè concessâ. Et à fortiori Nouitij laici ante quam annum nouitiatûs incipiant; sunt enim personæ Ecclesiasticæ. Bordon. & Leone. Similiter & incorrigibiles quousque vel authenticè declarentur tales, & tunc solùm illud amittunt respectu potestatis sæcularis per quam corrigantur: (Suarez & 2.) vel donec realiter degradentur. Laym. & 2. Tunc enim priuantur omni priuilegio clericali. Tollet. & 2. Imò gaudet & apostata etiam dimisso habitu Religionis & Ecclesiastico Leone & Bauny. Amittunt verò illud Clerici ioculatores, Goliardæ, & Bufones si per annum ea exercuerint. Suarez & 2. Item exercentes officium Carnificis, Macellarij, vel Tabernarij si coniugati sint, vel habitum dimiserint, & ter ab Episcopo moniti non destiterint, vel si desistentes iterum reassumant. *part.9.tractat.4.resol.12.13.& 29. & tr. 8.resol.45.*

XLII. Violentas manus iniicere dicitur qui infert iniuriam externam physicè contingentem personam Ecclesiasticam, vel res illi adhærentes, v.g. vestes siue id fiat immediatè, siue mediante aliquo instrumento. Vnde non

sufficit contumelia:sed sufficit si in loco aliquo includat, vnde nisi cum pudore exire non possit, aut si eum persequatur ita vt cogatur se præcipitare. Leone. Debet tamen actio illa semper esse mortalis: qualis non censetur cum, pueri pugnis se percutiunt ita vt sanguis è naribus effluat. Sotus. Quod tamen ex circumstantiis iudicandum est,cùm iniuria illa interdum sit grauis. Layman. & 2.*p.*9. *tr.*4.*ref.*27.

XLIII. Clerici per iocum se pèrcutientes, etiamsi deinde excedant,non incurrunt hanc censuram, nisi perueniatur ad mortale peccatum. Portel & 2. Sed incurrit qui Clericum arriperet per capillos vel barbam, vel caputium,dicens:*si non esses Clericus,percuterem te &c.* quia etsi leuis sit tactus,est tamen grauis iniuria. Syluest. & 5. Etsi id neget Bordon. A fortiori ergo incurret qui pugno vel baculo percuteret vno atque altero ictu. Suarez &. 5 quod negat Vidal. Similiter & qui veneno occidit; est enim actio iniuriosa personæ & statui.Suarez & 8.contraAuilã. Non incurrit tamen tunc censura donec venenum operari incipiat; nam antè non est actio violenta. Suarez & Squillante. Item non incurrit eam qui cingulum aut alias res Clerico dormienti eripit sine vi. Molin. & 7. Quidquid dicat Nald. & 5. Neque si quis manu tantùm repelleret Clericum; quia hæc non est grauis læsio honoris. Barbos. *Ibidem resol.*43.35.36.*&* 37.*& part.*10. *tractat.*14 *resol.*36.

XLIV. Si duo Clerici strictis gladiis se mutuo impetentes animo nocendi,ictus tantùm repellant, ita vt neuter percutiatur, non incurritur censura: quia debent reipsâ & in effectu manus violentæ inferri, nec sufficit conatus. Fragos. & 4. Quod si quis intendat percutere Caium clericum, & factâ diligentiâ tamen erret, & percutiat Titium clericum,incidit in censuram, nisi Titius non apparebat clericus propter habitum; tunc enim non esset facta iniuria statui clericali.Suarez & 3.Etsi absolutè non incurrere doceat Fragos.*p.*9.*tr.*4.*ref.*6.27.31.*&* 42.

XLV. Incurrit censuram qui Clericum vel Religiosum mortuum percutit; nam etiam mortuo fit iniuria & violentia. Tolet. & 8. Quamuis id neget Leone & 3. Item qui Clericum in sacris, cum quo tamen dispensatum est vt contrahat matrimonium, si percutiat antè quam illud contrahat, etsi habitum dimiserit. Squill. Item qui Religiosum laicum expulsum, etiam non deferentem habitum. De quo tamen tu cogita. *Ibid. res.* 39. 40. *&* 44.

XLVI. Clericus seipsum voluntariè percutiens probabiliter non incurrit hanc censuram; quod canon ille videatur loqui de personâ distinctâ. Castrop. & 3. Plerique tamen contrarium affirmant. Suarez & 43. Non incurrit autem consentiens in sui percussionem, sed incurrit qui consentientem percutit; quia non potest hoc priuilegio cedere. Suarez & 3. *Ibidem resol.* 8. *&* 9. *& part.* 3. *tractat.* 5. *resol.* 81.

XLVII. Qui non impedit percussionem Clerici, cùm teneatur ex iustitiâ, incurrit censuram: non autem si ex solâ caritate teneatur. Molin. & 5. Etsi hoc etiam affirmet Suarez & 3. Saltem si ex malitiâ omittatur, non autem si ex verecundiâ vel timore. Tolet. Item eandem incurrit mandans, consulens, auxilium præbens, si percussio sequatur. Molin. & 2. Etsi mandatum esset tacitum, vt si diceret amicis, se optare vindictam. Suarez & 2. Imò & qui suo nomine factam, posteà ratam habet, si ipse habilis erat ad committendum delictum cum factum est. Villalob. & 2. Idemque probabilius est etsi mandatum vel consilium reuocatum fuit, si tamen alter eo motus fuerit. Molin. & 4. Etsi contrarium probabiliter doceat Layman & 5. Item incurrit qui pœnitens de mandato conatus est reuocare, nec potuit. Villalob. & 3. Quidam tamen etsi hoc admittant de irregularitate, negant tamen probabiliter de quauis censurâ. Leone & 4. Et conformiter sentiendum de pœnitente antè quàm causa posita effectum habeat v.g. venenum datum mortem inferat. *part.* 9. *tractat.* 4. *resol.* 3, 14. 15. *&* 16.

XLVIII. Pa-

XLVIII. Patrem qui filium Clericum, etiam in ſacris, caſtigat, non incurrere hanc cenſuram docet probabiliter Suarez & 10. Contrarium tamen eſt probabilius. Molin. & 3. Magiſter autem aut Pædagogus poteſt correctionis gratiâ Clericum etiam in ſacris percutere. Item ſeniores Clerici iuniores in minoribus cum turbant Diuinum officium, non aliâ de causâ. Quod ſi omnes hi grauiter excedant modum, ita vt ſit mortale, incurrunt cenſuram: vti & ſi id faciant ex odio quod exteriùs manifeſtetur. Tolet. & 2. Qui autem ex officio poteſt corrigere Religioſum vt Prælatus, non incurrit hanc cenſuram, etſi eum percutiat contra conſuetudinem Religionis, vel contra præceptum Superioris mediati. Auila. *Ibid. reſol.* 1. 21. & 41.

XLIX. Quamuis de rigore iuris non poſſint Prælati Clericos corrigere per laicum: conſuetudo tamen id obtinuit, nec decet Eccleſiaſticos interdum id facere, vt capere, torquere &c. Coninc & 5. Multi tamen hîc contradicunt. Sed priuatæ correctiones non poſſunt fieri per laicum, ex *c. vniuerſitatis, de ſent. excom.* Magiſtri tamen poſſunt etiam per laicum punire. Molin. & 2. *Ibidem reſol.* 22. 30. & 23.

L. Mulier Clericum attentantem ſuam pudicitiam etiam verberibus repellere poteſt: ſin autem ſolis verbis tentet, verbis ſe defendere debet, niſi fortè hæc contra eius importunitatem non ſufficerent. Suarez & 5. Quamuis Rodriquez excuſet quæ ſolis verbis tentantem calceo percuſſerat. Similiter non incurrit cenſuram qui in defenſionem ſui vel alterius corporis, honoris, famæ, aut bonorum Clericum aggreſſorem percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ. v. g. ſi violenter expellas honorificam tibi ſedem occupantem &c. Caſtrop. & 6. *Ibidem. reſol.* 38. & 24.

LI. Non ligatur cenſurâ qui Clericum occidit cum vxore, matre, filiâ, aut ſorore turpiter inuentum, hoc eſt in iis circumſtantiis vt meritò coniici poſſit turpitudo

etsi datâ operâ se abscondisset vt eum sic deprehenderet: secùs autem si per dolum eum aduocari curasset, vt inuentum percuteret. Coninc & 5. Quæ tamen intelligenda, si percussio turpiter inuenti fiat incontinenti, & non ex interuallo. Neque eadem est ratio de sponsâ de futuro. Sanchez & 5. (Etsi id velit Couarr. & 2.) Neque de filiâ illegitimâ, vel adoptiuâ. Conic & 2. Etsi hoc etiam affirmet Garsias & Regucc. *Ibid. res.* 2. 32. *&* 33.

LII. Qui percutit ignorans esse Clericum excusari à censurâ, etiamsi ignorantia crassa sit, docet. Castropal. & 9. Imò etsi affectata. Leone. Contrarium tamen est probabilius, etiam de crassâ. Garsias. Talis autem ignorantia probari potest per eius iuramentum. Azor & 17. Quin & præsumptio iuris per illud iuramentum elideretur. Portel & 2. *Ibid. res.* 42. *& p.* 10. *tr.* 12. *res.* 4. Imò qui intendens percutere Petrum Clericum, per errorem percussit Ioannem etiam Clericum, probabiliter non incurrit excommunicationem: ideóque percussio talis etsi sit mortalis, non est reseruata. Suarez & 3. *p.* 11. *tr.* 6. *res.* 19.

LIII. Vt percussio Clerici sit notoria non sufficere notitiam sex hominum, nisi sint maior pars illius congregationis, docet Reginald. Quod vsque ad decem extendit Adrian. Vnde percutiens coram decem vel 12. non erit notorius percussor in magnâ ciuitate, sed esset in paruo oppido, viciniâ, vel Collegio. Auila & 2. Hoc tamen videtur potiùs prudenti iudicio relinquendum. *p.* 2. *tr.* 16. *resol.* 22. Quamuis autem esset notorius percussor, nemo tenetur eum vitare nisi percussio sit eiusmodi vt nullo modo excusari possit, quod non videtur posse constare ante Iudicis sententiam: facilè enim potest quis allegare se fuisse ebrium, vel se defendisse, vel ignorasse eam excommunicationem &c. Couarr. & 17. Neque tamen eodem modo vitandi sunt notorij mandantes, vel suadentes &c. percussionem; quia de solis percussoribus loquitur Concilium Constantiense. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 14. *& p.* 5. *tr.* 9. *res.* 61. *& p.* 9. *tr.* 4. *res.* 18. *& p.* 11. *tr.* 8. *res.* 21.

Vide *Absolutio ab excomm. Censura.*

Excommunicatio minor.

I. EXcommunicatio minor potest ob solum peccatum veniale ferri à iure, non tamen ab homine; quia hæc est grauis pœna. Hurtadus. *p. 5. tr. 9. res. 47.*

II. Qui ministrat sacramenta cum excommunicatione minori ne venialiter quidem peccat; quia tantùm priuatur passiuâ Sacramentorum participatione. Suarez & 7. Etsi alii venialiter peccare doceant. Coninc & 6. Alij etiam mortaliter. Vasquez & 2. Si tamen celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum, non incurrit irregularitatem, vel excommunicationem maiorem. Villalob. *Ibid. res. 3. & 45. & p. 3. tr. 4. res. 56.*

III. Absoluere ab illâ potest quiuis simplex sacerdos quando non est contracta per peccatum mortale, imò posse etiam quamuis esset per peccatum mortale, non est omninò à ratione alienum. Hurtad. & 2. Ex delegatione autem etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus potest ab ea absoluere, Cornejo. *p. 5. tr. 9. res. 3.*

Extrema Vnctio.

I. PRobabile est simplicem sacerdotem posse ex commissione Pontificis benedicere oleum pro extremâ vnctione. Præpos. & 5. Sed contrarium est probabilius. *p. 8. tr. 1. res. 30. & p. 10. tr. 12. res. 32.* Multo ergo minùs id potest ex commissione Episcopi. Coninc & 2. Etsi hoc velit Martinon. *p. 10. tr. 16. res. 81.* Oleo huic benedicto potest admisceri non benedictum, etsi id quod per varias vices paulatim additur, longè excedat quantitatem olei priùs benedicti. Lessius & 4. Etsi hoc negent Zambran. & Quintanad. Aliud esset si simul admisceretur maior quantitas olei non benedicti. Lessius & *5. part. 9. tractat. 6. res. 44. & p. 11. tr. 3. res. 15.*

II. Benedictio hæc olei requiritur de necessitate Sa-

cramenti, & contrarium asserere, temerarium dicit Suarez. Vnde in nullo casu necessitatis licet vti oleo non benedicto, vel solùm benedicto à sacerdote. Etsi hoc velit Martinon. Quando tamen non esset aliud oleum, posset adhiberi chrisma. Dicastill. & 3. *part.* 10. *tractat.* 16. *res.* 81. *&* *tr.* 11. *res.* 15.

III. Non possunt Parochi oleum ab Episcopo benedictum pro materia extremæ vnctionis præbere laicis vt ipsi infirmos vngant ad sanitatem tuendam vel recuperandam. Bellarm. & 3. Quamuis id affirmet Quintanad. *p.* 9. *tr.* 6. *res.* 43.

IV. Renouandum est quotannis oleum infirmorum, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum: si tamen nullum adsit oleum nisi vetus, potest eo inungi moribundus. Layman *p.* 3. *tract.* 4. *res.* 176. *&* *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 90. Imò nullum præceptum vetare oleo veteri vti, aut præscribere quotannis illud renouari, docet Henriquez & 2 Sed communiter contrarium docent. *part.* 9. *tractat.* 6. *resol.* 46.

V. Quando nouum oleum benedictum non sufficeret, posset illi admisceri vetus, sicut posset non benedictum. Sed si facta eâ mixtione adferretur aliud nouum sufficiens, tunc illud mixtum esset comburendum; quia deberet Sacramentum administrari cum illo nouo non mixto. Dicastill. *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 15.

VI. Formam indicatiuam in hoc Sacramento sufficere, alii aiunt: Becan. & 2. Alij negant. Coninc & 3. Vt vt sit, hæc videtur sufficere; *Vngo te oleo Sancto, & Deus tibi remittat quidquid peccasti*, &c. Suarez & 2. *part.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 175.

VII. Si Sacerdos omitteret illa verba *per suam piissimam misericordiam,* conficeret Sacramentum; quia causa principalis operans in hoc Sacramento, sufficienter per verba sequentia exprimitur. Suarez & 5. *Ibid. res.* 180.

VIII. De essentia Sacramenti est vt nominentur organa quinque sensuum, dum vnguntur. Castrop. & 3. Non est

tamen improbabile contrarium. Bonacin. & 2. Imò sufficere si inter vngendum omnes sensus dicat tantùm semel: *per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, docet Hermes & 2.*part.9.tractat.7.ref.56. & part.10. tr.12.ref.32.* Saltem si simul adiungeretur per visum, auditum, gustum &c. non fore mortale etiam citra necessitatem, docet Dicastill. Quod tamen in sola necessitate videtur admittendum. Lugo & Tanner. *p.10.tr.11. ref.11.* Esset autem mortale si verba quæ Diuinam misericordiam, & quæ omnes sensus exprimunt, omitterentur; cùm ex eorum omissione Sacramentum reddatur dubium. Præposit. & *5.p.11.tr.1. ref.18.*

IX. Ministrare hoc Sacramentum in necessitate sine superpelliceo, vel stola, non est mortale. Quintanad. & 2. Vel etiam sine lumine. Leand. Vel omittendo preces in manuali præscriptas etiam citra necessitatem. Granad. & Castrop. Aut si in illis loco Clerici respondeat femina. Quintanad. Aut etiam si sine ministro solus id administret. Leand. & 4. Sed hoc videtur solùm in necessitate admittendum. Tolet. & *2.p.9.tr.6.ref.46.*

X. Quando extrema vnctio esset ad salutem necessaria deficientibus aliis Sacramentis posset administrari à nominatim excommunicato, vel suspenso, etiam tempore interdicti. Trullench. & 2. Etsi alij contradicant. Villalob. & 2. Imò fortè id licet quamuis necessaria ad salutem non esset. Præpos. Idem est de susceptione Eucharistiæ per modum viatici. *part.5.tractat.3.resol.81. & 89. & p.10.tract. 11.resol. 64.*

XI. Probabile videri potest sufficere vnam olei stillam ad vnamquamque vnctionem huius Sacramenti. Suarez & Reginald. Saltem Sacerdos alio modo vngens infirmum quàm in formam crucis, non peccat mortaliter. Suarez & *5.p. 3.tr.4.ref.177. & 178.*

XII. Sacerdos peste grassante, potest vngere infirmum virgâ oblongâ oleo tinctâ, quam posteà comburat. Syluius & Chapeauuil. *Ibid.ref.167.* Imò omisso Crucis signo potest

vnam tantùm partem magis expositam inungere, additâ verborum formulâ. Granad. & 10.Sed melius est velocissimè vnum ex singulis sensibus membrum inungere, vnicâ sententiâ omnium partialium formarum sententias complectente dicendo: *Per istas vnctiones & suam &c. quidquid deliquisti per visum auditum,&c.*Coninc & 6.*Ibid. res.*168.& *p.*5.*tr.*3.*res.*79.& 80.& *p.*8.*tr.*1.*res.*21.

XIII. Si inter vngendum infirmum moreretur Sacerdos, posset alter succedere, & vnctiones restantes supplere. Turrian. & 5.Imò quando periculum esset ne Sacramentum non perficeretur moriente ægroto, licitè possent plures simul diuersos sensus inungere. Præposit. & 5. Nunquam tamen potest vnus sensum aliquem vngere, & alter formam illi respondentem pronuntiare: Neque vnus vnum oculum vngere, & alter alium, & sic de ceteris. Neque etiam potest sacerdos seipsum inungere; quia Sacramenta quæ in vsu consistunt requirunt ministrum distinctum. Vnde aliud est de Eucharistiâ, Mercer. *part.*5.*tractat.*3. *resol.*87.88.& 94.& *p.*9.*tr.*7. *resol.*56.

XIV. Non tenetur Sacerdos alius, absente Parocho, Sacramentum hoc ministrare ægro, nisi sub veniali, ex lege caritatis, præterquam si is grauiter indigeret, vt quia aliàs sine vllis Sacramentis esset moriturus. Layman. Quod si Pastor absit,vel si non possit,aut nolit, potest inferior Sacerdos, vel Religiosus, etiam renitente Parocho, infirmum inungere.Henriquez & 6.*p.*3.*tr.*4.*res.*170.& *p.*5. *tr.*3.*res.*82. Idem quoad hæc omnia dicendum de viatico ministrando. Leand. Etsi inuito Parocho id posse ministrari, neget Lugo. *p.*10.*tr.*13.*res.*31. Licentiam autem ad hoc concedere potest etiam Pastor excommunicatus; quia non est iurisdictionis. *p.*8.*tr.*1.*res.*56.

XV. Regulares possunt famulis suis in Conuentu habitantibus ministrare extremam vnctionem & Eucharistiam etiam in articulo mortis, vel die Paschatis, sine licentiâ Parochi, etiam quando sunt coniugati, & noctu

dormiunt extra Conuentum, si nimirum tempore mortis sint in Conuentu;quia etiam tales sunt commensales perpetui.Leand.& 3.Imò ex priuilegio possunt hoc præstare non solis familiaribus, sed etiam operariis, ac quibusuis hospitibus quos in monasteriis contigerit reperiri Suarez & 2. Videndum tamen an illud priuilegium non sit ex viuæ vocis oraculis.*p.3.tr.2.res.12.& p.5.tractat.3.resol.52.& part.9.tractat.9.resol.36.& tract.7.res.56.& p.10.tr.11.res.31. & p.11.tr.7.res.28.*

XVI. Ante susceptionem extremæ vnctionis non est necessario præmittenda confessio, vel communio.Filliuc. & 2.*p.5.tr.3.res.92.*

XVII. Etsi probabile sit gratiam conferri, quando vnica vnctio perfecta est cum sufficienti formâ verborum:(Becan.& Syluius) probabilius tamen est non conferri,nisi vltimâ vnctione perfectâ. Suarez & 8.*p.3.tract.4. resol.179.*

XVIII. Si Parochus omisisset vnctionem occulorum, vel aurium &c. non esset necessariò repetendum, nisi quando æger nullum aliud Sacramentum posset suscipere; cùm probabile sit omnes vnctiones non esse necessarias ad effectum. Leand. & 2. ideòque si repeteretur intra breue tempus non deberet suppleri nisi vnctio omissa: secùs si post notabile tempus Pellizzar. *part. 10. tractat. 12. resol.31.*

XIX. Non suscipere Sacramentum extremæ vnctionis,secluso contemptu, & scandalo, non est peccatum saltem mortale D. Thom. & 16. quia nullum præceptum ad id obligat. Non est autem contemptus si quis oblatâ occasione sciens & prudens illud prætermittat, quamuis iudicaretur vero similiter non futura posteà occasio. Tanner.Etsi hoc affirmet Tolet. Vnde etiamsi æger nollet illud suscipere,posset absolui per se loquendo.Quod tamen vix fieri potest sine scandalo aliorum si adsilit. San-Iuan. *part.3.tractat.4.resol.170.& part.5.tracta.3.reso.97.& p. 8. tr.1.res.58.*

XX. Non eſt differenda Extrema vnctio dum infirmus ſenſu,& cognitione careat:vel conſtet non poſſe eum naturaliter ſuperuiuere ; id enim eſt contra reuerentiam, & vtilitatem huius Sacramenti , quod etiam conducit ad corporis ſanitatem.Sotus & *2.part.3.tractat.4.reſol.*173. *&* *p* *5.tr.3.reſ.95.*

XXI. Moribundus qui alia Sacramenta non potuit ſuſcipere,poteſt inungi etiam tempore interdicti, ne ſine vllis Sàcramentis decedat.Henriquez & Zambran.*p. 3. tr. 4.reſol.*171.

XXII. Si peſte infecti confeſſi ſunt , poteſt Parochus tutâ conſcientiâ Sacramenta Euchariſtiæ,(Maior & Molfeſ.)& Extremæ vnctionis illis non miniſtrare.Villalob.& 9. Imò extremam vnctionem poteſt omittere quamuis confeſſi non ſint , ſi periculum vitæ ex adminiſtratione immineat : tum quia poteſt infirmus per contritionem ſaluari:tum quia non ſatis conſtat extremam vnctionem ſufficere ad delenda mortalia quoad culpam. Hurtad. & Tanner.*Ibid.reſ.*174.*&* *p.5.tr.3.reſ.*53.93.*&* 83.*&* *par.8.tr. 1.reſol.*21.

XXIII. Quando morbus eſt diuturnus vt hectica , vel hydropiſis , ſi poſt ſuſceptam vnctionem euaſerit periculum mortis, hoc poſteâ redeunte , debet iterum inungi. Zanard. & *2.part.5.tractat.3.reſol.96.&* *part.*10. *tractat.* 11. *reſol.*11.

XXIV. Quando ſtante eodem morbi periculo , accederet nouus morbus,qui per ſe & independenter à priori periculum mortis cauſaret , v.g.ſi periculosè laborans ab aliquo letaliter vulneretur , poſſe ſecundò ſuſcipi extremam vnctionem , docet Dicaſtill. *part.* 10. *tractat.* 11. *reſolut.*11.

XXV. Infirmo grauiter quidem , ſed non periculosè laboranti inualidè confertur extrema vnctio Suarez & 5. Vnde dum dubitatur an morbus hîc & nunc periculoſus ſit,non eſt miniſtranda. Layman. Debet ergo ſaltem probabiliter pericum adeſſe. Contrarium tamen probabili-

ter docet Chapeauil. Imò validum esse dum morbus est grauis,etsi non periculosus, docet Lessius. Imò & quamuis non esset grauis.Quintanad.& VViggers.Quod si quis suscepisset hoc Sacramentum quando morbus non erat periculosus, posset illud denuò suscipere quando incipit esse periculosus.Amic.& Quintanad.*p.9.tr.6.res.*45.

XXVI. Etsi mulieribus in partu communiter non possit dari extrema vnctio:aliud tamen est quoad eas quæ in illo videntur deficere, & sunt in probabili mortis periculo.Amic.& 10.*p.*10.*tr.*12.*res.*9.

XXVII. Adulto in articulo mortis recens baptizato, potest Sacramentum extremæ Vnctionis absolutè conferri.Henriquez & 10. *p.*3.*tr.*4.*resol.*172.*&part.*5.*tractat.*5. *resol.*86.

XXVIII. Omnibus pueris post septennium, nisi constet illos carere vsu rationis, danda est extrema vnctio, licet numquam communicarint. Layman & 6.*p.*3.*tr.* 6.*res.* 89. In dubio autem, an habeant vsum rationis, possunt inungi sub conditione.Sancius & 2.*Ibid.tr.*4.*res.*169.*&p.*5. *tr.*3.*res.*85. Similiter inungendus est mutus,surdus, & cæcus à natiuitate.Nald.*p.*5.*tr.*6.*res.*11.

XXIX. Parochus etiamsi ex confessione cognoscat puerum numquam actualiter peccasse, debet tamen illum inungere, nam illi proderit hæc vnctio ad robur acquirendum contra tentationes,& morbi molestias, & ad gratiam augendam.Suarez & 6.*p.*3.*tr.*4.*res.*181.

XXX. Etsi quis à natiuitate caruisset visu vel auditu, esse tamen in illis sensibus vngendum consuetâ formâ, probabiliter docet Valent. & Martinon. Quod negat Dicastill.*p.*10.*tr.*16.*res.*81.

XXXI. Phrenetici in articulo mortis si administrationi extremæ vnctionis resistant, ligandi sunt, vel fortiter tenendi: imò id necessarium erit quoties alia sacramenta suscipere non possunt.Granad.& 8.*p.*5.*tr.*3.*res.*84.

F.

FALSARIVS.

I. NOn est falsarius qui mutat scripturam in aliquâ re quæ nititur veritate, vt si testis aliquis subscripserat, & posteà amisso instrumento alioque confecto, subscribat alius nomine illius testis: aut si Notarius dum fecit instrumentum de mutuo dato pecuniâ numeratâ non apposuit *pecuniâ numeratâ*, posset posteà mutare seriem & apponere illud *pecuniâ numeratâ*, & sic de aliis. Gypt.& 6. *p.5.tr.14.res.40.*

II. Amisso testamento, vel alio instrumento publico, non licet confingere aliud simile: quia eiusmodi falsificationes licet nemini priuato faciant iniuriam, sunt tamen reipub. perniciosæ. Lugo & 4. Quidquid contra doceat Sà & Baucius. Sed si hoc fieret in instrumento priuato v.g.in syngraphâ datæ pecuniæ mutuæ, quando aliàs hęc recuperari non posset, non fore mortale docet Mazuchell.*p.3.tr.6.res.56.& p.9.tr.8.res.61.*

III. Qui litteras Pontificis corrigit iuxta eius mentem, v.g.cum petita est dispensatio in consanguinitate, & scriba posuit, in affinitate, qui restituit pro affinitate consanguinitatem, non est falsarius, nec incidit in censuras. Sayr. & 3. Quamuis id affirmet Suarez & 2. Tamen hoc non est faciendum; cùm difficulter quis possit esse certus de mente Pontificis. Idem dicendum si quis in litteris sui beneficij aliquid corrigat quod rei substantiam non mutat, v.g.nomen patrię, si in hoc erratum est. *p. 9.tr. 7. resol.15.*

VI. Qui non fuit particeps falsificationis litterarum Apostolicarum, sed postquam ab alio falsificatæ sunt, iis vtitur, non incurrit censuram falsificantium. Suarez & Sousa Neque defensores, aut fautores falsificantium: Imò neque falsificantes per alios: sed hi incurrunt censuram

cap. ad falsariorum. de crim. falsi. quæ tamen non est reseruata. *Ibidem.*

V. Posse Religiosos sine notâ falsitatis exhibere priuilegium sub nomine propriæ Religionis, quod tamen solùm habent per communicationem, idque ex priuilegio Iulij II. docet Bordon. Ego mallem priuilegium alteri Religioni concessum exhibere, & simul priuilegia communicationis. *p.10.tract.12.res.55.*

VI. Censura vel casus reseruatus contra conficientes falsum instrumentum, non comprehendit probabiliter qui illud solùm falsificant addendo aliquid vel detrahendo in præiudicium tertij; quia falsificatio scripturæ in rigore differt à fabricatione falsæ scripturæ. Mazuchel. *p.8. tract.7.res.82.*

Fama.

I. OBiicienti verum crimen, sed ita occultum vt alter peccet mortaliter illud euulgando, licet dicere: *mentiris*; hoc enim significat me non ita admisisse, vt ab aliis sciatur. Imo si adstantes non credant illum esse mẽtitum, potes etiam alia crimina obiicere, ex quibus inducantur in opinionem illum esse mendacem. Hurrad. *p.5.tract.13.res.26.*

II. Qui affectus iniuriâ v.g. per alapam vel fustem impactum, magnam famæ iacturam faceret, si fugientem non persequeretur, potest persequi inuasorem,& percutere, imò & occidere, etiam Clericum, si opus sit ad sui honoris reparationem, modò absit odium, appetitus vindictæ, & excessus. Henriquez & *9.p.2. tractat.15. resol. 15. & part. 5. tractat. 4. resol.11.& p.8.tract.7. res. 48. & p.9. tract.4.resol.25.*

III. Qui alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ,cùm posset fugiendo vitam seruare, non peccat, nec incidit in irregularitatem, si non potest fugere sine graui infamiâ. Suarez & *3.p.2.tr.15.res.16.* Vnde hoc non habet locum in personis vilibus, Ecclesiasticis,Religiosis,

Aduocatis, Medicis, Consiliariis &c. quibus armorum vsus aut professio non est; quia his fuga aut nihil, aut parum dedecoris adferre potest. Lugo. Quamuis quidam sine discrimine omnibus illud permittant. Bordon. & 2. Clerico saltem nobili hoc licet; quia huic fugere est probrosum. Lugo. Imò & de omnibus Clericis valde dubium esse docet Vasquez & Hurtad. Quilibet tamen qui non fugerit cum posset & teneretur, sed occiderit inuasorem, non peccabit probabiliter contra iustitiam, neque tenebitur ad restitutionem. Dicastill. & Trullench. *p. 8. tr. 7. res. 45. 46. & 49. & p. 9. tr. 4. res. 26.*

IV. Non licet præuenire & occidere inimicum paratum ad inuadendum, donec actu inuadat; quia nemini priuato licet alium occidere, nisi ad necessariam defensionem. Syluius contra Bannez. *p. 3. tr. 5. res. 90.* Clericum tamen vel Reliosum posse occidere calumniatorem minantem grauiter famæ ipsius, vel Religionis detrahere, grauia crimina spargendo, si non suppetat alius modus se defendendi, admittunt quidam. Amic. Sed hoc non est admittendum. Lezan. & damnatum est à sacrâ Congregat. Indicis. *p. 7. tr. 10. res. 28. & p. 11. tr. 1. res. 20.*

V. Licet clam occidere eum qui in iudicio conatur aliquem calumnis opprimere in causâ magni momenti, quia hoc non tam est occidere, quà se defendere. Bannez & 5. Iure tamen positiuo prohiberi id potest, & re ipsâ prohibitum est, nam talis occisor deprehensus, morte mulctatur, vt obuiam eatur infinitis cædibus, quæ sub prætextu tuendæ famæ, aut vitæ perpetrarentur. Coninc & 7 Eadem est ratio si falsis calumniis vellet te aliquis apud consanguineum infamare, ne tibi hereditatem relinquat, ex qua tua vita & familiæ tuæ dependet, si aliter non possis damnum illud effugere. Lugo. Sed in praxi vix potest occurrere vt ea omnia licita sint. *p. 3. tr. 5. res. 97. & p. 5. tr. 4. res. 7. & p. 8 tr. 7. res. 52.*

VI. Moriturus qui non vult restituere famam, sed tantûm post mortem suam eam vult restitui à Confessario,

non poteſt abſolui.*part.* 5.*tractat.* 3.*reſolut.* 104.

Famulus.

I. FAmulus non tenetur reſtituere damnum Domino illatum à furibus ſiue domeſticis, ſiue externis, quod facilè impedire potuiſſet, niſi cura domûs ei ſit commiſſa. Trullench. & 4. Contrarium tamen eſt probabilius reſpectu externorum. Leſſius & 3. Idem eſt ſi videret famulum domeſticum colligere res Domini vt cum illis noctu fugiat; nam tunc hic ſe habet inſtar furis externi. Lugo. *p.* 3.*tr.* 5.*reſ.* 54, *&* *tr.* 6.*reſ.* 58. *&* *p.* 7.*tr.* 7.*reſ.* 39. *&* *p.* 11.*tr.* 6.*reſ.* 6. *&* 18.

II. Si famulus ad annum conductus diſcedat ante tempus, debetur ei in foro conſcientiæ merces temporis quo ſeruiuit, niſi domini multùm intereſſet eum diutiùs morari. Rebell. & 3.*p.* 3.*tr.* 6.*reſ.* 13.

III. Dominus non tenetur ſoluere ſalarium famulo infirmo quamdiu erit infirmus, niſi ſit in extremâ, vel graui neceſſitate, tunc enim teneretur ex caritate. Imò poteſt ab eo exigere ſumptus in eo curando factos. Molina & 8. *p.* 1.*tr.* 8.*reſ.* 86.

IV. Famuli non poſſunt vti tacitâ compenſatione ob minus ſtipendium quia ſufficit quod reſpondeat infimo pretio iuſto. Nec credendum ſi dicant non reſpondere; quia ſi alibi plus poſſent accipere, non ſeruirent huic: ſi autem nec alibi poſſent, ſignum eſt copiæ mercium, & ideò pretij vilioris. Idem ferè iudicandum de ſartoribus. Villalob. & 3.*p.* 3.*tr.* 6.*reſ.* 16.

Feſtum.

I. NOn poſſe Epiſcopum inſtituere noua feſta ſine conſenſu populi, ne hic nimiùm grauetur, docet Sanchez & Palacios. Sufficeret tamen Capitulum conſentire, ſi populus ſine iuſtâ causâ contradiceret. Sed licèt

hæc de iure sint vera,de consuetudine tamen solent statui solâ auctoritate Episcopi, adhibito quidem consilio Clericorum,non tamen suffragio. Fagund. & Villalob. Et satis consentit populus si non contradicat. Suarez & Fagund.*p.4tr.4. res.*178.

II. Non potest Episcopus festum, aut vigiliam transferre in alium diem v.g.si vigilia S.Matthiæ incidat in feriam tertiam bacchanalium. Gauant. & Leand. Etsi contrarium doceat Gobat & 2.*p.10.tr.16.res.7.*

III. Diebus festis indictis ab Episcopo potest quis laborare in loco exempto;nam hic æquiparatur loco extra territorium.Fagund.& 3.*p.1.tr.10.resol.14.& p.10.tract.14. resol.*48.

IV. Iter agere non est opus seruile,siue pedibus, siue equo fiat. Suarez & 3. Imò nec venatio ferarum prohibita est die festo,etsi fiat propter lucrum: sed neque piscatio,nisi quæ fit deserendo retia, remigando, & similem laborem exercendo, atque ita tota posita est in corporis defatigatione.Granad.& 3.*p.4.tr.4.res.*222.

V. Diebus festis docere artem gladiatoriam, vel exercere,non est contra præceptum. Granad. Neque si cum famulis computum ineas,& mercedem iis soluas. *Ibid. res.* 230.*& p.5.tr.13.res.*83.

VI. Typographi die festo characteres ordinantes,non violant præceptum Ecclesiæ: sed ipsa librorum impressio seruile est opus. Layman & Homobon.*part. 4. tractat. 4. resol.* 61.

VII. Notarij, Commissarii, & alii Officiales Curiæ, diebus festis transcribentes acta: Item qui sermones Concionatorum, & allegationes Doctorum mercede transcribunt, non videntur peccare mortaliter; talis enim actio de se est mentalis & spiritalis, & per accidens est quòd hac,vel illâ intentione fiat. Suarez & 5. *p.2. tractat. 15.resol.*35.

VIII. Agasones, seu muliones qui audito Sacro cum iumentis oneratis itineri se committunt, non peccant

mortaliter; quia in oneribus leuandis & imponendis (quod est opus seruile) non multùm temporis consumũt: ergo ob paruitatem materiæ à peccato mortali excusantur. Paruitas autem materiæ excusans à peccato mortali, est spatium duarum horarum (Filliuc.) vel etiam trium; quia censeri debet notabilis pars diei: vnde aliqui tertiam, aut quartam partem diei requirunt. Marchant. In operibus verò forensibus & iudicialibus materiæ grauitas non est sumenda ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis. Sic vendere rem magni momenti & cum aliquâ solemnitate, semper est materia grauis: res verò leuiores vendere, vt calceos & similia est leuis. Castropal. *Ibid. res.* 36. & *p.5.tr.5.res.6.*

IX. Rustici qui diebus festis inter se contractus celebrant, & Notarij qui adsunt, non peccant, modò absit scandalum: quia necessitas illos excusat, cùm aliis diebus operi sint intenti. Caietan. & 3. Item tonsores qui festis diebus tondent, & radunt nouaculâ, quique ad tonstrinam accedunt, ratione consuetudinis, quæ toleratur à Prælatis, & ratione lucri cessantis; quia aliis diebus propter occupationes, tondendi non accedunt. Fernandez. *p. 2.tract.15.res.34.*

X. Sartores excusantur cum diebus festis conficiunt vestes, vel alia pro aliquo funere, vti & cum interdum post medium noctis coguntur laborare vt vestes promissas perficiant. Layman. *p.4.tr.4.res.62.*

XI. Opera seruilia quæ fiunt ob pietatem, v. g. eleemosynam, non sunt tamen licita diebus festis. Fagund. & 4. Quamuis multi contrarium doceant, saltem quando secretò fiunt, vt suere,&c. non autem si publicè, vt ædificare. Villalob. & 6. Si qui templorum parietes die festo ornant tapetibus &c. non peccant mortaliter, etsi præcedentibus diebus id facere potuissent. Fagund. & 4.*p.4.tract.4.res.177.* & *p.3.tr.5.res.8.*

XII. Puellas laborantes diebus festis ad vitandam otiositatem, & ne ad fenestras domûs se conspiciendas ex-

hibeant, excusari, docet Villalob. & 5. Item facere recamaturas siue acu pingere, non esse seruile magis quam penicillo pingere, docet Azor. & 3. Sed an probabiliter tu cogita. *part.3.tractat.5.resol.8. & p.4.tract.4.resol.62. & p.6. tr.6. res.15.*

XIII. Seruo infideli possunt imponi opera seruilia die festo; quia non obligatur legibus ecclesiasticis. Granad. Et idem est de perpetuò amentibus. Layman. Sicut vtrisque etiam carnes ministrari possunt die ieiunij. Suarez & 4. *p.5.tract.14.res.7. & p.7.tr.7.res.58.*

XIV. Concedere licentiam diebus festis vacandi operibus seruilibus, spectat ad solum Episcopum, non autem ad Iudices sæculares, neque hi punire possunt, quibus Episcopus eam licentiam concesserit. Homobon. & 2. *p.4. tract.1.res.94.*

Feudum.

I. POssunt Cardinales in feuda succedere vt alij laici, & eo casu admittuntur ad seruiendum per substitutum. Marta & *7.p.5.tr.2.res.70.*

II. Mutus, & surdus non succedunt in feuda, nisi seruitium domino præstandum sit tale vt à quouis sanæ mentis præstari possit. *p.5.tr.6.res.21.*

Fides.

I. IGnorantia crassa, & vincibilis mysteriorum fidei, vel præceptorum Decalogi, vel eorum quæ quis scire tenetur ratione specialis muneris v.g. Confessarij, est speciale peccatum in confessione explicandum; Est enim negligentia addiscendi articulos fidei, quæ opponitur virtuti studiositatis. Vasquez & 5. Probabile tamen est, eum qui ignorat vincibiliter plures articulos fidei, vnum tantùm peccatum committere. Suarez. Imò probabile est ignorantiam illam non esse speciale peccatum. Sanchez

&

& Filiuc.*p.3.tr.4.ref.*141.*&* 165.

II. Explicita fides Incarnationis, SS. Trinitatis, Circumcisionis, Resurrectionis, &c. non est adultis necessarium medium ad salutem. Turrian. & 6. Vnde non sunt inualidæ confessiones factæ cum ignorantia illorum mysteriorum. Marchant. Quod attinet ad Sacramenta, omnes explicitè scire debent substantiam Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ: de ceteris idem dicendum, si quis ea suscipere voluerit. Suarez & 4. Item adulti nescientes se signare signo Crucis, (Sanchez.) aut nescientes Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, dummodo eorum substantiam sciant, venialiter tantum peccant. Suarez & 3. Hortandi sunt tamen, vt illa omnia explicitè sciant, & memoriâ teneant *p.3. tr.5.ref.*46.*&* 48. *&* *p.2.tr.*16.*ref.*12.*& part.*5.*tractat.*13.*ref.*84.*&* *p.*10.*tractat.* 16.*resol.*45.

III. Præceptum fidei obligat adultos dum sufficienter fides est proposita: & infantes cum peruenerunt ad vsum rationis ac fidem proponi audiunt. Item quando necessarium est ad superandam tentationem contra fidem. Villalob. Denique in articulo mortis, imô & minimum semel in anno. Hurtad. *p.5.tr.*13.*ref.*19.

IV. Præceptum de profitendâ fide non semper obligat, ad respondendum infideli interroganti an sis Christianus; sed tunc quando dissimulatio fidei cederet in iniuriam rei Christianæ, aut in scandalum proximi. Imò etiam tunc licet eludere aliquâ ratione, non tamen negare se esse Christianum. Filliuc. *p.3.tr.5.ref.*49.

V. Professio fidei quando facienda est, potest fieri per procuratorem. Villalob. &. 16. *p.5.tr.*14.*ref.*23.

VI. In Terris Turcarum licet vti pileo Turcio ad vitandum periculum mortis, aut iustam de hoste victoriam reportandam, vel ob aliam causam grauem, & necessariam. Imò & vsurpare vestes, vel signa instituta ad cultum, & cæremonias falsæ legis (Sanchez & 6.) quia huiusmodi vestes per se, & directè non sunt signa protesta-

tiua falsæ religionis,sed sunt res ex se indifferentes. Hinc potest aliquis Romæ gestare pileum cum signo flauo more Iudæorum, vt dum quæritur ad necem,incognitus effugiat.Suarez & 7.Ex simili causâ licebit inter hæreticos carnes comedere diebus vetitis; quia per hoc non potes præsumi fidem negare, sed solùm te voluisse occultare. Sanchez & 6.*part.*3.*tractat.*5.*resol.*49.*&* *part.*5.*tractat.*7.*res.* 33.34.*&* 35.

VII. Exploratores vulgò *spie* non possunt in terris Infidelium simulare se esse Turcas,vti vestibus protestatiuis falsæ sectæ, adire eorum templa &c. Possunt tamen vti vestibus ibi vsitatis. Bonacin. Imò & quoad priora illa contrarium est probabile. Machand. & 2.*part.* 8. *tractat.*7. *resol.*13.

Furtum.

I. PRobabile est, in graui necessitate licere furari aliena occultè:vt enim diues in hoc casu tenetur darè, ita pauper potest accipere absque iniuriâ: neque diues in hoc casu potest esse rationabiliter inuitus nisi circa modum, quia pauper maluit furari, quàm petere. Vasquez & 13. Aliud esset,si plures essent in simili necessitate,& diues non teneretur omnes iuuare; sicut enim diues tunc non tenetur huic in particulari dare, ita neque ipse potest rapere. Quamuis etiam in hoc casu contrarium non sit improbabile.*p.*2.*tract.*17.*res.*29.*&* *p.*5*tr.*8.*res.*23.*&* *p.*11. *tract.* 1.*res.*13.

II. Vir honestus cui grauissimum esset mendicare, neque alia suppetteret ratio accipiendi necessaria, posset ea clam rapere.Bannez.*p.*5.*tr.*8.*res.*24.

III. Christiani quiuis possunt à Turcis rapere eorum bona, ex consensu tacito Principum Christianorum, titulo iusti belli: nisi tamen impediantur pacto concordiæ, vel salui conductûs. Molin.& 4.multo magis eorum mancipia dum fugere possunt.Lessius & 6.*p.*5.*tr.*13.*res.*98.*&* *p.* 6.*tr.*4.*res.*14.*&* *p.*7.*tr.*7.*res.* 11.

IV. Ingredientes vineam posse comedere vuas modò non exportent vel etiam viatorem transeuntem posse aliquas carpere quas in viâ comedat, docet Valer. & 3. Cur tamen hoc potius liceat quoad vuas, quam quoad ficus, vel poma &c? *p.3.tr.6.ref.20.*

V. Qui librum historicum abstulerat è bibliothecâ Regularium habens animum soluendi pretium duplicatum, non peccasse, nec teneri eundem restituere, docet Baucius, eò quòd talis liber Regularibus parum vtilis sit. Sed contrarium est verum; quia & ratio illa falsa est, & quælibet res aliena semper in specie est restituenda: *p. 10. tr.13.ref.44.*

VI. Quantitas requisita ad furtum vt sit peccatum mortale, respectu diuitum, est circiter 60. assium: respectu personarum communium circiter 20. assium: respectu pauperum circiter 7. assium. Reginald. & 2. Absolutè verò supra duos aureos requirit Rodriquez. Quod saltem quoad diuites admittit Syluest. & 2. Sed hi nimis hîc laxi sunt, vt etiam Bannez. *p.2.tr.17.ref.57.*

VII. Qui furatus est coram Iudice; vel aliter cum manifesto vitæ periculo, non tenetur eam circumstantiam in confessione explicare. Tanner. Quamuis id velit Vasquez propter peccatum temeritatis distinctum à furto. Idemque est suadente alteri peccatum cum periculo incurrendæ pœnæ mortis *p.1.tr.7.ref.61.*

VIII. Qui post quantitatem notabilem paulatim per modica furta ablatam, addit deinde alia parua furta, non committit nouum peccatum mortale accipiendo, sed retinendo totam illam quantitatem; quia per illa tantùm augetur notabilis quantitas antè accepta. Lessius. & 2. Vnde si non potest tunc restituere, vel animum habet paulò pòst restituendi quod tunc accipit, non peccabit mortaliter. Granad. *p.2.tr.17.ref.43 & p.3.tr.6 ref.25.*

IX. Quando plures alicui graue damnum inferunt per minuta furta à singulis seorsim commissa, ita vt nullus alium iuuerit, non peccant mortaliter; quia singuli leue

damnum inferunt : neque sibi mutuam opem præbent nec alter alteri est causa furandi. Sanchez & 4.*p.*2.*tract.*17. *resol.*41.*&* 42.

X. Fur seu quiuis iniquus possessor rei alienæ, tenetur præter rem ipsam, restituere æstimationem illius pretij, quo dominus eã vendidisset, si erat eam venditurus in optimo statu, vel summâ æstimatione. Secùs autem si eam non erat venditurus; nam tunc sufficit restituere rem vti est, modò non sit effecta deterior, vel minoris pretij, & quod non contigisset, si res mansisset apud verum dominum. Lessius & 4. Que vera sunt etsi fur medio tempore pluris illam vendidisset; hoc enim pertinet ad fructus industriæ. Layman. *Ibid.* *res.*51.*&p.*4.*tr.*4.*resol.*65. Si autem ignoratur quo tempore dominus esset illam venditurus, restitutio facienda erit iuxta pretium medium inter summum, & infimum. Turrianus.*p.*2.*tr.*17.*res.*52. Quidam tament volunt semper debere restitui iuxta summum pretium quod habuit; eò quòd tunc temporis restitui deberet. Pontius *p.*11.*tr.*6.*res*, 5.

XI. Qui mulam furatus aliis eam elocauit, tenetur restituere etiam pretium locationis. Sanchez & 7. Sæpè tamen fit, vt cum dominus rei est vir diues, censeri possit, non velle illud pretium locationis. Lessius *part.* 2.*tractat.* 17.*resol.*50.

XII. Furtum rei non sacræ in loco sacro, nisi sit ibi deposita quasi sub iure, & potestate Ecclesiæ, non est sacrilegium. v.g. furtum crumenæ in Ecclesiâ; quia res illa est in Ecclesiâ quasi per accidens: ideoque non fit specialis iniuria Ecclesię. Fagundez & 6.*p.*1.*tr.*7.*res.*27.

XIII. Qui inuenit crumenam plenam pecuniis, & adhibitâ sufficienti diligentiâ, non reperit dominum, potest illas pecunias sibi retinere. Sotus & 5. Idem est de bonis incertis ex iusto contractu debitis: quæ autem per iniustitiam sunt acquisita, restituenda sunt pauperibus. Castropal. & *part.*2.*tractat.*17.*resolut.*5. *&* *part.* 11. *tractat.*1. *resolut.*12.

XIV. Filius, v.g.cauponis, aut mercatoris, qui patris bona administrat:potest à patre salarium exigere, quantum deberet extraneo alicui dare,quod si illud non possit à patre impetrare,potest clàm accipere ad iustam æstimationem laboris,& industriæ suæ, computatis tamen in dicta æstimatione expensis,quas pater fecit in illo alendo. Layman & 4.*p.*4.*tr.*4.*res.*66.

XV. Quando quis in hospitio comedit mensâ communi,gallicè *à table d' hoste*,potest quædam reseruare,& secum ferre ex iis quæ verè comesturus erat durante adhuc appetitu;quia parum interest hospitis siue hîc, siui alibi illud consumatur. Lugo *p.*7.*tr.*7.*res.*32.

XVI. Probabilius videtur eum qui bonâ fide comedit apud furem cibos furtiuos,teneri restituere domino id in quo factus est ditior, parcens iis quæ domi erat expensurus.Sanchez. Sed contrarium etiam est probabile. Bannez & 2.*p.*3.*tr.*5.*res.*43.

XVII. Fur non tenetur restituere si res furtiua apud ipsum pereat,quæ similiter erat apud dominum sine vllâ eius vtilitate infallibiliter peritura, vel casu, vel actione alterius non iniustâ.Lessius & 7. Etsi fur suâ actione eam destruxerit. Lessius & 3. Quamuis hoc neget Fagund. & 2.Aliud est si Dominus erat eam ante eiusdem interitum venditurus. Lessius & 5. Et in dubio melior est conditio innocentis. Quod si res extet, vel à fure vendita sit,tenebitur Domino restituere rem vel pretium,nam semper ipsius est vbicumque extet. Nauarr. *part.* 11. *tractat.* 4. *resolut.* 39.

XVIII. Probabile est licere emere à sartoribus magistris,non autem ab eorum famulis, fragmenta quæ supersunt ex vestibus, vbi illi ea iustè retinent ideò quia alias non possunt impetrare plenam mercedem. Sanchez. Sed contrarium est probabilius. Villalob.*part.*4.*tractat.* 4. *resolut.* 176.

XIX. Quando quis iniustum damnum alteri inferre decreuerat,etsi consilio,vel hortatu tuo eum confirmasti,

atque ita causa fuisti vt citiùs, vel expeditiùs damnum inferretur, non teneris ad restitutionem : Lessius & 5. sicut neque si furandi gratiâ adscendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen adscenderet : vel etsi asportando rem furtiuam illum adiuues, quam sine tuâ ope auferret tamen: quia in his omnibus non es causa furti, sed tantùm modi, aut circumstantiæ. Quòd si hortatu tuo fuisti causa, vt maius damnum inferretur, teneris tantùm de excessu, Layman. *p.3.tr.5.res.*47.*&* 84.*& tr.6.res.*23.*&p.*11.*tr.6.resol.*49.

XX. Custodes portarum, siluarum, &c. non tenentur ante sententiam Iudicis restituere pœnam pecuniariam statutam in eos qui certi generis merces, vel ligna exportant, si eos non manifestent, sed dissimulent. Lessius & 4. Sicut nec qui furem videt furantem, nec impedit : imò etsi aliquid à fure accipiat ne clamando, vel aliâ ratione impediat: nisi ex officio teneatur impedire (Sotus & Nauarr.) vel nisi pollicitatione suâ furem animosiorem reddat, qui aliàs fuisset absterritus. Quod ferè semper eo casu videtur fieri. Lessius & Nauarra. *p.3.tr.5.res.*54.*& tr.6.res.*38.*& p.*11.*tr.6.res.*6.*&* 18.

Vide *Restitutio.*

G.

GABELLA.

I. Etiam Principi infideli soluendæ sunt gabellæ, quoties is iustè regnum possidet, & non tyrannicè vt Turcæ. Lugo. *p.7.tr.7.res.*65.

II. Gabella vt sit iusta, debet imponi ob publicam vtilitatem, & proportionaliter respectu subditorum. Suarez & 18, *p.1.tr.3.res.*.2

III. Qui imponunt gabellas super rebus quæ emuntur, non ad negotiationem, sed ad vsus vitæ necessarios, non incidunt in excommunicationē Bullæ Cœnæ, quia hæ

gabellæ non sunt iniustæ, cùm in illis, quantum fieri potest, seruetur æqualitas. Suar. & 3. Probabile est tamen eas esse iniustas, quia per eas pauperes plus grauantur quàm diuites. Tolet. & 10. Ideoque non potest negari absolutio pœnitenti qui nollet restituere talium gabellarum defraudationem. *part.1.tract.11.resol.38.& part.2.tractat.17. resolut.28.*

IV. Cui Princeps vel Ciuitas aliquid debet potest is fraudando gabellam sibi compensare, etsi Princeps gabellam alteri elocasset. Malder. & 7.*part.2. tractat. 16. resolut* 14.

V. Si Pater donet quædam bona sua filio Clerico in fraudem gabellarum, non tollitur obligatio has soluendi. Bartol. & 5. Fraus autem ex adiunctis colligi debet, vt si dedit sola bona obnoxia gabellis, & ipse tamen ex iis perrexit fructus percipere &c. *p.8.tr.6.res.*130.

Vide *Ecclesiasticorum exemptio. Tributum.*

Gula.

I. Comedere, aut bibere absque necessitate ob solam voluptatem, modò ne obsit valetudini, non esse peccatum, affirmat Sancius; quia licitè potest appetitus naturalis frui suis actibus. *p.3.tr.5.res.6.*

II. Etsi aliquis cum aduertentiâ comedat vsque ad vomitum, non est peccatum mortale gulæ, sed solùm veniale. Io. Henriquez *p.5.tr.13. res.*40.

III. Carnes crudas animalium comedere sine necessitate, esse mortale tradit Azor. Sed contrarium est verius si fiat citra notabile damnum valetudinis. Fagund. & 2. *p.8.tract.7.resol.*84.

H.

HÆRETICVS.

I. IN hæresi non datur materia parua. Sanchez & 5. Nisi fortè diceretur solùm aliquod leue verbum sapiens hæresim. Sayr. & Leone. *p.5.tr.5.res.*28.

II. Qui profert hæresim externam, vt incurrat excommunicationem debet illam ita proferre, vt secundùm quantitatem operis externi,& non solâ relatione ad consensum internum, sit peccatum mortale. Quare debet manifestari per tale signum, vt si quis esset tunc præsens, posset ex eo cognoscere illum esse lapsum in talem hæresim. Granad. & Henriquez. *p.4.tr.4.res.*240. Sed quamuis sit occultissima, ita vt nemo prorsus sciat præter ipsum, erit tamen excommunicatus. Suarez & 3. Et improbabile est quod contrà asserit Croulers, *part.6.tractat. 6. resolut.* 51.

III. Qui simulat somnum ita vt ab omnibus verè putetur dormire, & profert aliquam hæresim quam verè credit, videri potest non esse hæreticus externus, cum nemo ex tali dicto possit iudicare ipsum esse hæreticum, magis quàm si Comædus eam sic proferret. Hurtad. Contrarium tamen est verius; quia talis locutio licèt in somno simulato coniungitur hæresi internæ,& manifestatur, quod non sit in vero somno. *p.5.tr.13.res.*17.

IV. Qui per hæresim internam non credit pluribus mysteriis fidei v.g. SS.Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ,& volens exteriùs proferre errorem suum v.g. de Incarnatione, præter intentionem profert errorem de Eucharistiâ, non est censendus hæreticus externus;quia illa prolatio erroris de Eucharistiâ, non est libera. Bardi. *p.11.tr.7. res.*19.

V. Qui dixit hæresim externam, sed postea dubitat an verè ita in animo senserit dum eam proferret, non de-

bet censeri incidisse in hæresim reseruatam : sicut in dubio casus alius quilibet non est reseruatus. Lugo. Contrà tamen docet Sanchez. *Ibid.*

VI. Qui errat in rebus fidei ex ignorantiâ non solùm crassâ & supinâ , sed etiam affectatâ , non est hæreticus. Suarez, Vasquez, & 10. Quòd si talis ignorans est homo rudis, quamuis moneatur etiam ab Episcopo, vel Inquisitoribus de suo errore, si pergat nihilominus iudicare suam opinionem non esse contrariam Rom. Ecclesiæ , non est verus, hæreticus in foro interno , defectu pertinaciæ : in foro tamen externo hæreticus censendus est , & vt talis damnandus. Suarez & 3.*p*.4.*tr*.7. *ref*.36.

VII. Qui negat conclusionem Theologicam , quæ euidenter infertur ex propositione de fide , non est hæreticus in foro interno : sed præsumitur in externo , & vt talis est puniendus. Suarez & 3.*Ibid. tr*.8.*ref*.79.

VIII. Dubius in fide non est censendus hæreticus; quia hæresis est error fidei contrarius , seu assensus contra fidem : at qui est dubius neutri assentitur parti. Sanchez & 5. (Contrarium tamen plerique docent. Coninc & 22.) Vnde etsi quis diceret se dubitare de punctis fidei, non esset censendus hæreticus externus, nec eorum pœnis afficiendus. Dicastill. contra Sanchez. *part*.2.*tract*.16.*ref*.51. & *p*.11,*tr*.8.*ref*.47.

IX. Qui vi, metu, fraude, aut alio modo inter Infideles exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens , peccauit quidem grauissimè contra externam fidei professionem , non tamen est hæreticus , nec incurrit excommunicationem , & potest à quocumque Confessario approbato absolui : in foro tamen externo iudicabitur excommunicatus. Suarez & 5.*p*.3,*tr*.4.*ref*.143.

X. Hæreticis à iure statutæ sunt pœnæ I. excommunicatio. II. priuatio omnis Ecclesiasticæ dignitatis, officij, & beneficij, & inhabilitas ad ipsa. III. publicatio bonorum à die admissi criminis , sub qua comprehenditur priuatio omnis iurisdictionis, & dominij temporalis, & om-

nis debiti quod ex fidelitate eis quocumque titulo debebatur. IV. perpetua infamia, & inhabilitas ad omnem honorem, dignitatem, & officium, vel actionem ciuilem. V. pœna mortis. *p.4.tr.7.ref.1.*

XI. Principes sæculares nihil possunt statuere circa confiscationem bonorum Hæreticorum ante latam sententiam ab Episcopo, vel Inquisitoribus: sed solùm post sententiam quando illa ipsis applicantur. Vnde non possunt antecedenter cum illis contrahere vt bona eorum in posterum non confiscentur, quidquid pro eo offerant. Sousa & 2. *p.12.tr.3.ref.2.*

XII. Hæreticorum filij sunt inhabiles ad officia publica, vt sunt Magistratus, Prætoriatus, Notariatus, &c. Suarez. Itemque ad beneficia Ecclesiastica, & collatio illis facta est irrita. Imò etiam ad pensiones. Sanchez & 6. Et quidem, etsi filij nati sint ante hæresim parentum. Barbosa & 6. Vel etsi parentes traditi brachio sæculari, mortui sint pœnitentes. Suarez & 9. Imò si filij sint Clerici, priuantur beneficiis obtentis postquam parentes in hæresim lapsi erant, non autem possessis ante illorum hæresim. Suarez & 10. Quæ omnia locum habent in filiis etiam illegitimis, vel spuriis. Suarez & 8. Neque opus est vllâ sententiâ ad illas pœnas incurrendas, sed satis est si vel euidentiâ facti, vel confessione in iudicio constet parentes fuisse Hæreticos, vel fautores, aut defensores Hæreticorum. Suarez & 2. Nullas tamen pœnas ex statutis contra filios hæreticorum incurrunt ij, qui hæresim parentum sponte reuelant, etsi ipsi essent nati post parentum hæresim. Armilla & 6. *p.4.tr.8.ref.73.74.75.& 76.*

XIII. Non potest quis legere libros prohibitos etsi nullum ipsi inde esset periculum; quia non ille solus est finis Ecclesiæ prohibentis, sed etiam id facit in odium, & pœnam Auctoris. Vnde prohibentur omnes libri Hæreticorum, etsi hæresim non contineant. Suarez & 10. *p.6.tr.6.ref.49.& p.11.tr.1.ref.1.*

XIV. Qui legit librum Hæretici de religione tractan-

tem, etsi non contineat hæresim, incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Suarez & 3. Nec audiendi sunt qui contrà sentiunt Sayr. & *2.p.6.tr.6.res.55*. Probabile est tamen non incidere, si non tractet de religione ex professo. Sousa & 2. Vel si legat librum Auctoris Catholici cum scholiis & commentariis Hæreticorum licet copiosis. Sanchez & Sousa, contra Suarez. Nisi in commentariis alia disputet Hæreticus non facientia ad explicationem textûs. Hurtad. Ita non incurrere qui legit, retinet, imprimit epistolam alicuius hæretici, aut Concionem, in qua hæresim doceat, aut aliam chartam solutam, nec in formam tractatûs redactam, docet Sanchez & 4. Sed contrariæ sententiæ est insistendum. Non incidit tamen qui legit librum hæreticum in Galliâ, Angliâ, aut alibi, vbi Bulla Cœnæ non est recepta. Sanchez. Neque si quis Latinæ linguę rudis, aut illius idiomatis quo liber hæreticus conscriptus est, illum legat Suarez & 2. Neque qui libros hæreticos comburunt propriâ auctoritate, nec Inquisitoribus tradunt; quia dum illos comburunt non retinent. Suarez & 5. Neque qui retinent librum hæreticum per vnum, vel duos dies, quia est materia parua. Sanchez & *4.p.1.tr.11.res.31.32.34.35.36.& 37.& p.5.tr.5.res.43.& tr.13.res.16.*

XV. Non incidere in excommunicationem illam qui audit legentem librum hæreticum; eò quòd audire non sit legere, docet Sanchez & 5. Etsi audiens induxisset alterum ad legendum. Portel. Sed non est recedendum à contrariâ sententiâ Suarez & 7. Est tamen probabile eam non incurrere etsi quis mandet famulo vt se audiente talem librum legat. Coninc & *2.part.1.tract.11.res.33.& part.12.tr.2.resol.14.*

XVI. Prohibitus est liber totus etsi vnicum solùm erorem contineat: nec sufficit hunc esse deletum, nisi id factum esset auctoritate publicâ. Imò etsi plures essent tomi, dum simul sunt compacti, omnes sunt prohibiti, si vel vnus errorem contineat, non tamen si separa-

tim compingantur. Fagund. *t.6.tractat.6.resol.55.*

XVII. In lectione librorum hæreticorum paruitas materiæ extendi potest ad integram paginam in folio. Sanchez & 4. Etsi alij communiùs id negent cum Suarez. & ad paucas lineas restringant, & ad solum etiam titulum seu inscriptionem libri, Pueron. Vnde nimis latè Crou sers extendit ad tantam partem libri, quæ per se sumpta possit libri nomine censeri. *p.5.tr.5.res.42.& p.1.tr.11.res.30.& p.6.tr.6,res.55.& p.10.tr.12.res.47.*

XVIII. Probabile est Cenerales Regularium posse subditis suis concedere licentiam legendi libros quosuis prohibitos, non obstante Bullâ Greg. XV. & Vrbani. VIII. Peyrin. & Lezzan. *p.5.tr.13.res.49.* Sed ob eas Bullas non possunt Episcopi dare licentiam legendi etiam illos libros qui prohibiti solùm sunt donec corrigantur. Lupus. Possunt tamen tales retineri donec facultas eos corrigendi concedatur, modò adhibeatur diligentia pro illâ licentiâ obtinendâ. Marchant. *p11.tr.8.res.62.*

XIX. Qui scit Titium legere librum prohibitum non ob hæresim aut eius suspicionem, sed aliam ob causam, non teneri illum denuntiare S. Officio, docet Bordon. & 2. Quod non est admittendum ob contrarium decretum Congregationis S. Officij. *Ibid.*

XX. Hæreticus iam iamque comburendus, tametsi ante mortem non fateatur publicè veritatem, potest absolui: neque vllum inde existit scandalum, cùm nemo nesciat solere reos crimen negare, quod tamen plerumque sacramentaliter Sacerdoti confitentur. Hurtad. & Portel. *p.1.tr.5.res.8.& p.5.tr.3.res.78.*

XXI. Non licet Principibus secularibus pacisci cum Hæreticis permittendo eis libertatem conscientiæ, sine consensu Rom. Pontifiicis. Lugo & 5. Imò inualida esse eiusmodi pacta, docet Hurtad. Quod negat Tanner. Certum est tamen ea non posse præiudicare iuribus Pontificiis, cum Principes in hæc auctoritatem non habeant, vtpote subditi. *p.10.tr.3.* per totum.

XXII. Etsi ex naturâ rei non sit illicitum inire fœdus cum Infidelibus vel Hæreticis, implorando eorum auxilium in bello iusto, etiam contra fideles: (Suarez & 11.) rarò tamen id licitè fit ratione circumstantiarum, tum propter scandalum, tum ob grauiâ mala quę Religioni, vel Ecclesiis ab illis tunc inferuntur: vnde vix vmquam sine grauissimo peccato eorum auxilium admittitur, pręsertim eorum qui sunt peculiares hostes nominis catholici vt Turcæ, & Hæretici. Molin. & 9. vnde & infelices sępe exitus eorum qui id fecerunt. *part.*10. *tractat.* 18.*resol.* 1.2.3.&4.

XXIII. Idem est dum ipsis auxiliares copię à Principe catholico mittuntur quæ & carent exercitio Religionis, & Sacramentorum vsu, & armis suis hęresim illorum promouent Religionem euertendo. Nec in praxi ab his separari potest ratio statûs aut politię. Hurtad & 5. *Ibidem resol.*5.& 6.

XXIV. Qui eiusmodi auxilia Hęreticis mittunt excusari non possunt à censuris Bullę Cœnę latis in fautores Hęreticorum, quales in eâ censentur omnes ex quorum fauore sequitur damnum Religionis, quatenus Hęretici potentiores efficiuntur. Lugo & 2. *Ibid. res.*7.

XXV. Possunt tamen Principes cum quibusuis Infidelibus, vel Hæreticis fœdera inire politica quoad inducias, mercimonia, & similes contractus. Sanchez & 12. Nec ad hoc opus est licentiâ Pontificis. Lugo & 3. *Ibidem resol.*8.&9.

Heres.

I. ETsi Collegia Societatis IESV, & domus professæ possint institui heredes, non posse tamen ipsos Professos aut Coadiutores formatos, docet Sanchez & Layman. Quod tamen affirmat VVading. solam excludens successionem ab intestato. Certum est autem posse quibusuis relinqui legatum, quod acquiratur domui in qua illa

persona habitat. *part.9.tractat.9.resol.16.*

II. Heres ab intestato non tenetur quidquam dare heredi instituto in testamento minùs solemni, nec soluere legata facta in tali testamento, dummodò non sint facta ad pias causas; quia illud testamentum iure humano est nullum. Vasquez & 14. Quamuis contrarium æquè probabiliter doceat Molin. & 11. Et secundùm hos potest fieri tacita compensatio, si aliter legatum impetrare non possunt. *p.1.tr.8.res.75.& p.5.tr.3.res.119.*

III. Etsi testis omni exceptione maior v.g. Confessarius testetur defunctum voluisse certæ personæ solui aliquod legatum, non tenetur heres credere, aut soluere. Fagund. *p.11.tr.2.res.31.*

IV. Testator potest quemuis extraneum instituere heredem, nulla facta mentione consanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis, modò absit scandalum, & grauis necessitas consanguineorum: nullo enim iure id facere prohibetur. Syluester & 9. Vnde nec posset moribundo ideò negari absolutio. *p.1.tractat.8 resol.85.& par.5.tract.3.res.114.*

V. Parentes peccant mortaliter grauando legitimam filiorum gratuitis donationibus, vel minuendo onerosis, sed fictis, contractibus: possunt tamen remuneratoriis donationibus, aut veris contractibus onerosis illam minuere. Fernandez & 4.*p.1.tr.8.res.84.*

VI. Parentes possunt aliquid plus vni filio relinquere quàm aliis, modò reliqui non priuentur legitimâ portione, quam solam illis relinquere tenentur. Bonacin. & 6. Caueant tamen parentes ne ex odio faciant inæqualem distributionem: si verò ex inordinato amore erga aliquem id fecerint, non propterea peccant mortaliter, cùm non faciant contra iustitiam. *Ibidem resol. 83.& part.5. tractat. 3. resol. 130.*

VII. Qui sine vi & fraude curauit aliquod testamentum iam factum mutari, & alium heredem institui, vel aliquid sibi, vel amicis relinqui, vel etiam se heredem in-

ftitui,non tenetur ad reftitutionem, etfi id faciat ex odio erga alterum. Villalob. *part. 3. tractat. 6. resol. 33. & part. 5. tr. 3. resol. 118.*

VIII. Si quis vi & fraude impediat, ne nepos ex filio fpurio inftituatur heres ab auo, tenetur ad reftitutionem: neque enim hic eft incapax hereditatis. Vafquez & 10. Sic qui per mendacium impediuit teftatorem ne eleemofynam, vel legatum relinqueret alicui pauperi, vel Monafterio dicendo eos non effe pauperes, tenetur ad reftitutionem. Qui autem precibus, blanditiis & muneribus impedit, ne quis heres inftituatur, non tenetur ad reftitutionem. Leffius & *6. p. 3. tr. 6. ref. 33.*

IX. Si pater aliquem inftituat heredem rogans eum vt hereditatem reftituat filio fpurio, poteft is acceptare, & fpurius poterit eam accipere: quòd fi promitteret patri vel exprefsè vel tacitè fe id facturum, peccaret mortaliter, ficut & teftator fic difponendo; quia leges id grauiter votant: imò promiffio eft nulla, quia contra leges: poffetque hereditatem fibi retinere: poteft tamen fi velit fpurio tradere, quia etfi in illo cafu bona addicantur fifco, id non obligat ante fententiam. Becan. Imò probabile eft teneri ad implendam promiffionem, non tantùm ex fidelitate, (Leffius & Couart.) Sed etiam ex iuftitiâ. Ledefm & 2. accepit enim hereditatem cum tali conditione. Tenetur tamen pater filio fpurio alimenta præftare fecundùm dignitatem ftatûs; quamuis enim ius ciuile id non permittat, at correctum eft per canonicum. Sanchez & 3, Imò & dotem tenetur dare pater, quamuis fit clericus, non obftante conftitutione Pij V. Sanchez & 3. Contrarium tamen eft probabile. Molin. & Fagund. Sed pater poteft donare, vel etiam heredem inftituere vxorem filij fpurij vel maritum filiæ. Molin. & *2. p. 5. tr. 3. ref. 121. & 131. & p. 6. tr. 7. ref. 28. & p. 10. tr. 15. ref. 19.*

Vide *Teftamentum.*

Homicidium.

I. INiustus inuasor cum moderamine inculpatæ tutelæ potest occidi, etiamsi posses fugere, quando fuga est indecora. Hurtad. Imò quamuis inuasor esset persona publica, & Reipub. necessaria, negant quidam peccari etiam contra caritatem. Rodriquez & 2. Aut quamuis inuasus fuerit in culpâ cur inuaderetur, v. g. committendo adulterium cum vxore alterius. Molin. & 6. Quæ vera sunt non solùm pro defensione vitæ, sed etiam honoris, pudicitiæ, vel bonorum externorum, quando sunt alicuius momenti. Molin. & 15. Sed non censetur ad hoc sufficiens res valens vno, vel duobus aureis, quamuis hoc doceat Molina & 3. Ebrium tamen, vel amentem numquam licet occidere quando potes fugere; hoc enim non est probrosum. Malder. Imò nec filius patrem, vel auum, aut frater minor maiorem; quia talis fuga adscribitur pietati, non timiditati. Hurtad. *p.5.tr.4.res.*1.2.3.9.36.17.*&* 18. Probabilius tamen est filium vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, posse occidere etiam patrem. Dicastill. & 8. Non potest tamen occidere patrem bannitum, nisi valde noxius esset Reipub. & hoc malum aliter auerti non posset. Hurtad. & Dicastill. Quamuis simpliciter id affirmet Bartol. & *3.p.*8*.tr.*7*.res*, 41.*&* 42.

II. Inuasor etiam ebrius & furiosus potest occidi quando aliter vitam defendere non potes. Lessius & Dicastill. Quando tamen sciretur esse in peccato mortali, & inuasus crederet se esse in statu gratiæ, teneretur vitam suam corporalem postponere spiritali vitæ proximi; secùs si de suo statu dubitaret: Quamuis si etiam tunc permitteret se potiùs occidi, iustificaretur actu tam heroico caritatis. & voto Sacramenti. Io. Pontius. *part.*11*.tr.*6*.res.*52.

III. Idem licet pro defensione bonorum vel pudicitiæ proximi, nisi ille consentiat; pro vitæ verò eiusdem defensione etiam debitum erit quando est persona vel necessaria

ria

ria Reipublicæ, vel valdè coniuncta, vt pater, mater, filius, vxor, vel frater. Malder. & 2. Sicut etiam inuasus quando est persona multū vtilis Reipub. tenetur sub mortali inuasorē occidere, si possit pro sui defensione. Molin. & 3.*p.5 tr.4.ref.19.36.20 & 14.*

IV. Ob contumeliam non licet alterum occidere etsi illa aliter depelli non possit. Lessius & 5. Licet contrarium doceat Nauarra & 3. vnde neque si viro honorato dicatur *mentiris*, etsi hoc esset probrosum. Lessius & 10. Contrarium tamen probabile est. Layman & 10. Sed negatiua in praxi consulenda est. Liceret tamen quando aggressor vellet fustem, vel alapam impingere viro honorato. Hurtad. & 15. Et in omnibus casibus quibus licet occidere, potest intendi mors aggressoris. Molin. & 5. *Ibid.ref.12.13.4.&16.&p.8.tr.7.ref.48.&51.*

V. Furem fugientem v.g. cum equo tuo potes telo vel sagittâ interficere; quia inuasio durat donec se in tutum receperit. Lugo & 3. Imò si non possis per Iudicem recuperare rem tuam furto sublatam, potes ingredi locum vbi illa deposita est, eamque tibi vindicare, & si alter impediat, vim vi repellere. Lessius & *2.p.8.tr. 7.ref.47.&p.5.tr. 4.resol.37.*

VI. Quamuis minantem mortem non liceat occidere, (Malder.) potes tamen præuenire qui te decreuit interficere, quando aliter non euades, aut mortem, aut graue eius periculum. Molin. Ideoque & herum præoccupare qui per famulum, vel sicarium conatur occidere; imò & qui per Iudicem mediâ accusatione, aut falso testimonio. Item & maritum quem vxor scit venenum aut gladium parasse. Bannez & 7. In praxi tamen hæc difficulter locum habere possunt, ob periculum abusûs, & incommoda quæ inde nata sunt sequi. Lessius & Rodriquez. *p.5. tract.4. ref. 10.5.6.7.&8&p.8.tr.7.ref.43.*

VII. Miles certò sciens bellum esse iniustum, potest tamen occidere militem contrariæ partis à quo inuaditur quando ipse cessauit ab impugnando, & fugit, & alterum

monuit vt desistat ab impetendo. Azor & Soto. *part.5. tr. 4.resol.15.*

VIII. Potest proponi præmium occidenti bannitum etiam proditoriè, & ex insidiis. Molin. & 2. Imò & extra territorium proponentis tunc posse occidi, docent Graff. & 2. Non potest tamen in simili casu filius occidere patrem. Bonacin. & Clarus. *Ibid. res. 25. & 24*

IX. Vt vitam tuam defendas ab aggressore, potes interficere etiam innocentem vel interpositum inter te & aggressorem, vel in viâ iacentem quando aliter te seruare non potes. Lessius & 3. Similiter innocens potest ad petitionem tyranni vrbem aliàs euersuri, tradi ab eo occidendus, & si contumaciter resistat potest ab ipsâ etiam Republica occidi. Bannez & 2. Obsides etiam videntur posse occidi quando hostes fidem frangunt. Azor. *Ibidem res. 34. 25. & 35.*

X. Quando salus totius corporis id exigit, vndecumque id proueniat, potes membrum quoduis tibi amputare, atque adeò etiamsi tyrannus aliàs minetur tibi mortem. Lessius & 5. (Contrarium tamen est probabile quoad Tyrannum. Hurtad. & *3. p. 11. tr. 6. res. 50.*) Imò potest etiam alius tunc id facere ex tuo consensu, si tu per te non possis. Hurtad. Quando tamen in præcisione membri essent graues cruciatus vt in depositione tibiæ, non potes ad hoc obligari, quamuis Religiosus esses. Sotus & *4. p. 5. tr. 4. res. 32. & p. 6. tr. 8. res. 36. & p. 7. tr. 5. res. 34.*

XI. Homicidium sui fieri potest ex inuincibili ignorantiâ. Molin. & 5. Vnde non est neganda Ecclesiastica sepultura puellæ, quæ ad seruandam pudicitiam seipsam occidit; quia præsumi debet ex tali ignorantiâ fecisse. Sed non possunt nautę à Turcis oppugnati, pulueri tormentario ignem iniicere, & se mari committere. Licèt contrarium doceat Lessius & *6. p. 5. tr. 4. res. 30. & 26. & p. 6. tr. 7. res. 47. & 48.*

XII. Licitum sæpe est indirectè & mediatè efficere aliquid, vel omittere vnde mors sit euentura. Sic probabile

est posse aliquem vitam suam exponere pro amici vitâ seruandâ. Sotus & 3. Vnde in naufragio poterit quis dimittere tabulam, quâ alter euadat, etsi ipse sit submergendus. Victor. & 4. Imò idem licebit pro defensione honoris, vel bonorum amici. Sotus. *p. 5. tr. 4. ref. 28. 42. & 29. & p. 11. tr. 6. resol. 46.*

XIII. Non tenetur quis sub mortali abstinere à bibendâ aquâ, vel vino niue refrigerato, etsi inde præuideatur citiùs moriturus; est enim leuis, & indirecta coöperatio ad mortem. Bonacin. Et quamuis Medicus diceret aliquem posse, bibendo vinum, protrahere vitam ad decem annos, posset nihilominùs abstinere. Victoria. Multo minùs mouendus est scrupulus etiamsi quis laboribus, pœnitentiis, vigiliis ad obsequium Dei vitam suam abbreuiet, etiam ad 12. annos; hoc enim spectat ad gubernationem vitæ. Cranad. *p. 5. tr. 4. ref. 27. & 33.*

XIV. Non esse mortale si quis venenum sumat, aut à viperâ morderi se patiatur ad experiendam virtutem theriacæ, docet Rodriquez & Nauarr. Modò prior experientia in bruto sumatur. Quod tamen absolutè affirmat Malder. & Lopez. *Ibid. ref. 38.*

XV. Damnatus ad mortem per inediam potest abstinere à cibo clam oblato. Lessius & 5. Sed non potest haurire venenum qui ad illud damnatus est: posse tamen aperire os, vt venenum infundatur, docet Lessius. Imò & haurire illud posse oblatum à ministro iustitiæ, docet Azor. & 3. Non potest tamen è scalâ se præcipitare quando carnifex collo laqueum apposuit. Syluest. Potest tamen è carcere non fugere, etsi sciat se occidendum. Lessius & 3. Quamuis id neget Faber. Item vbi iusta est causa potest etiam certum mortis periculum subire. *Ibid. in ref. 41. 39. 40. & 31.*

XVI. Non tenetur ex homicidio restituere I. qui occidit alterum pro defensione bonorum etsi facilè potuisset ea recuperare per Iudicem. Caietan. & 2. II. qui occidit inuasorem cùm sine notâ potuisset fugere, quamuis Clericus

sit; quia tunc solùm peccauit contra caritatem. Lessius & 3. III. adulter qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit maritum adulteræ inuasorem. Lessius & Megal. IV. qui metu mortis indicauit aliquem qui iniustè petebatur ad necem. Rodriquez. V. nobiles, & diuites videntur renunti sse iuri restitutionis ex homicidio; nam solam iniuriam memoriâ retinent. Sanchez & 6. VI. Quando homicida capite damnatus est, heredes eius censentur acquiescere illâ pœnâ talionis, saltem dum amplius non exigunt. Bannez & 7. VII. qui defendendo se occidit alterum excedens moderamen inculpatæ tutelæ non tenetur ad totum damnum, sed solùm pro ratione excessûs. Comitol. & 2. VIII. Qui auctor est homicidij solùm casualis vt si vulnus inflixit vnde ex incuriâ ægri, vel Medici, mors secuta est, tenebitur solùm de vulnere. Lessius. Qui autem ex incuriâ mortali, v g. in venatione, occidit, non tenebitur in integrum restituere, sed arbitrio prudentis Syluest. & Angel. IX. Qui aduertit ex suo homicidio damnum tertio obuenturum, v. g. vt Petrus accusetur homicidij patrati, & condemnetur, nihil huic tenetur restituere; quia cùm illud damnum per accidens inde sequatur, non tenebatur ex iustitiâ illud cauere. Sanchez & Lessius. X. Si mancipium, vel animal aliquod damnum intulerit, dominus non tenetur id compensare, neque leges aliud statuentes obligant ante sententiam. Lessius & 2. *Ibid. resol.* 45.48.49.47.63.61.60.44 46.51. *&* 52.

XVII. Qui alteri homicidium iniustum persuasit, & posteà seriò consilium reuocauit, si nihilominùs homicidium perpetretur, non incurrit in excommunicationem neque in irregularitatem, neque etiam probabiliter obligatur ad restitutionem; quia fecit quod potuit, vt prius consilium euerteret, ac proinde non videtur executor ipsius consilio fuisse impulsus, sed potiùs suâ malitiâ. Layman & 7. Et probabiliter non tenetur ex iustitiâ, sed solùm ex caritate monere eum contra quem consilium datum fuerat. Azor. *part.* 2. *tractat.* 16. *resolut.* 15. *&* 16. *&* *part.* 3.

tract. 5.*resolut.*83.*& part.*5.*tractat.*4.*resol.*64.

XVIII. Homicida nihil tenetur restituere creditoribus occisi. Lessius & 5. Quando verò occisus omnia condonauit homicidæ, non tenetur etiam filiis occisi. Bannez & 3. Titulo verò alimentorum non tenetur restituere nisi parentibus occisi, filiis, vel vxori: quòd si hæc æquè commodè potest nubere nihil ei debetur. Lessius & Filliuc. Imò si parentes, & vxor non egeant alimentis, nec filii necessariis ad vitam, non deberi aliquid ante Iudicis sententiam, docet Tanner. Multò minus debet aliquid restitui iis quos occisus alebat ex liberalitate, aut quibus benefaciebat, quamuis consanguinei eius sint. Molin. & 6. Quod si occisus non habeat heredes filios, aut fratres, nihil restitui debet ratione homicidij. Valerus & 2. Imo nec fratribus aliquid deberi in foro conscientiæ, docet Valerus & Soto. *part.*5.*tractat.*4.*res.*57.58.59.*&* 56.*& part.*3.*tr.*6.*res.*54.*&* 22.

XIX. Qui prouocatus, vel ex condicto ad pugnam descendit, non tenetur ad restitutionem damni ob vulnus, aut mortem illatam: quia prouocans quantum in se erat, in id consensit. Secus est si prouocatus occidatur. Lessius & 5.*p.*3.*tr.*6.*res.*53.*& p.*5.*tr.*4.*res.*50.

XX. Qui vulnerauit opificem, tenetur ad impensas in chirurgum faciendas, & ad æstimationem operarum, quibus caruit quamdiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium exercendum: potest tamen deduci æstimatio molestiæ, quam in opificio habiturus erat. Molin. & 2. Etsi hoc neget Lessius & 4. Idem est si talem occiderit, quamuis non teneatur totum lucrum compensare, cùm lucrum in spe non tanti valeat quanti in re: quare id taxari debet iuxta æstimationem annorum quibus putabatur superuicturus. D. Thom. & 3. Sed pro cicatricis deformitate, imò ipsius vitæ iacturâ, nulla pecuniæ compensatio facienda est ante Iudicis sententiam. Vasquez & 15.*p.*3.*tr.*6.*res.*51.*& p.*5.*tr.*4.*res.*53.*&* 54.

XXI. Excusatur à restitutione homicida, si restituen-

do constitueretur in graui necessitate, nisi heredes occisi essent in simili necessitate. Sanchez & 2. Quamuis ob solam extremam excuset Ledesm. Neque vnquam obligabitur restituere per Missas, vel preces. Layman & 4 Quod tamen affirmat Molin. & 8. Sed decet saltem Confessarium talia imponere pro occiso. *part. 5. tractat. 4. resolut. 62. 55. & 43.*

Hora canonica.

I. QVi recitaret Diuinum officium sine Psalmos linguâ hebraicâ, vel græcâ, non peccaret: Qui autem vulgari idiomate, satisfaceret præcepto, sed grauiter peccaret, ob mutationem antiqui, & communis vsûs Ecclesiæ. Sà. *p. 9. tr. 7. res. 67.*

II. Qui recitat officium animo non satisfaciendi pro tunc si posteà pertesus mutet intentionem, & velit satisfacere illâ recitatione, satisfacit obligationi; quia qui facit quod lex imperat, etiam sine intentione satisfaciendi legi, verè satisfacit. Vasquez & 11. *p. 2. tract. 12. res. 37. & p. 3. tr. 6. res. 68.*

III. Beneficiarius voluntariè recitans officium sine debitâ attentione, non tenetur ad restitutionem fructuum: quia hæc pœna imposita est omittentibus recitationem officij. Malder. & 8. Quamuis communiter DD. contrarium doceant. *p. 2. tr. 12. res. 1.*

IV. Recitans horas canonicas cum voluntariâ distractione, satisfacit præcepto Ecclesiæ, nec peccat mortaliter (sicut nec Sacerdos cum voluntariâ distractione celebrans. Bardi.) Idemque est de Missâ sine attentione auditâ, modò non desit externa reuerentia. Coninc & 15. Sed communis sententia est contraria. Tamen probabile est non peccare mortaliter, nec teneri repetere etiam qui attentione externâ caret ex inaduertentiâ. Valent. & 3. *Ibid. res. 2. & p. 4. tr. 4. res. 107. & p. 7. tr. 11. res. 30. & p. 10. tr. 13. res. 35. & tr. 15. res. 2. & p. 11. tr. 7. res. 11.*

V. Qui priuatim Officium recitat, satis esse si vocem formet labia mouendo, etiamsi à nemine, neque à seipso audiri possit, docet Azor & 9. Quod pro scrupulosis est admittendum, non tamen pro aliis: nam si vox debet esse articulata, debet esse audibilis: ergo minimùm audiri debet ab ipso recitante, seclusis impedimentis extrinsecis Suarez & *6.p.2.tr.12.res.11.& p.6.tr.7.resol.10.& p.7.tr.11, res.16.& p.10.tr.11.res.33.* Imò cùm solus quis recitat, posse Regulares totum Officium mentaliter dicere, vti & in Missâ ea quæ secretò dicuntur; exceptis verbis consecrationis, idque ex priuilegio Leonis X. docet la Cruz & 4. Quod an vt probabile in praxi admittendum sit, iudicent alij Sed nunc absolutè iudico illud prorsus non admittendum, & practicè improbabile docet. Suarez & *2. p.8. tr.7. resol. 58, & part.10. tractat.11. resol.1. & part.11. tractat.2. resolut. 10.*

VI. Qui dubitat an psalmum aliquem vel horam omiserit, non tenetur repetere, si probabilem habet coniecturam se dixisse, vtpote quia propositum attendendi habuit, & horas se incepisse meminit, & librum tenuisse, Homobon. *p.4.tr.3.res.68.*

Qui obligentur.

VII. Moniales, & deputati ad chorum, tenentur sub peccato mortali persoluere horas canonicas, ex vi consuetudinis, etiam priuatim dum à choro absunt Suarez & 21. Nihilominus de hac consuetudine, saltem obligante sub mortali, multi dubitant. Caietan. & 7. Et eam negat Lessius & 5. Quod tamen intelligunt nisi qui ex vi regulæ, vel voti speciale præceptum habent obligans sub mortali, vt de FF. Minoribus, & Monialibus Annuntiatis affirmat Marchant. Quidam etiam putant tales Religiosos saltem non tam strictè teneri, ideoque non esse mortale, si bis vel ter omittant. Bonart. *p.2.tr.12.res.17.& p.3.tr.2. res.96.& part.6. tractat.8. resol.12.& p.7. tractat.11. resol. 4.*

& p.9.tract.6.resol.7.& p.10.tr.11.res.45.& p.11.tract.1.res. 25 & tr.2.res. 10.

VIII. Monachus fugitiuus, aut eiectus è monasterio, non tenetur recitare officium; quia non est in statu in quo obligetur. Bonacin. Sicut neque Clerici, & Religiosi damnati ad triremes. Sanchez & 3.*part.2. tractat.* 12. *resol.* 18. & 40.

IX. Clerici minores tenentur recitare psalmos ab Episcopo in ordinatione iniunctos. Suarez & 4. Alij tamen putant tantùm obligari ex honestate, non autem sub peccato mortali. Sotus & Valent. Quare non potest Episcopus illis imponere aliquid quotidie recitandum. Filliuc.& 3.*Ibid. resol.* 20.

X. Qui ordinatur Subdiaconus, tantùm tenetur recitare horas à tempore ordinationis, v. g. si ordinatus est horâ XI. tenetur ad summum recitare sextam,& reliquas horas. Castropal. & 3. Etsi Bonart. neget eo die ad vllas minores horas obligari, & sufficere si incipiat à vesperis. Quod si manè ante susceptionem Ordinis officium recitasset, probabiliter non teneretur illud repetere. Trullench. Etsi hoc affirmet Bonacin. Idem est de emittente professionem. *p.4.tr.4.res.*218.& *p.6.tr.7.res.*38. Imò absolutè nihil teneri eo die legere, docet Leand.& Trullench. cùm ad maiorem officij partem non teneatur, *p.* 10. *tr.* 11. *resolut.* 16.

XI. Qui plura habet beneficia, non tenetur saltem sub mortali, & sub onere restitutionis, in Officio Diuino tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, & Patroni beneficiorum, sed solùm quatenus ex rubricis ad hoc tenetur. Escobar. Multò minus tenetur toties horas legere. Syluius. Etsi hoc doceat Binsfeld. & 4. Qui autem iniustè beneficium possidet non tenetur recitare; cùm teneatur & beneficium & fructus restituere. Escobar. *par.9. tr.9.res.*10.& 22. & *p.11.tr.2.res.*44.

XII. Qui recepit beneficium inualidè, siue ob Simoniam, vel quia est irregularis, vel aliâ de causâ, non tene-

tur ad recitandas horas; quia non habet verum titulum beneficij. Idem eſt de ſuſpenſo à beneficio etiam ad tempus; quia verè caret beneficio. Sanchez. Non autem, ſi ſolis fructibus priuetur. Quòd ſi tamen hic poſteà peteret reualidationem beneficij, & compoſitionem pro fructibus, deberet exprimere ſe non reciraſſe horas, vel teneretur ob illam cauſam iterum componere de fructibus. Sanchez. *p.4.tr.4.reſ.*146.*&* *p.9.tr.9.reſ.* 22.

XIII. Qui habet adeò tenue beneficium, vt non excedat 16. aureos, non tenetur ad horas. Sanchez & Leſſius, *p.4.tr.4.reſ.*146. Imò niſi excedat 20. Ledeſm. Imò niſi 25. vel, vt hiſce temporibus requirit San. Ioſeph, niſi 40. Requirit autem Malder. & 2. vt ſufficiat ad tertiam partem mediocris ſuſtentationis. Et hoc intelligendum deductis expenſis in collectione fructuum, & deducto ſtipendio Miſſarum & aliorum onerum. Sanchez & 4. Quod tamen etiam probabiliter negat Leſſius & 3.*p.2.tr.12.reſ.9.& p.5. tr.5.reſ.*25.*&* *p.9.tr.7.reſ.*8.*&* *p.*10.*tr.*16.*reſ.*48. Quando autem eſt dubium an beneficium ſit ſufficiens ad obligationem hanc inducendam, non teneri recitare, docet Salas; eò quòd ſit dubium iuris, quo ſtante non eſt implendum præceptum oneroſum & moleſtum: affirmat tamen Vaſquez. Vterque probabiliter. *p.4.tr.3.reſ.* 24.

XIV. Beneficiarius non tenetur ad horas canonicas ante pacificam beneficij poſſeſſionem. Suarez & 7. *part.*2. *tr.* 12. *reſ.* 21.

XV. Qui accipit beneficium cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſionem, tenetur recitare horas; quia ſponte acceptat beneficium ſine fructibus. Suarez & 6. Idem dicendum cum ablatio fructuum non eſt perpetua, ſed ad tempus etſi ſit violenta, ſicut non excuſaretur ſi furto auferrentur, vel ſi ob ſterilitatem nulli eſſent; nam hæc compenſantur quòd aliis ſæpe annis longè vberiores percipiat. Suarez & 3.*p.9.tr.9.reſ.*22.

XVI. Ex conſtitutione Pij V. omnes Penſionarij qui vt Clerici penſionem habent, tenentur ſub mortali ad offi-

cium paruum D. Virginis. Dicuntur autem vt Clerici eam habere, quando requiritur status clericalis vt sint capaces eiusmodi pensionis. Suarez & 27. Quæ pensiones propterea vendi non possunt, quia per hoc sunt annexæ rei spiritali, sicut beneficia. Malder. & 10. Etsi illud affirmet Vidal. Quod potuisset fortè admitti antè illam constitutionem Pij V. *p.*10. *tr.*16. *ref.*94.

XVII. Quantitas pensionis quoad hanc obligationem eadem requiritur quæ in beneficiis. Bonart. Probabile est tamen Pensionarium omittentem recitationem illam officij B. Virginis, non teneri restituere omnes fructus pensionis, sed solùm tertiam partem, sicut hoc etiam probabile est in beneficiis. Sanchez & 4. *Ibid. ref.*95.

XVIII. Quando pensio statuitur in capite alicuius qui ius ad illam habeat, ita tamen vt tota vtilitas deueniat ad aliquem alium v. g. in capite alicuius Hispani, vt vtilitas deueniat ad aliquem Italum qui non est capax beneficij aut pensionis Hispaniâ, obligatio recitandi Officij incumbit illi in cuius vtilitatem cedit pensio. Bonacin. Etsi illum solum qui ius habet obliget Filliuc. & 3. *Ibidem.*

XIX. Qui vel cedit pensione vel permittit illam redimi anticipatâ aliquot annorum solutione, non tenetur amplius ad recitationem illius Officij; quia desinit esse Pensionarius. Bonacin. Non deobligatur tamen etsi quis ex dispensatione Pontificis vxorē duceret: sed liberatur si Religionem ingrediatur cum facultate retinendi pensionem; tunc enim satisfacit recitando orationes illas quas ex prescripto Religionis tenentur recitare laici, vel per horas canonicas quas recitant alij. Castropal. & 7. *Ibidem.*

XX. Coadiutoria in beneficio cum futurâ successione, & assignatione alicuius portionis pro congruâ; non obligat ad horas; quia non est beneficium. Suarez & 4. *p.*5. *tr.*13. *ref.*75. Quod si pensionem habeat, super beneficio principalis, tenebitur ad officium paruum B. Mariæ: secùs

verò si per modum stipendii aliquid accipiat. *part.* 10. *tr.* 16.*resol.*95.

XXI. Cardinalatus per se independenter à beneficio; vel Ordine sacro, an obliget ad horas tamquam beneficium maius, vtrimque sunt rationes: Ego autem quid sentiam, non profero, si obligat, obligabit a die nominationis, ante susceptionem Pilei. *p.*8.*tr.*7.*ref.*1.

XXII. Surdus tenetur recitare horas; sed non cum socio, etsi aliter non possit, Suarez & 4.*p.*5.*tr.*6.*ref.*15.*& p.*10, *tr.* 16. *ref.* 46. Eodem modo tenetur cæcus, vel breuiario carens si memoriter nouit maiorem partem officii Suarez & 6. Sotus tamen ait hoc certum non esse: & contrarium probabile videtur agnoscere Sanchez. Toletus verò cæcum simpliciter excusat; nam illa tenacitas memoriæ accidentaria est. Quidam autem concedunt saltem talem, si omiserit, non teneri ad restitutionem fructuum. *p.*4.*tr.*4.*ref.*11, *& p.*5.*tr.*6.*ref.*16. Quod si memoriter nouit solos psalmos, non autem lectiones Matutini, vel Orationem, & Capitula, non tenetur solos psalmos recitare; quia soli psalmi non faciunt Horas. Filliuc. & 5. Idem dicendum, etsi sciret memoriter lectiones, vel capitula alterius officii, vel etiam integrum aliquod Officium alterius diei; quia nemo tenetur dicere aliud Officium, nisi Officium currentis diei. Et consequenter qui haberet solum Diurnale: non teneretur recitare solos psalmos sine lectionibus, & responsoriis; quia etsi hæc sint minor pars Matutini, sunt tamen maximè principalis. Sancius & 5.*p.*2.*tr.* 12.*ref.*30.*&* 43.*& p.*10.*tr.*16.*ref.*46.*&*48. Sed hoc intellige de Officio nouem Lectionum, non de officio trium, in quo defectus illarum videtur paruus. Sanchez *part.* 4.*tr.*4. *resol.* 225.

XXIII. Quando medicus dubitat an recitatio officii nocitura sit ægro, non tenetur recitare. Bonacin. & Castropal. Item, cui non licet per morbum vel aliam causam maiorem partem Officii recitare, ad nihil tenetur: Imò qui non potest Matutinum cum Laudibus; quia etsi non

sit pars maior officii, est tamen prima, & præcipua. Lessius & 8. Fid & .2.tr.12 re .28.& 29.& p.4.tr.3. ref.67.& p. 9. tr.9.ref.28.& p.10.tr.16.ref.48. Quamuis simpliciter Caramuel excuset à toto eum qui no. potest partem eius notabilem legere; eò quòd eâ omisiâ non possit seruari præceptum quod statuit esse vnicum respectu omnium horarum. p.7.tr.11.ref.13.

Qualiter recitanda

XXIV. Qui Matutinum diuidit à Laudibus debet in fine illius dicere orationem diei. Gauant. & 3, Etsi id neget Sanchez. Illa autem diuisio non dicit interruptionem officii, vnde priuatim fieri potest sine causâ. Bonarc. *part.5. tract. 14. resol.48.*

XXV. Quamuis interruptio inter recitandum sit notabilis, & sine iustâ causâ, probabiliter non est mortale non repetere ab initio; Quia hæ circumstantiæ non pertinent ad substantiam præcepti. Lessius & 9. Contrarium tamen plures docent; quia eo modo tollitur vnitas Officij v.g. Vesperarum, si psalmi à se inuicem diuidantur per notabilem interruptionem. Suarez & 11. *p.2.tr.12. ref.4.* Alij verò docent non esse interruptionem mortalem, etsi vel nocturna matutini, vel etiam psalmi diuiderentur ad 3. horas. Et si ad tres solùm horas nocturna diuidantur; nec veniale esse docet Quintanad. *p.10.tr.11.ref.17.*

XXVI. Quoad interruptionem eadem est ratio in Officio publico in Choro, si absit scandalum. San. Ioseph. *p.10. tr.16.ref.48.* Et similiter qui ex voto, vel pœnitentiâ tenetur recitare coronam B. Virginis, satisfacit, etsi cum magnâ, nec necessariâ, interruptione id præstet. Sanchez. *p.4. tr.4. resol.17.* Sed ex illis omnibus non potest inferri idem dicendum de interruptione Missæ, si notabilis sit. *part.11.tract.1. ref.10.*

XXVII. Qui deditâ opera mutat officium, vt si pro officio de feriâ dicat de aliquo Sancto, non peccat mor-

taliter ; quia hoc non pertinet ad substantiam recitationis officij, sed tantùm ad modum ; cùm sit moraliter æquiualens. Lessius & 13. Vnde non est eadem ratio si quis pro officio communi, legeret de Paschate. Sanchez & 10. (Quod tamen admittunt Caram. & Leand.) idem est si quis dicat officium sub ritu duplici, quod dicendum erat sub ritu semiduplici, vel etiam simplici. Tancredi. Etsi hoc etiam peccati mortalis arguat Lezan. & 2. *p.* 2. *tr* 12. *ref.* 3. *p.* 7. *tr.* 11. *ref.* 7. *&* *p.* 10. *tr.* 11. *ref.* 16. *&* *p.* 11. *tr.* 1. *ref.* 26. *&* *tr.* 4. *ref.* 45.

XXVIII. Si Episcopus vel alius superior horas legens cum famulo mutet Officium, etiam ex merâ tepiditate, & voluntate citiùs absoluendi, ipséque propterea peccet venialiter, socius tamen nullo modo peccat ; quia debet cum altero legere. Caram. *p.* 7. *tr.* 11. *ref.* 10.

XXIX. Qui vouit recitare officium alicuius Sancti eo die quo debet recitare de altero Sancto secundùm breuiarium Romanum, posse vnius officij recitatione satisfacere vtrique obligationi, docet Escobar. Sed contrarium est tenendum. Faust. Item qui non haberet breuiarium Romanum debet recitare per aliud quoduis approbatum quod præ manibus est, & contrà ; quia per vtrumuis impletur substantia præcepti. Crousers. *p.* 9. *tr.* 9. *ref.* 25.

XXX. Qui sequenti die futurus est in loco vbi dicitur officium peculiare v. g. Panormi de S. Rosaliâ, potest pridie legere matutinum de illo officio S. Rosaliæ. Tancredi. *p.* 11. *tr.* 4. *ref.* 45.

XXXXI. Qui de festo aliquo ex errore vel obliuione non recitauit, posse alio die postea de eo recitare : Item si quis hodie recitasset de festo crastino, posse cras recitare de hodierno, si festum fuit : aut si hodie recitandum erat de feriâ, cùm ea transferri non possit, deberē cras recitare ac si festum non esset, docet Quintanad. Sed alii hæc non probant. Tu iudica. *p.* 10, *tr.* 11. *ref.* 17.

XXXII. Si quis legat duas partes duorum Officiorum v. g. matutinum de sancto, & reliquas horas de Feriâ, fo-

lùm peccat venialiter iuxta sententiam asserentem singulas horas singulis præceptis imperari ; quia singulis præceptis tunc satisfacit quoad substantiam : Est autem mortale iuxta alteram sententiam ; quia è duabus talibus partibus non potest componi Officium aliquod Diuinum approbatum à Sede Apostolicâ. Caram. *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 11.

XXXIII. Ad chorum non sufficiunt duo, (etsi hoc affirmet Bruno) sed requiruntur ad minimum tres. An autem soli Nouitij loco Professorum possint satisfacere præcepto recitandi Officium in choro, satis dubium est. *par.* 7. *tr.* 11. *res.* 5. & *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 10. Tenentur autem adesse choro etiam Prælati Regulares nisi grauioribus impediantur. La Torre. *p.* 2. *tr.* 12. *resol.* 38. In paruis tamen Conuentibus excusari à Choro si non sint nisi quatuor aut quinque residentes, docet Bordon. eò quòd Regulares non obligentur tam strictè ad recitandum in choro sicut beneficiarij Collegiati. Quandò verò chorus est impeditus , vel etiam ob frigus hiemale, si officium canatur in sacristia, satisfit obligationi , etiamsi illa non esset planè coniuncta cum Ecclesiâ. Castropal. & Bonacin. *part.* 6. *tractat.* 8. *resol.* 13. & 12.

XXXIV. Qui recitant officium etiam in choro extra horas præscriptas, si scandalum absit, non peccant mortaliter. Layman & 3. Nec qui recitant Matutinum sequentis diei, ante officium illius diei persolutum. Suarez & 3. Nec qui ordine præpostero recitat officium , aut partem illius, quia ordo non est de substantiâ recitationis. Bonacin. & 4. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 14. 15. & 16.

XXXV. Vt quis matutinum recitet pridie post Vesperas nulla requiritur causa , sed ipsa consuetudo est causa sufficiens. *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 17. Licet autem illud recitare pridie ab horâ quartâ post meridiem (Filliuc.) vel etiam ab horâ tertiâ. Henriquez & 5. Imò probabiliter ab horâ secundâ. Escobar & 6. Et quidem sine veniali. SanIoseph. Sed Caram. & SanIoseph. docent nec veniale esse si officium

priuatim non legatur temporibus determinatis. Quod tamen non placet. Sanchez & 22. saltem quoad dilatio-nem, nisi tempus non mutetur notabiliter, vt si post tres vel quatuor horas ab ortu solis legantur quatuor horæ minores, & statim post meridiem vesperæ & completo-rium: non autem si prima legatur circa occasum solis. Bellarmin. & 7. Quoad anticipationem autem putat Di-castill. difficulter ostendi posse, esse veniale. Iusta autem causa est, & quæ ab omni culpâ excuset, si scholasticus horas differat in tempus vespertinum, quia matutinum studiis aptius est. Sanchez & 3.*p.*[illegible]*tract.*12.*resol.*39.*&* *p.*4. *tract.*4.*res.*9.*&* *p.*7.*tr.*11.*res.*12.*&* *p.*10.*tr.*16.*res.* 47.*&* *tr.*11. *res.*16.*&p.*11.*tr.*1.*res.*9.

XXXVI. Satisfacere aliquem præcepto qui ante me-diam noctem incipit recitare officium illius diei, etsi il-lud prosequatur post mediam noctem currente iam die se-quenti, docet Leand.*p.*10.*tr.*11.*res.*16.

XXXVII. Qui non poteſt ratione infirmitatis, putà fe-bris, vel inexcusabilis occupationis, recitare horas tem-pore debito, v.g. vesperas post meridiem; & alias horas an-te meridiem, probabile est, non teneri præuenire, vel ves-peri omnes legere Canus & 5. Quando tamen impedi-mentum præuisum esset omninò voluntarium, teneretur præuenire.*part.*4.*tract.*4.*res.*10.*&* *part.* 5. *tract.*14. *res.* 46.*&* *part.*7.*tract.*11.*res.*14.

XXXVIII. Horas recitare in loco necessitatum natu-ralium dum naturæ satisfit, esse peccatum veniale pro-pter indecentiam, docet Castropal. & 9. Contrarium ta-men videtur verius. Sanchez & 7. Similiter nullus situs corporis requiritur ex præcepto pro recitatione priuata. Nauar.& 3. Et quæ in rubricis præscribuntur quoad ge-nuflexiones, & similia, non tam habent vim præcepti quam directionis, & præcipuè spectant ad recitationem publicam, etsi etiam in priuatâ sint obseruanda nisi sit ali-qua causa. Castropal.& Garcia.*p.*10.*tr.* 11.*res.*33.

XXXIX. Qui recitat cum alio habente priuilegium

vtendi Breuiario breui, vel dicendi horas ante tempus, satisfacit. Suarez & 6. Etsi id neget Arriaga. *p.2.tr.12. res.35. & p.10.tr.13.res.4.*

XI. Quando duo simul recitant, non est necesse vt ambo dicant antiphonas, vt fit in choro: neque etiam vt alternis dicant lectiones, sed potest vnus omnes legere. Villalob. *p.2.tr.12.res.12.* Omnis autem qui cum altero recitat tenetur audire quod socius recitat. Suarez & 10. Quamuis id neget Caram. Quoties tamen in choro per ipsum non stat quo minùs audiat, v.g. cum surdus in choro non potest aliam partem audire, satisfacit. Suarez & 4. Sed extra chorum non posset surdus cum alio legere quem non intelligeret. Probabile est tamen surdum non assistentem choro lucrari distributiones. Pellizzar. *p. 7.tr.11.res.6. & p.9.tr.9.res.28. & p.11.tr.1.res.6.*

XLI. Qui solus recitauit omnes psalmos, & posteà vocat socium à quo audit legi omnes nouem lectiones, satisfacit præcepto: Non autem si duo alternis recitassent psalmos, & deinde à tertio aliquo audirent legi lectiones; quia hoc esset per tres choros legere. Pellizzar. Verius etiam est non satisfacere eum qui vel recitat v.g. medietatem vnam matutini, & alteram audit: vel qui recitat matutinum, & laudes, & audit reliquas horas: vel qui alternis recitat integrum psalmum; quia legendum est cum socio prout habet vsus & consuetudo Ecclesiæ. *p. 9. tr.7.res.38.* Nullo autem modo satisfaceret beneficiatus qui horas suas totas recitaret per alium. Sanchez & 5. Nec probabile est contrarium, quod docet Crousers. *part.9.tractat.9. resol.22.*

XLII. Qui est impotens solus recitare horas, non tenetur recitare cum socio. Sancius & 2. Etsi vltro se offerret. Sanchez & 4. Saltem quando non est solitus cum socio legere. Lessius. Imò quamuis solitus sit cum socio legere. Sancius & Caram. Sed quamuis teneretur, non tamen obligaretur socium ad hoc pretio conducere, etiam beneficiatus. Bonaci. Consulendum est tamen vt faciant.

Hinc

Hinc etiam Regularis cæcus non tenebitur sub mortali recitare horas cum aliis in choro. Henriquez. *p.* 2. *tract.* 12. *res.* 43. *& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 221. *& p.* 7. *tr.* 11. *res.* 3. *& p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 28. *& p.* 10. *tr.* 16. *res.* 46.

Omissio Horarum.

XLIII. In recitatione officij, notabilis abscissio syllabarum, vel nimia celeritas in canendo, modò ita proferantur verba vt retineant suam significationem, est peccatum veniale tantum, neque obligat ad officium denuò recitandum, nisi adsit contemptus, aut scandalum, aut notabilis corruptio verborum; quia impletur præceptum quoad substantiam. Filliuc. & 3. *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 32. *& part.* 7. *tract.* 11. *res.* 6.

XLIV. Qui occupatur pulsandis organis, thure præbendo, &c. dum horæ canuntur in choro, non tenetur recitare ea quæ tunc à choro dicuntur, etsi ipse ea non audierit. Layman & 7. Idem est, si quis vt benè pronuntiet lectionem in choro iniunctam, occupetur in eâ prælegenda, dum chorus alia canit. La Torre. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 13.

MLV. Si quis semel aut bis in anno omitteret recitationem Officij, non peccaturum mortaliter ratione paruitatis materiæ, docet Aragon, & Bruno. Sed hoc communiter reiicitur, quidquid ei faueat Soto, & quoad Choristas professos, Thomas à Iesv *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 26. *& p.* 11. *tr.* 2. *res.* 10. Qui autem omnes horas vnius diei omittit, vnum tantum peccatum committit; quia septem horæ vnum efficiunt officium Suarez & 14. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 5. Idemque est de voluntate internâ omittendi omnes horas, etiam diuerso tempore habitâ; quia etsi plures sint volitiones, continuantur in externâ omissione, quæ vnicum peccatum est. Bonart. Quæ vera sunt quamuis & ratione beneficij, & ratione Ordinis sacri ad horas obligetur. Henriquez & 3. (etsi id negent Suarez & 5.) vel etiam ratione plurium beneficiorum. Azor & Garsias. *part.* 2. *tractat.* 12.

resol. 22. *&* 23. *& part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 219.

XLVI. Non tantum minuendo de Officio, sed etiam addendo peccare quis potest; si addat minimum quid tamquam partem Officij: imò & mortale id fore docet Suarez si fieret cum intentione id semper sic faciendi; quod tamen negat Bonacin. Quamuis autem talis peccaret, satisfaceret tamen præcepto recitandi; quia totum quod præcipitur recitat. Castropal. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 64. Omittendo verò non peccat mortaliter nisi breuiarum Horarum dimidiam partem omittat (Reginald. &4.) maiorum verò Horarum, vt Matutini, Laudum, Vesperarum quartam partem. Ragucius. Etsi alij excusent à mortali, si saltem vnus psalmus ex breuioribus Horis dicatur, ita vt non omittatur tota. Bonart. Generatim vero Suarez & 2. ad mortale requirunt, vt alicuius Horæ omittatur pars tanta, quæ æquiualeat minimæ horæ. Quidquid Marchin. & 3. negent etiam integræ vnius paruæ horæ omissionem ad mortale sufficere, eò quòd videatur materia parua respectu totius Officij. Sed est improbabile. *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 6. *& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 216. *& p.* 2. *tr.* 12. *res.* 41. *& p.* 7. *tr.* 10. *res.* 15. *& part.* 10. *tract.* 16. *res.* 29.

XLVII Docet Caram. ex sententiâ componente totum Officium ex octo horis canonicis, non fore mortale etsi quis omitteret decem psalmos in matutino; eò quòd ij non sint octaua pars, sed pars octauæ partis, scilicet matutini: In omni autem materiâ partem illam censeri paruam quæ est minor octaua rei præceptæ; quia non tam est pars rei præceptæ, quàm partis pars. Quod si sit pars minor octauâ parte vnius octauæ siue sexagesimâ quartâ parte totius rei, tunc censetur nulla pars, & nihil morale, ita vt ne quidem sit veniale. Sed illud prius de omissione tantâ, tot v. g. psalmorum nullus adhuc docuit, nec admittendum est. Pasqualig. & 2. *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 2. *& part.* 11. *tract.* 1. *resol.* 21.

XLVIII. Sacerdos beneficiarius omittens horas, non peccat dupliciter ratione Ordinis sacri, & beneficij: quia

vnicam violat virtutem, nempe religionem. Salas & 3. *p. 2. tract* 12. *resol.* 22.

XLIX. Omissio minor quàm vnius Horæ integræ, non obligat ad restitutionem, licet peccaret mortaliter; vt si quis omitteret Laudes. Filliuc. & 2. Etiamsi fructus omissæ parti respondentes essent notabilis quantitatis. Filliuc; & Bonart. Qui verò ex singulis aliquid omisit, non tenetur, etsi totum simul grauem materiam constitueret. Bonacin. & 5. quia lex pro singulis horis restitutionem definit *Ibid. res.* 26. *& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 220. *& p.* 5. *tr.* 5. *res.* 54. *& tract.* 14. *res* 46. *&* 47. *& part.* 9. *tractat.* 9. *resol.* 24. *& part.* 11. *tractat.* 2. *resol.* 44.

L. Omissionem Officij per octo; vel decem dies in anno, non obligare ad restitutionem, affirmat la Cruz & Io. Henriquez. Et saltem vno atque altero die omittentem excusari à restitutione docet Sotus & 3, Quod probabile putat Filliuc. Sed an probabiliter, alij iudicent; & videtur contra expressam intentionem Ecclesiæ in Bullâ Pij V. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 34. *& p* 5. *tr.* 5. *res.* 24. Etsi autem illa vera essent, non tamen similiter excusaretur beneficiarius à peccato mortali: sicut non excusatur si omittat primis sex mensibus ab obtento beneficio, sicut excusatur à restitutione. Lessius & 11. Neque illa obligatio restituendi est ex iure naturæ (etsi hoc affirmet Suarez & 7.) sed ex Ecclesiastico. Lessius & 20. *part.* 11. *tractat.* 1. *resol.* 7. *& part* 2. *tractat.* 12. *resol.* 25.

LI. Qui habet beneficium curatum; aut simplex, si per multos annos sæpiùs omisit horas canonicas, non tenetur restituere nisi partem fructuum respondentem obligationi recitandi horas. Lessius & 11. Quam in Episcopis & Parochis esse quintam partem, in Canonicis quartam, in alijs beneficiatis tertiam; docet Henriquez & 2. Quod tamen Lessio nimis laxum videtur pro iis qui non habent aliud onus quàm precum: vt Canonici sed probabile & tutum docet Trullench, Absolutè autem pro toto Officio restituendam tertiam partem illius diei; docet Tolet, &

Fernand. Imò si Canonicus grossam Canonicatûs prius verè & absolutè perceperit, nihil debere, restituere, etsi postcà Officium omittat, docet Salas contra Vasquez; eò quòd pœna statuta, sit, vt non faciat fructus suos, non autem vt iam suos factos restituat. Salas. *part.* 2. *tractat.* 12. *res.* 8. *& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 111.

LII. Beneficiarius, qui hodie supplet hesternum defectum in recitatione Officij, non liberatur ab onere restitutionis; quia ex Bullâ Pij V. qui non recitat suo tempore, non facit fructus suos. Henriquez & 2. Etsi id affirmet Bonacin, & 2, Imò & si recitaret quouis tempore siue antè, siue pòst. Quintanad. Quæ an sint probabilia, alij iudicent. Si autem sint, consequenter satisfacier qui non idem Officium omissum, sed aliud, vel etiam quasuis alias preces æquiualentes recitabit; quia creditor supponitur eas æquè acceptare, atque recitationem horarum. Suarez & 2. *p.* 2. *tr.* 12 *res.* 24. *& p.* 29. *tr.* 9. *res.* 24.

LIII. Restitutio ex omissione horarum facienda est fabricæ beneficij, sub qua continetur etiam domus beneficij in qua beneficiarius habitat, vel alia domus ipsius beneficij. Suarez. Vel ægris meliorandis, vel pauperibus, siue istius, siue alterius loci. Villalob. & 2. Vel defunctis, per Missas, & suffragia, nam & illi sunt indigentes. Filliuc. & 4. Vnde excusabitur beneficiatus à restitutione si alius Officium vel Missas ad eius intentionem dicat, quas ipse applicet defunctis. Quintanad. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 27. *& p* 9. *tr.* 9. *res.* 22. Item si quis tantumdem dedisset in eleemosynam nihil cogitans de tali obligatione probabiliter excusaretur. Layman & 11. Imò computari pro restitutione illâ possunt omnes eleemosynæ factæ etiam ante omissionem; quia habent rationem anticipatæ solutionis. Bonart. & Escobar. *part.* 3. *tractat.* 6. *resol.* 57. *& part.* 7. *tract.* 10. *res.* 24. *& p.* 9. *tr.* 9. *res.* 23.

LIV. Non tantùm Pontifex potest cum quibusnis dispensare circa recitationem Officij: Sed etiam potest Superior ex iustâ causâ cum suis Religiosis. Lessius & 2.

Item posse ex priuilegio Clementis VII. concesso Clericis S. Syluestri de Vrbe, occupatis prædicatione verbi Dei, audientiâ confessionum, vel etiam studio S. Theologiæ, assignare sex aut septem psalmos, cum septem *Pater noster*, & bis symbolum Apostolorum, vt ea recitent loco horarum canonicarum, tradit Rodriquez. Non potest tamen Prælatus quidquam mutare in Breuiario, absque licentiâ Papæ: Quamuis possit ex iustâ causâ dispensare semel atque iterum, vt aliud officium dicatur, quàm quod habetur in Breuiario pro illo die. Suarez & 6. Vel vt Officium vnius Religionis mutetur cum Officio alterius. *part. 2. tr. 12. resol. 19. & 36. & part. 3. tractat. 2. resol. 68. & part. 8. tract. 3. resol.* 101.

LV. Quando dispensatur cum subdiacono vt vxorem ducat, fit etiam simul liber ab obligatione recitandi horas: non tamen eo ipso quo habitum sæcularem assumit statum clericalem deserendo, vt vult Sanchez: Sed solùm à die contracti matrimonij. Squillant. *part. 8. tr. 3. res.* 34.

LVI. Quando occupationes aliquæ graues cum quibus non consistit recitatio horarum rarius, & ex improuiso occurrunt, potest propter eas Officium omitti: Non autem si occupationes eæ sint ex officio perpetuo, sed hoc potiùs tunc est deserendum. Suarez & 5. quamuis etiam hoc excusare doceat Câram. *p. 7. tr. 11. res.* 1. Sic Conciònatores etiam quotidiani in Quadragesimâ non excusantur à recitatione Officij. Suarez & 3. Quidquid id permittat Bordon. *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 32.

LVII. Qui non interest choro, vel processionibus in diebus Rogationum, non tenetur priuatim recitare Litanias. Vasquez & 3. *p.* 2. *tr.* 12. *res.* 42. Sed contrarium est tutius & verius. Suarez & 5. *p.* 4. *res.* 126.

LVIII. Orationes psalmorum pœnitentialium in fine litaniarum, vel quando in diebus rogationum hæ solæ leguntur in choro, stando recitandæ sunt. Castald. & Gauant. Etsi hoc neget Bordon. *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 34.

LIX. Officium Defunctorum die 2. Nouembris dicen

dum, obligat sub mortali. Suarez & 24. *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 243. Si tamen beneficiatus illud omitteret, non teneretur ad vllam restitutionem, modò legeret de Octauâ. Sed qui omittet vtrumque Officium, duplex committeret peccatum cum sint duo præcepta diuersa. Etsi Pellizzar, & Tancredi doceant omissionem vnius officij tunc probabiliter non esse mortalem: sed contrarium esse probabilius. *p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 29. & *p.* 11. *tr.* 4. *ref.* 45.

I.

IEIVNIVM.

I. SExagenarij, licet robusti & vegeti probabiliter excusantur à ieiunio. Sanchez & 11. (etsi plerique contrarium doceant. Lessius & 27.) non tamen anno quinquagesimo quinto: etsi hoc velit Remig. & 2. Eodem tempore excusantur etiam à ieiuniis, quæ vouerunt certis diebus anni in totum vitæ tempus. Sanchez & 5. etsi hoc neget Layman. Quæ vera sunt, etsi annus 60. tantùm esset inchoatus; (Sanchez & 10.) quia in fauorabilibus annus inceptus habetur pro completo. Eadem omnia probabiliter vera esse quoad annum quinquagesimum in feminis, docet Pellizzar. & 3. Quod an sit probabile, alij iudicent. Similiter Regulares eâ ætate non tenentur ad ieiunia Religionis. Nec est eadem ratio de iuuenibus ante annum 21. quia hi priuilegio suo non ieiunandi renuntiant per votum. Marchant. & 4. Quamuis etiam hos ad illa non teneri, docet Pellizz. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 20. & *p.* 5. *tr.* 14. *ref.* 83. & *p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 73. & *tract.* 6. *resol* 16. & *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 50. & *part* 11. *tract.* 3. *ref.* 9.

II. Licet ministrare carnes pueris ante septennium expletum, in diebus ieiunij; quia nullis legibus obstringuntur. (Sanchez & 6.) etsi tunc doli capaces sint. (Sancius & 5.) Quamuis alij hoc negent. Villalob. Item licet eas ministrare Paganis, qui nulla lege Ecclesiastica obligan-

tur. Nec non perpetuò amentibus. Sanchez & Fagund. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 42. *&* *p.* 7. *tr.* 7. *ref.* 58. *&* *p.* 11. *tr.* 2. *ref.* 56.

III. Nemo absens obligatur ad ieiunia particularia oppidi sui. Sanchez & 4. etsi illa seruarentur etiam in illo loco vbi tunc est. Sancius. Quare potest quis aliò se conferre, vt ieiunium vitet. Fagundez. *part.* 1. *tractat.* 9. *resol.* 18. *&* 19.

IV. Manè discedens ex loco domicilij vbi est ieiunium, peruenturus ad locum vbi non est ieiunium, potest sumere ientaculum in loco domicilij; (non tamen vesci carnibus) quia peruenturus est ad locum vbi licebit cœnare, Lessius & 5. Quod puto etiam esse verum, licet eodem die sit ad domicilium suum rediturus. Sancius. Idemque est si mane discedens è loco vbi non est ieiunium, sub meridiem veniat ad locum domicilij vbi ieiunatur, etiamsi ieiunium adhuc seruasset; quia enim mane potuit comedere non tenetur ad ieiunium toto die. Sancius. Sed contrarium docet Sanchez & 2. *Ibid. ref.* 3. *&* 50.

V. Ieiunium ad Episcopo indictum, Religiosos non obligat: Ieiunia tamen generali consuetudine recepta, illos etiam obligant. Suarez & 15. Contrarium tamen est probabile etsi consuetudo esset approbata in synodo prouinciali. Arriag. & San. Ioseph. *Ibid. ref.* 36. *&* *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 38. Sic & Regulares non teneri ad ieiunia obligantia ex voto emisso à populo eius loci vbi habitant, docet Bordon. & Pellizzar. Quo posito ciues accedentes ad eorum monasteria, etiam non obligarentur tamquam existentes in alieno territorio. Sed communis sententia est contraria. Vasquez & 3. *p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 14.

VI. Ieiunium in vigiliâ Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, Omnium Sanctorum, & omnium quatuor temporum non obligare sub mortali, ne ex consuetudine quidem docet Pasqualig. & Grana. Sed hoc est contra praxim totius Ecclesiæ. Sicut etsi de iure liceret comedere carnes die Sabbathi quando in illud incidit maior festiuitas. *c quia dies. de consecrat. dist.* 5. praxis tamen hoc

ad solum diem natalem DOMINI restrinxit. *part.*10.*tract.* 16. *resol.* 18.

VII. Artes quæ non sunt admodum laboriosæ, non videntur excusare à ieiunio, vt sunt sartorum, & Tonsorum. Lessius &.10. Sutores autem excusantur. Lessius & 4. Imò non desunt qui existiment Eugenium IV. omnes artifices indiscriminatim excusare. Fagund. & 2. Quod ego probabile puto. Et idem est de pictoribus & barbitonsoribus, si per totum diem laborant: secùs si per aliquam diei partem. Leand. *p.*1.*tr.*9.*resol.*7.*&* 8.*& p.* 8.*tr.*7.*res.*55 *& p.*10.*tr.*15. *res.*37. Fossores autem, Ferrarij & similes, non teneantur ieiunare etiam illis diebus, quibus non laborant: tum quia à labore præcedenti debilitati sunt, tum quia indigent viribus ad sequentem. Azor & 2. *part.*1. *tractat.* 9.*resol.*9.

VIII. Non tenetur quis eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore ieiunare possint, sed potest quoscumque, nullo discrimine. Fernand. Nec peccat si seruis onus incompatibile cum ieiunio imponat. Sanchez. Imò potest operarios conducere cum pacto, vt non ieiunent, ne aliàs minùs laborent. Fagund. *Ibid.res.*13.*& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 141.

IX. Lotrices quæ pro mercede pannos lauant per maximam diei partem, excusantur: non tamen dum pannos mundatos complicant; cùm non nisi vna hora ante, & altera post meridiem id faciant. Leand. *p.* 10.*tr.*15.*res.*37.

X. Qui maiorem partem diei scribunt, probabiliter excusantur à ieiunio. San Iuan & Machad. Vti & typographi, non solùm qui prælum versant, sed & qui Characteres componunt. Machad *part.*8. *tractat.* 7. *resol.*56.*& part.*4.*tr.* 4. *resol.*130.*&* 134.

XI. Concionatores qui tota Quadragesima concionantur, etsi ob mercedem, excusantur à ieiunio. Quod verum est etsi more hispanico ter solùm in hebdomada concionentur. At qui solis Dominicis diebus, non item, nisi sint debiles, sed excusantur tamen à ieiunio præce-

dentis diei, Trullench & San Iuan. Lectores, & Qui assiduam confessionibus audiendis dant operam, si commodè ieiunare non possunt, excusantur. Fagund. Idem dicendum de Cantoribus, qui mercede canunt, qui etiam ouis in Quadragesima vesci possunt causa vocis conseruandæ, si ad hoc necessarium est. Sancius & 4. Neque tamen eadē est ratio de Religiosis canentibus in choro.*p.1.tr. 9.res.* 10. *& 11.& p.10.tr.11.res. 32.& p.11.tr.1.res.*4. De Inquisitoribus, Consiliarijs, Aduocatis, & procuratoribus, idem dicendum quod de Concionatoribus, nempe illos excusari tantùm, quando eorum labor improbus est, vel tanta imbecillitas, vt studijs aliter satisfacere nequeant. *part. 1. tract. 9.res.12.& p.11.tr.4.res.*12.

XII. Etsi Cantores insignes possint manè aliquid sumere ad conseruandam vocem, vt communiter concedunt DD. non tamen quiuis Religiosi in choro canentes, sed si qui inter illos sunt insignes musici qui magno plausu coram populo cantent. Leand. & 2.*p.*10.*tr.*14.*res.*60.

XIII. Prægnantes & lactantes excusantur à ieiunio, etsi robustæ sint Lessius & 10.*p.*1.*tr.* 9.*res.*14. Non possunt tamen vesci ouis, vel carnibus. Villalob. & San Iuan. *p.*4. *tract.*4 *res.*126.

XIV. Qui non habet nisi panem & fructus, non habet prandium sufficiens vt teneatur ieiunare. La Cruz. Idem docet Murcia & 4. etsi haberet etiam legumina. Vnde posset tunc Vesci ouis & lacticinijs. Sanchez & 3. Et quamuis his vesceretur, adhuc tamen probabiliter non teneretur ieiunare. Pasqualig. Sed contrarium est probabilius; quia fortius est præceptum ieiunij, & propterea etiam cùm vsu ouorum seruandum est. Sanchez & Leand. Aliud est si quis comederet carnes; quia abstinentia ab ijs est de substantiâ ieiunij. *p. 9.tr.6.resol.*14. *& part.*10.*tr.*12.*res.* 45.

XV. Qui die ieiunij non haberet vinum, aut quod in alijs regionibus loco vini adhibetur non teneri ieiunare docet Pasqualig. Sed contrarium est tenendum, nisi aliquis ex eius carentia graue damnum corporale pateretur, Leand. & Baucius *p.*10.*tr.*12.*res.*45.

XVI. Qui nisi sumpta vesperi cœna, dormire nequit non tenetur ieiunare, neque manè collatiunculam sumere, & vesperi cœnare; quia nemo tenetur ordinem refectionum peruertere. Filliuc. & 3. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 51.

XVII. Defessus ex ludo pilæ, aut alio quocumque etiam illicito, non tenetur ad ieiunium. Neque tenetur ab ijs abstinere vt ieiunet, imò etsi in fraudem ieiunij id faceret; nam talis etiam sic non intendit violare præceptum, sed efficere vt ipse non obligetur propter impotentiam. Sancius & 3. Sed nunc eam sententiam non admitto cum D. Thoma & 25. Aliud est si labor ille non assumeretur in eum finem vt quis non ieiunet. Henriquez & 3. Hinc non tenetur quis peregrinationem longioris viæ, vnde excusetur à ieiunio, differre in alium diem. Sancius. *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 40. 46. *&* 52, *& part.* 9. *tract.* 6. *ref.* 16. *& part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 11.

XVIII. Itinerantes indiscriminatim excusari etsi iter conficiant equo, docet Ortiz & Machad. eò quòd omne iter etsi non pedestre soleat habere laborem incompatibilem cum ieiunio. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 46. *& p.* 8. *tr.* 7. *ref.* 40. Quod Pasqualig. admittit quando equitatio est difficilis in quis conductis; & citato gressu pergendum est. Sic excusatur etiam qui longum iter curru conficit nisi hic valde commodus sit, & modicè defatiget. Trullench. *par* 10. *tract.* 12. *ref.* 39.

XIX. Iter pedestre excusans à ieiunio assignat Leand. 9. milliaria, siue 3. leucas: imò & 7. solùm milliaria Pasqualig. Sed dicendum est requiri, & sufficere 12. milliaria, siue 4. leucas. Iter verò equestre, vnius diei poterit probabiliter excusare dummodo sit 30. vel 24. milliarium, siue 10, vel 8. leucarum hispanicarum. Leand. & Mendo. *p.* 10. *tr.* 14. *ref.* 2. *& p.* 11. *tr.* 2. *ref.* 57.

XX. Qui dubitat an expleuerit annum 21. vel an hodie sit dies ieiunij, non tenetur ieiunare. Suarez & 7. Qui annus tamen non computatur de momento ad momentum, etsi id velit Sanchez & Porel. Sed qui aliqua parte

diei non obligatur, censetur toto illo die non obligari. Sácius. *p.4 tr.3. ref.21. & p.1. tr. 9. ref.49.*

XXI. Si quis cœnans die Iouis dubitet, an sit audita 12. noctis, potest comedere carnes: secus si cœnaret die Sabbathi; quia in priori est libertas edendi, nisi sit 12. in posteriori est obligatio non edendi, nisi sit 12. Sanchez & *7.p.4.tract.3. ref.18.* Quia autem horologia omnia facilè quadrante vno aberrant, hora duodecima admittit latitudinem vnius quadrantis antè & pòst, ex probabilitate vtrimque. Caram. & Pasqual. *p.7.tr. 11.ref.15.*

XXII. Posse censeri materiam paruam si quis comedat carnes vnâ horâ ante mediam noctem ipso die ieiunij: vel post mediam noctem si sequens dies sit ieiunij: Item etsi quis audiret pulsum mediæ noctis tunc cœnans, posse tamen cœnam perficere, docet Pasqualig. Vti & probabile putat vltimâ nocte bacchanalium licere cœnam protrahere vsque ad tertiam horam post mediam noctem. Sed hæc omnia prorsus reijcienda sunt. *part 10. tract. 16. ref. 18.*

Qualitas ieiunij.

XXIII. Qui die ieiunij notabiliter anticipat horam comedendi, non peccat mortaliter; quia determinatio horæ non est de essentiâ ieiunij. Multi tamen id affirmant. Fagund. & 10. Saltem si anticipetur sine causâ, peccabitur venialiter, nisi sit exigua anticipatio, vt est vnius mediæ horæ. Filliuc. & 2. Vnde cùm Religiosi habeant priuilegium anticipandi prandium per horam, poterunt sine vllâ culpa prandere per horam & dimidiam ante meridiem. Ex altera tamen sententia asserente horam meridiei esse de essentia ieiunij, infert Sancius: eum qui vel ex causa, vel sine causa, mane comedisset v. g. putans se iter facturum, non teneri deinceps ieiunare. Sed hoc negat. Layman. *part.1.tractat. 9.resol.27.& 48.& part.5. tractat. 5.resol.10.*

XXIV. Qui ante prandium per quartam horæ partem, vel ad summum tertiam, aliquid sumunt, non frangunt ieiunium; quia hoc facit vnam comestionem cum prandio. Leand. & 2. Quod si prandium esset valde diu differendum, posset aliquid sumi vt obuietur debilitati quam longa dilatio causare solet. Seruientes autem mensæ, vel legentes ad mensam possunt etiam in magna quantitate cibum ante sumere; quia tunc omnes tam mensæ assidentes quam seruientes incipiunt prandium, quod hi ad aliquod tempus interrumpunt Leand. *p.* 4. *tr*. 4. *ref.* 142. *& p* 10. *tr.* 14. *ref.* 61.

XXV. Qui ieiunans surgit à mensa propter occurrens aliquod negotium, breui temporis spatio interiecto, potest memsam repetere ad continuandam refectionem. Azor & 4. Quod extendi potest ad spatium duarum horarum, sed non amplius. Leand. & 2. Quamuis Pasqualig. idem admittat etsi vrgente negotio, vsque ad vesperam prandium interrumperetur. Quamuis autem aliquis surrexisset animo non reuertendi, posset mutata voluntate iterum comedere intra breue tempus v. g. quadrantem horæ, vel paulò amplius. Filliuc, Molfes. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 32. *& p.* 10. *tr.* 14. *ref.* 62.

XXVI. Circa quantitatem collationis serotinæ, quando ab Ecclesia indicitur ieiunium, standum est consuetudine, quæ viget apud viros conscientiæ timoratæ. Lessius & Bonacin. Licet sumere quantitatem 6. aut 8. vnciarum. Suarez & 12. Imò putant quidam posse sumi quartam partem eorum, quæ sufficerent ad refectionem ordinariam Reginald. & 2. Sed hoc nimis laxum est. Potest tamen tota illa quantitas sumi in pane. Trullench, & 2. quod si sumatur partim in fructibus, non debere eam intelligi de humidis, aut recentibus, sed de siccis: & in illis maiorem quantitatem permitti; eò quòd decem vnciæ fructuum humidorum æquiualeant octo vnciis siccorum, docet Henriquez. Sed de hoc tu cogita. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 1. *& p.* .,. *tr.* 4. *ref.* 117. *& p.* 9. *tr.* 6. *ref.* 8. *&* 15.

XXVII. In collatiuncula illa insuper & qualitas ciborum est attendenda: nam cibos substantiales ad cœnam adhiberi solitos, vt pisces & oua, comedere in collatione, illicitum est, vt communiter DD. ac propterea falsa est sententia Bonacinæ & 10. asserentium in collatiuncula illa, non qualitatem, sed quantitatem esse attendendam. multo minùs permitti possunt oua tamquam cibus leuioris substantiæ, & qui inter bellaria computetur, vt vult Vidal, hoc enim repugnat sensui communi. Quòd si quis in aduertenter cibum sumat per diem, non ob id frangit ieiunium, aut tenetur abstinere à collatiuncula nocturna, nisi nimis propinquè ad horam refectionis nocturnæ esset cibus sumptus. Sancius. *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 1. *& p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 117, *& p.* 9. *tr.* 6. *res.* 8. *& p.* 10. *tr.* 14. *res.* 57, *&* 58.

XXVIII. Collatio vespertina non potest fieri cum caseo, lacte, cremore amigdalino, vel triticeo. Sanchez. Etsi alij permittant. Turrian. & 2. Item neque cum leguminibus: quia illa omnia spectant potissimùm ad nutriendum. Laym. & 3. Probabile tamen est posse quomodocumque sumi quantitatem permissam, modo iusculum non coquatur cum aliquo cibo vetito, sed tantum cum pane & aqua, vel vino, oleo, sale, vel fructibus. Azor & 6. *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 34. *& p.* 5. *tr.* 14. *res.* 12. *&* 14. *& p.* 9. *tr.* 6. *res.* 29. *& p.* 10, *tr.* 14. *res.* 57. *&* 58.

XXIX. Licet rationabilem ob causam manè collationem sumere, & vesperi cœnare: alioquin est peccatum veniale. Lessius & 5. Est autem causa honesta confectio itineris, venatio, piscatio &c. etiam ob finem animi relaxandi Castropal. Collatio verò serotina in vigilia Natiuitatis DOMINI sumi potest largiusculè, hoc est in duplum, scilicet vsque ad 16. vncias, idque ratione consuetudinis. Fagund. & 6. Imò ex fructibus, conseruis, & similibus quæ in collatione sumi solent, posse sumi vsque ad sacietatem, docet Sancius & 5. Quæ vera sunt etiam cum Festo illo incidente in feriam 2. ieiunium seruatur in sabbatho, & licet illo sabbatho simul occurat ieiunium quatuor tem-

porum. Sanchez & 4. Quin etiam quoad Religiosos eam consuetudinem esse dicit Sanchez & Llamas. Quòd tamen negandum videtur. Villalob. & Ledesm. Idem probabiliter licet etsi collatio eo die sumatur in meridie, dilata cœna in vesperum; est enim ieiunium lætitiæ. Pellizzar. Sed contrarium est probabilius. Sanchez & Trullench. Quæ omnia eodem modo dicenda etsi quis eo die deberet ieiunare ex voto, vel pœnitentia sacramentali; vel ad lucrandum iubilæum Bardi & *6. p.1.tr.9.ref.33.& 35.& p. 9. tract.6.resol.17.& part.5.tr.14.ref.12.& p.10.tr.12.ref.41.& 45.& p.11.tr.3.ref.9 & tr.7.ref.12.*

XXX. Eadem omnia dicenda de vigilia Paschatis & Pentecostes, docet Pasqualig. eò quòd & illa sint ieiunia lætitiæ. Sed contrarium est tenendum cùm repugnet consuetudini, à qua sola petenda est omnis licentia collationis. Gobat; *p.10.tr.12.ref.* 41.

Cibi vetiti.

XXXI. Licet in Quadrages. edere quod vulgò dicitur *Biscoctum*, etiamsi pauxillum oui contineat; propter paruitatem materiæ. Ledesm. & *2,p.1.tr.9.ref.*31. Non tamen liceret illud comedere in magna quantitate, vt si quis collationem serotinam octo vnciarum vellet totam sumere ex pane illo biscocto. Leād. Quidquid hoc permittat Pasqualig. *p.10.tr-14.ref.57.& tr.16.ref.*18.

XXXII. Oua & lacticinia ex vi iuris positiui; seclusa consuetudine, non esse prohibitia in Quadragesima nisi sub veniali, docet Fagund.& 3. Et vbi est consuetudo, non ita facilè statuendum est esse obligantem sub mortali: & quamuis dicatur obligare, tamen non esse certum ea adstringi Religiosos; docet Pellizzar. Sed hæc omnia reijcienda sunt, & contrarium planè tenendum. Sanchez & 20. etiam quoad dies Dominicos. Sanchez & 5. Quidquid his diebus illa permittat Escobar & 6. Quod admitti non potest vt probabile; quia à Sac. Congregatione iussum est

deleti in quodam libro. Nullis tamen aliis diebus extra Quadragesimam prohibentur. D. Thom. & 8. Esse etiam priuilegium à Leone X. per Bullam concessum quibusdam Religiosis in Hispania commedendi quibusuis diebus vetitis oua, butyrum, & lacticinia,(in quo communicant aliæ Religiones (docet Henriquez & La Cruz. Nec hoc amissum est per non-vsum, cùm non cedat in vllius præiudicium. Suarez & 3. Non sum tamen auctor Regularibus vt eo vtantur, quia non est praxis. *p.* 1. *tract.* 9. *res.* 41. & *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 80. & *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 13. & *p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 66. & *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 46.

XXXIII. Qui ob iubilæum debet ieiunare (Henriquez & 2.) vel ex pœnitentia Sacramentali, (Fagund. & 3.) vel qui id vouit, potest vti ouis & lacticiniis extra Quadragesimam. Sancius & 2. imò etsi quis vouisset ieiunare in quadragesima, si dubitet an intenderit abstinere à lacticiniis, etsi iis vescatur sine priuilegio, peccabit quidem contra præceptum Ecclesiæ, sed non contra votum. Sanchez. *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 5. & 6. & *in Addit* 3. *p. res.* 20. Item & si Religiosus voueat vel ei imponatur à Confessario ieiunium, debere id intelligi iuxta morem ieiunandi Religionis, non iuxta morem Ecclesiæ, docet Caram. Sed tu cogita. *p.* 7. *tr.* 11. *res.* 24.

XXXIV. Non potest Episcopus dispensare vt tempore pestis in sua ciuitate comedantur carnes in Quadragesima, nisi recurri non possit ad Pontificem. Nazar. & Marchin. Etsi contrarium doceat Venerus & Homobon. *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 3. Qui autem ex licentia Medici potest eas comedere in Quadragesima; potest eas etiam comedere in quatuor temporibus in illa occurrentibus: vti & qui habet licentiam eas comedendi diebus Veneris, & Sabbathi per annum. Quidquid hoc neget Baucius. *part.* 10. *tr.* 13. *resol.* 43.

XXXV. Etsi quis vno aliquo die ieiunij non haberet nisi panem & carnes, non posset carne vesci, sed deberet solo pane esse contentus: secùs si id contingeret

per plures dies. Etsi de vno etiam die id afferat Pasqualig. & Vidal. quod admitti posset in persona aliqua delicata, & lautè viuere solita. Leand. Rustici autem & alij vilibus escis assueti, etsi careant in Quadragesima piscibus, non possunt tamen vesci ouis aut aliis cibis vetitis. Iter verò agentes si non inueniant alios cibos qui sufficiens alimentum pro prandio præstent, possunt ad seruandum ieiunij præceptum, vesci ouis & lacticiniis; quia magis tenentur ieiunare, quam ab his abstinere: sed si ob laborem itineris à ieiunio excusentur, non possunt iis vesci; quia tunc sæpiùs per diem possunt comedere, & sic sufficiens habere alimentum Leand. *p.* 10. *tr.* 14. *res.* 59.

XXXVI. Dispensatus in esu carnium censetur dispensatus ad non ieiunandum; quia abstinentia à carnibus est de substantia ieiunij. Tolet. & 9. Neque tamen per hoc prohibetur comedere pisces, si voluerit. Fagund. & 8. Quidquid afferat. Nauar. & Graff. nisi id speciatim esset prohibitum. Castropal. Quamuis etiam tunc concedat Sancius. Quod si talis facultatem habet carnes edendi tantùm vt se præseruet ab infirmitate, si quo die illas non comedit, tenetur ieiunare. Sanchez & 5. Etsi id neget Pasqualig. Sin autem eam habet ratione infirmitatis præsentis, etsi illas aliquo die non comedat, non tamen tenetur ieiunare. Imò quando infirmitas est talis, quæ per se excusat à ieiunio, licet valetudini eius conduceret ieiunare, & oppositum noceret, non tamen teneretur ex præcepto Ecclesiæ, sed ex naturali abstinentiæ, quod non obligat, nisi sub veniali. Sanchez. Eodemque solùm præcepto tunc tenetur abstinere à larido, aliisque carnibus nociuis. *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 25. 26. *&* 47. *& tr.* 11. *res.* 4. *& p.* 4. *tr.* 4. *res.* 189. *& part* 9. *tract.* 6. *resol.* 11.

XXXVII. Qui violat ieiunium comedendo carnes, duplex committit peccatum in confessione explicandum: & tertium addit qui simul comedit lacticinia; quia illa præcepta sunt distincta. Conninc. Etsi vtrumque neget Leander. Vnde quoties quis in die ieiunij comedit carnes, vel

vel oua, vel lacticinia, toties peccat mortaliter. (Lessius & 8.) non autem si sæpiùs comedat pisces, sed tunc peccat tantum in secundâ comestione, in sequentibus autem nec venialiter; quia præceptum ieiunij est indiuiduum ex obiecto. Suarez & 27. Quando autem quis vouit ieiunium si sæpiùs comedat carnes, probabiliter peccat tantùm in primâ comestione; nam violato semel ieiunio cessat obligatio abstinendi à carnibus. Sanchez & 4. Aliud esset si vouisset abstinentiam à carnibus, nam tunç toties peccaret quoties eas comederet. *p.1.tr.9.res.45.44.55.& 37. & p.3.tr.4.resol.157.& p.9.tr.6.resol.11. & tr.8.resol.5.& p. 10. tract.14. res. 32.*

XXXVIII. In die ieiunij paruitas materiæ in esu carnium, excusat à mortali. Sanchez & 2. Est autem materia parua si quantum cocis permittitur gustare ex necessitate officij, tantum alius sumat sine ratione. Leone. Quod ad dimidiam vnciam carnis malè extendit Pasqualig. Quoad alios autem cibos materia parua est, quarta pars collationis serotinæ, siue duæ vnciæ. Turrian. & Leon. Quam etsi quis manè comederit, poterit sine mortali prandere in meridie, & vesperi collationem sumere. *p.1.tr.9.res.43 & p.5.tr.5.res.32.& 11.& p.8.tr.7.res.54.& p.10.tr.14.resol.56.* Vnde qui secundùm illam excederet in collatione vespertinâ, sumendo 10 vncias, tantum peccaret venialiter. Pellizzar. *p.9.tr.6.res.15.* Qui autem sæpiùs per diem modicum quid sumeret, peccaret mortaliter; quia illæ materiæ paruæ coalescunt in eodem die ieiunij. Etsi Salas illud conetur excusare; quando quis vno actu non vult omnes illas modicas comestiones. Sed ita posset quis facilè eludere præceptum ieiunij. *p.3.tr.6.res.43.*

XXXIX. Die Veneris delectari de esu carnis mente concepto, non est peccatum mortale; quia præceptum positiuum humanum per se non prohibet actus internos. Vasquez & *5.p.3.tr.5.res.5.*

XL. Vsus saginis licitus est in Siciliâ tempore Quadragesimæ ex consuetudine, & auctoritate DD. qui do-

cent: quibus diebus ex priuilegio licet comedere oua, caseum, & cetera lacticinia, licere etiam comedere lardum, & sagimem; quia pinguedo non est caro secundùm Aristotelem. Henriquez & 12. *p.1.tr.9.res.*21. Idem alij docent de sanguine animalis v.g. in farciminibus. Isnard. & Hostieus. Sed nunc re melius consideratâ iudico vtrumque illud nullo modo admittendum *part.*10. *tract.*16. *resol.* 77. & 38.

Violatio ieiunij.

XLI. Si quis inaduertenter vel carnes, vel alia comedat in magnâ quantitate, non frangere ieiunium, sed teneri reliquâ parte diei illud seruare ac si nihil comedisset: ideoque si illud contingeret mane, posse prandere in meridiè, & vesperi collationem sumere, docet Layman. & Manriq. Sed contrà, non obligari amplius docet Pontiu & Sancius. *p.1.tr.9.res.*44. & *p.9.tr.6.res.*28.

XLII. Potio vulgò in Hispaniâ dicta *Cholocate* frangit ieiunium; cùm sit potiùs cibus substantialissimus, quàm merus potus, & aqua adhibeatur tantùm ex necessitate ad dissoluenda alia ingredientia Sanchez & 10. Cōtrarium tamen, non est improbabile. Machad. & 7. nisi fortè quando ratione aliorum ingredientium non retinet rationem potûs. Etsi autem frangeret, duæ tamen vnciæ non frangerent ratione paruitatis materiæ. Lean. & Murcia. *part.* 4. *tract.*4. *resol.* 194. & *p.*8. *tr.*7. *resol.* 54. & *par.* 11. *tract.*6. *resol.*54.

XLIII. Mala Massilica vulgo *limoni*, vel mala medica, vulgo *aranci*, vel vuas sumere in quantitate notabili, frangit ieiunium; quia habet rationem cibi, & non potûs; nam vua sic sumpta in quamtumuis magnâ quantitate numquam inebriat. Nec probabile est quod contrà docet Pasqualig. Idem est etsi quis poma, pyra, vel vuas dentibu conterat, & succum deglutiat reiecta substantiâ solidâ; quia impossibile est vt non deglutiatur simul aliqua substantia habens rationem cibi. Leand. Aliud esset, si succu

ex illis fructibus expressus biberetur. Pellizzar. & 6. Quidquid Pasqualig. etiam illud prius excusare conetur. *p. 9. tr. 6. ref. 14. & p. 10. tr. 14. ref. 56.*

XLIV. Vini potus licet immoderatus non violat ieiunium, etiamsi simul aliquid comedatur; ne potus noceat, v.g. quinque vel sex amygdalæ saccharo incrustatæ, idque toties quoties biberit, dummodo id non faciant in fraudem ieiunii, sed tantùm ne potus noceat. Fagund. & 5. Imò Pasqualig. putat regulariter loquendo posse sumi quantitatem cibi infra vnam vnciam. Sed hoc nimium est. Melius Leand. permittit infra mediam vnciam quæ regulariter sufficiens, & necessaria est ne potus noceat. *p. 1. tr. 9. ref. 23. & 24. & p. 10. tr. 14. ref. 59.*

XLV. Qui die ieiunij ab amico rogatus, sumit modicum cibi vrbanitatis causâ, ne venialiter quidem peccat. Fagundez. Similiter ad excitandum appetitum infirmorum, possent iis inseruientes aliquid comedere die ieiunij, etiam ex carnibus. Sanchez & Nauar. *p. 1. tr. 9. ref. 19. & p. 5. tr. 5. ref. 32.*

XLVI. Etsi non frangat ieiunium qui aliquid sumit per modum medicinæ v.g. electuaria, vel conseruas: hoc tamen solùm verum est quando quis de facto ægritudine aliquâ laborat, aut de proximo eam timet nisi illa sumeret: non autem id licet pro conseruandâ merè valetudine. Fagund. & 4. Quidquid hoc etiam admittat Pasqualig. & Vidal. *p. 10. tr. 14. ref. 60.*

XLVII. Non peccat dupliciter qui duo ieiunia in eundem diem incidentia violat. Quia peccata non multiplicantur ex diuersitate præceptorum pertinentium ad eandem virtutem. Suarez, & 7. Aliud esset quando Religiosus, v.g. D. Francisci, violaret ieiunium vigiliæ incidentis in feriam sextam, in qua ex vi regulæ tenetur ieiunare, etiam ante annum 21. (Fagund. & 10.) tunc enim peccaret & contra temperantiam, & contra Religionem, propter votum de seruandâ Regulâ. Vasquez & 2. *p. 1. tr. 9. ref. 16.* Quamuis hoc ipsum neget Caietan. & Cornejo.

part.4.tractat.4.resolution.83.

XLVIII. Qui vouit ieiunium in pane & aquâ, si sæpiùs biberit vinum, vnum tantùm peccatum committit; quòd si vouisset nihil manducare, nisi panem, & aquam, peccaret mortaliter quoties vinum biberet quia toties frangeret votum negatiuum. Sanchez & Portel. *par.1. tr. 9.resol.4.*

XLIX. Si quis teneatur ieiunare in pane, & aquâ, & non possit nisi sumendo aliquid cibi, aut obsonij, non propterea ieiunium soluit: excusabitur autem ab illo ieiunio, si vino, aut obsonio carere non possit in eâ quantitate, quæ superet materiæ paruitatem; quia non esset ieiunium in pane, & aquâ, ad quod obligatur. Sancius. *p.3.tr. 5.resol.61.*

L. Qui vouit omnes sextas ferias ieiunare, si dies Natalis Domini inciderit in feriam 6. non tenetur ieiunare, nisi expresse incluserit in suo voto diem illum. Molina & 5. Etsi plures probabiliter id affirment. Suarez & 15.*par.1. tract.9.resol.22.*

LI. Qui vrbanitatis causâ inuitat ad cœnam in die ieiunij eum qui paratus est cœnare, non peccat, quia non inuitat illum absolutè ad cœnam (cùm per se iam sit paratus) sed ad cœnandum domi suæ Caietan. & 10. Modò illa inuitatio non sit absoluta, sed tantùm conditionata v.g. si alibi vis cœnare. Contrarium tamen est probabilius. Item qui in die ieiunij carnes vendunt, non peccant. Fagund. Neque item caupones qui omnibus petentibus apponunt cœnam indifferenter: quia alioquin alienarent hospites, & nihilominus, essent alibi cœnaturi, Ledesm. & 5.*Ibid.res.38.& 39.& p.5.tr.7.res.7.*

LII. Qui dubitat an obligetur ad ieiunium, petat à Superiore dispensationem qui facilè concedat. Filliuc. & 5. Si autem iudicat causam dispensationis esse minùs sufficientem, debet ieiunium in aliud opus pium commutare. La Cruz.*p.1.tr.9.res.15.* Quamuis non esset opus dispēsatione, quando dubium esset de graui damno ex obser-

uatione ieiunii, doceat Sancius & Caram. An probabiliter alii iudicent. *part.4.tract.3.resol.56.& p.9. tr. 6. res. 27.*

LIII. Medicus in causâ dubiâ non potest dispensare in ieiunio (etsi id affirmet Vidal.) sed tantùm instar alterius cuiuslibet viri prudentis declarare an causa sit sufficiens. Quod si dubia ea sit, petenda est dispensatio à Superiore. Fagund.& 7.*p.1.tr.13.res.27.*

LIV. Pater familias tenetur hortari filios, & seruos, vt obseruent ieiunia; non tamen cogere, nec domo eiicere. Tolet. & 9.*p.1.tract.9.res.28.*

Ignorantia.

I. IGnorantia quæ in alis materiis esset mortaliter culpabilis, excusat in transgressione præceptorum humanorum, modò non sit crassa, vel affectata; quia illa non obligant cum tanto rigore. Sanchez & 4. Saltem quando quis putat esse causam excusantem, quę non est. Lessius & *5.p.4.tr.4.res.35.& p.11.tr.4.res.4.*

II. Ignorantia illa omnis excusat à peccato, & est inuincibilis, quando non præcessit actualis aliqua cogitatio de malitiâ morali actûs, vel saltem dubitatio, vel scrupulus. Vasquez & 16.*part.4.tractat.4.resol.36.& part.11. tract. 4.resol.4.*

III. Ignorantia excusat Superiores Regularium à pœnis impositis in Bullis Pontificum. Quæ ignorantia probatur etiam in foro externo per iuramentum, & per hoc eliditur præsumptio iuris. Portel.& 2. *part. 5. tractat. 14.resol.24.*

IV. Qui operatur cum conscientiâ dictante, solùm in genere aliquid esse illicitum: non determinando an mortaliter, an venialiter, tantùm peccat venialiter, quia voluntas adhuc hæret intra terminos mali communis. & propterea est imperfecta in genere mali. Valent. & 6. *part.1.tract.7.resol.24.& part.3. tractat.4.resol.162.& part.5. tract.5.resol.31.*

V. Ignorantia eorum quæ ſcire tenemur ratione alicuius operis faciendi v.g.an homo ſit an fera in quam iaculor, &c. non eſt peccatum diſtinctum ab opere conſequente.Aliud eſt de iis quæ ſcire tenemur ex virtute ſtudioſitatis v.g. articulos fidei,præcepta communia vel propria ſtatûs & officii &c.Tanner.*p.4.tr.4.reſ.37.*

VI. Non eſt neceſſarium explicare in confeſſione an peccatum factum ſit ſcienter, an ex ignorantiâ culpabili, niſi in ordine ad cenſuras, (Suarez) aut quando ea ignorantia excuſaret à mortali in tranſgreſſione legis humanæ. Item quando per ignorantiam affectatam exponitur quis periculo committendi alia peccata v.g. ſi affectat ignorare ſtatum feminæ cum qua vult peccare.Sanchez *p.3. tract.4.reſol.*141.

Illegitimus.

I. NOn eſt illegitimus;cuius conceptionis tempore erat impedimentum dirimens inter parentes, modò ante eius natiuitatem,ſublato impedimento, matrimonio iuncti fuerint. (Sanchez & Sayr.) Neque qui natus eſt ex matrimonio inualidè contracto, propter occultum impedimentum, modò alteruter parens bonâ fide contraxerit. Coninc. & 3.*p.4.tr.2.reſ.59.*

II. Quando matrimonium bonâ fide ſaltem alterutrius contractum eſt, etſi poſtea lite motâ de eius valore, vel etiam cum iuſſi ſunt ſeparari, & non obediunt, ſed matrimonio vtuntur, naſcatur inde proles, erit legitima. Sayr. & 7. quia in matrimonio bona fides non perditur niſi per ſententiam; imò neque per hanc quoties debitè appellatur.*p.10.tr.11.reſ.61.*

III. Si ex coniugibus quorum alteruter ex conſenſu alterius emiſiſſet profeſſionem Religioſam, naſceretur filius, eſſet hic illegitimus & ſpurius tamquam genitus ex parentibus inhabilibus ad validè contrahendum, ſi de facto coniugati non eſſent.Suarez & 2.*p.9.tr.7.reſ.*70

IV. In dubio nemo censendus est illegitimus, vel spurius. Malder.*p.*4.*tr.*1. *res.*6.

V. Quando duo dubitant, vter illorum sit parens prolis illegitimæ, vterque tenetur ad alimenta pro qualitate dubii. Salas & 3. Et tamen probabile neutrum teneri donec moraliter certus sit esse suum filium. Lugo & Lessius. *Ibid.res.*31.*&p.*7.*tr.*11.*res.*35.

VI. Illegitimus per professionem de iure communi legitimatur ad Ordines, non tamen ad dignitates aut Prælaturas Religionis: sed ad has etiam legitimatur ex priuilegio in illis Religionibus quæ communicant in priuilegiis. Portel & Murcia.*p.*10.*tr.*13.*res.*39.

VII. Dum illegitimus petit dispensationem ad dignitates Ordinis, debet exprimere qualitatem illegitimitatis, àn naturalis sit, an spurius, an sacrilegus, an incestuosus; quia in his difficilior est dispensatio. Lezan, & 3. Contrarium tamen docet Rodriquez & Pellizzar. *part.* 10.*tr.* 23.*res.*39

VIII. Dispensatus ad dignitatem inferiorem v.g. Prouincialatum; non potest eligi ad superiorem v.g. Generalatum. Quod verum esse etsi in dispedsatione diceretur dispensari *ad Prioratum, Prouincialatum, & omnes alias dignitates Ordinis*; eò quòd clausula illa generalis posita post specialia intelligatur solùm de similibus, docet Peyrin. & Pellizzar.*Ibid.*

IX. Illegitimus dispensatus in sæculo ad omnia beneficia, potest eo ipso in Religione eligi ad Prælaturas. Lezan. & Pellizzar. Licet contrarium doceat Bordon. Non tamen contrà dispensatus ad dignitates Regulares, censetur etiam ad sæculares. Sanchez & 2: quia priuilegia per quæ talis dispensatio conceditur sunt in fauorem solius Religionis *Ibid.*

X. Possunt Generales Ordinum cum illegitimis dispensare ad dignitates & officia Ordinis absque Capitulo. Legitimatus autem à magistratu sęculari, si ingrediatur Religionem, non censetur legitimatus ad officia Ordinis;

quia magistratus non tollit impedimenta canonica. Portel. Imò quamuis ante ingressum Religionis dispensatus esset à Papa ad obtinendum beneficium curatum, non posset sine nouâ dispensatione fieri Prælatus Regularis. Barbos. & 3. *p.* 3. *tr.* 2. *ref.* 102. *&* *p.* 7. *tr.* 10. *ref.* 6.

XI. Filius Clerici, qui etiam est Clericus, non potest legitimari à Principe laico; quia legitimatio est actus iurisdictionis. Pontius. *p.* 1. *tr.* 2. *ref.* 112.

Indulgentiæ.

I. POtestas concedendi indulgentias potest acquiri consuetudine præscriptâ, sicut potestas dispensandi in votis. Layman & 3. Illam tamen de facto non habent vel Concilium generale, vel aliqui Prælati Episcopo inferiores, etsi iurisdictionem habeant Episcopalem. Granad. & 2. *p.* 5 *tr.* 12. *ref.* 21.

II. Episcopus solis subditis suis potest indulgentias concedere, non autem peregrinis. Potest tamen Regularibus in suâ diœcesi. Iordan. Archiepiscopus potest 40. dies concedere in totâ suâ Prouinciâ, etiam dum non visitat: vti & in suâ diœcesi concedere potest dies 80. In Ecclesiæ dedicatione potest Episcopus concedere vnum annum pro illo solùm die. Neque plures Episcopi simul consecrantes possunt amplius concedere quam vnus. Neque successor Episcopi potest alios dies concedere ob eandem causam ob quam prædecessor 40. dies concesserat. Barbos. & 3. Potest tamen hoc Archiepiscopus, vel alius qui simul ibi iurisdictionem habet. Suarez. Potest etiam Episcopus hanc potestatem delegare simplici sacerdoti. Suarez & 2. Item potest subditis suis vbiuis existentibus concedere indulgentias vbiuis locorum lucrandas. Suarez. Non Potest tamen eas concedere pro defunctis: Neque in loco exempto, quia hic est quasi extra diœcesim. Gauant. & 2. *p.* 11. *tr.* 8. *ref.* 14. *&* *p.* 12. *tr.* 1. *ref.* 103.

III. Indulgentia tot dierum, vel annorum intelligitur

de diebus, & annis huius vitæ, & de pœnitentiis tot dierum iniunctis, vel iniungendis. Rodriquez & 3. hoc est quod liberetur à tantâ pœnâ pro qua satisfecisset implendo pœnitentiam canonicam tot dierum vel annorum *p. 5. tr. 12. res. 39. & p. 8. tr. 1. res.* 81.

IV. Pontifex per indulgentias remittit etiam directè & immediatè pœnitentias Sacramentales à Confessario iniunctas, nisi quæ specialiter sunt præseruatiuæ. Henriquez & 3. Vnde qui eas probabiliter lucratur, liberatur à pœnitentiâ imposita. Neque tamen ad has solùm pœnas restringuntur indulgentiæ, sed extenduntur ad quasuis pœnas peccatis debitas, etiam pro quibus nulla pœnitentia est imposita. Suarez & 3. *p. 8. tr. 1. res.* 80. *&* 81.

V. Ad valorem indulgentiæ requiritur causa non tantùm pia, sed etiam proportionata. Suarez & 12. Etsi contrarium etiam probabile sit. Valent. & 3. *p. 5. tr. 12. resol.* 10. Non est tamen necesse semper publicam esse causam. Vnde reperiri potest iusta causa in concessione magnarum indulgentiarum ad calculos quosdam, vel numismata; quia hoc fit vel ad cultum alicuius Sancti, vel ob merita alicuius Principis erga Ecclesiam &c. Henriquez & 8. *p. 10. tr. 11. res.* 53.

VI. Causa tamen hæc debet esse distincta à generali causâ finali indulgentiarum quæ est vt satisfiat pro pœnis peccatorum: nam aliàs posset Pontifex quouis momento euacuare purgatorium. Gobat. Etsi contrarium doceat Pasqualig. Non est tamen necessarium vt causa à parte rei sit sufficiens, modò talis prudenter iudicetur à Pontifice. Suarez & 3. Neque semper debet requiri opus aliquod pium, sed potest esse causa iusta ex titulo gratitudinis, remunerationis, solatij, vel medicinæ. Lugo & Coninc. Imò quamuis concedens excederet suam auctoritatem, non irritaretur tota indulgentia, sed solùm secundùm excessum. Marchant. *p. 10. tr. 16. res.* 3.

VII. Quando pro aliquo altari in Ecclesiâ conceditur indulgentia cum clausulâ vt ea sit nulla, si aliqua alia in-

XII. Vt quis lucretur indulgentias ad numisma aliquod, non debet hoc esse proprium, sed sufficit vndecumque habeatur; quia indulgentia conceditur illud habenti quomodocumque. Escobar & 6. Sed Innocentius X. significari mandauit hanc sententiam sibi non placere, & suam intentionem esse, non posse lucrari aliquem indulgentias per medalia commodato accepta. Multo minùs sufficit in aliquâ imagine, vel cruce publicâ includere vt omnes ad eam orantes luctentur indulgentias. Marchant. Etsi Gobat hoc admittat in priuato Oratorio ob similem concessionem Leonis XI. in casu particulari. *Ibid. ref.* 2. *&* *p.* 11. *tr.* 2. *ref.* 50.

XIII. Non potest in locum numismatis amissi vel fracti aliud substitui. nisi hoc specialiter concedatur. Tunc autem censetur ita frangi vt indulgentia pereat, quando non potest amplius censeri moraliter eadem res. Sic I. si filum frangatur quo globuli rosarij colliguntur, non propterea perditur indulgentia; quia manet adhuc rosarium substantialiter idem. II. Etsi aliquot grana perdantur, si alia substituantur, non perit indulgentia; quia manet moraliter idem rosarium. Quod verum est etsi sic paulatim omnia grana mutarentur. Dicastill. III. perditur autem si in cruce Carauacensi alterutra hasta transuersa frangatur quando indulgentia concessa esset cruci Carauacensi quà tali: sed non obest etsi pars aliqua pedis inferioris frangatur. Pellizzar. IV. non impedit etsi frangatur pars superior seu fibula numismatis, V. si partes crucis fractæ, vel imaginis iterum coniungantur, redire etiam indulgentias censet. Gobat. *p.* 10. *tr.* 16. *ref.* 9 *&* *p.* 11. *tr.* 8. *ref.* 10.

VIV. Quando amisso numismate cui indulgentia annexa est, aliud in eius locum subrogatur, si casu posteà reperiatur prius, indulgentias tamen retinet posterius. Lugo. Sed contrarium docet Mendo. Ideo tutius vtrumque seruabitur. Potest autem talis applicatio indulgentiæ fieri solo actu interno, Lugo. *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 33. *& part.* 11. *tract.* 2. *ref.* 50.

XV. Orbiculi benedicti, vulgo *Agni Dei* etsi deteratur imago, vel etiamsi frangantur, retinent secundùm omnes particulas benedictionem: non tamen indulgentiam si quæ illis erat concessa Dicastill.*p.11.tr.8.ref.7.*

XVI. Quando Religiosus moritur nondum applicatis omnibus indulgentiis à Pontifice obtentis, non potest postea eius Superior de illis disponere tamquam heres. Pellizzar. Etsi hoc etiam probabiliter affirmet Gobat. *p.10.tr.16.ref.6.*

VII. Non est necesse vt faciens opera præscripta sciat illa facientibus concessam esse indulgentiam. Layman & 5. Sic plenariam lucrantur legentes ter *Aue Maria* cum suis versiculis ad pulsum campanæ vesperi ex concessione Adriani VI. etsi hoc ignorent. Lugo & 11. Saltem sufficit intentio lucrandi indulgentias, etsi illa non esset principalis: vt si quis anno iubilæi primariò iret Romam ad obtinendum beneficium, aliàs non iturus. Suarez & Granad.*p.5.tr.12.ref.6.&7.& p.4.tr.4.ref.24.& p.10. tr.16.ref.1.&p.11.tr.7.ref.12.*

XVIII. Quandocumque indulgentia aliqua conceditur per modum iubilæi, concedi implicitè facultatem eligendi Confessarium cum potestate absoluendi à reseruatis &c. ac per hoc differre ab aliis indulgentiis plenariis docet Pasqualig.& 3. Sed non est vllo modo recedendum à sententiâ negatiuâ Suarez & 3.quia illa priuilegia iubilæi non conceduntur nisi exprimantur. *part. 10. tract. 16.resol.5.*

XIX. In indulgentiis omissio illius partis operis iniuncti est leuis, ita vt nihilominùs lucreris indulgentiam, quâ omisså censeris adhuc moraliter opus requisitum fecisse. Suarez & 9. Non autem si é 5.*Pater & Aue* omittas vnum.*p.5.tr.5.ref.7.& tr.12.ref.23.*

XX. Similiter potest esse paruitas materiæ in continuatione, v.g. quando requiritur oratio 40.horarum; nam hæc non censetur interrumpi etsi ob tarditatem vel somnolentiam aliquando in templo nullus actu oret ad breue

tempus : imò sufficit aliquem esse præsentem per modum supplicis & cultum Deo religiosum exhibentis. Gobat. *p.10.tr.16.res.4.*

XXI. Indulgentiam concessam vsque ad occasum solis lucratur qui Ecclesiam illam visitat statim postquam sol totus plané occubuit. Gobat. Etsi eam finiri ad tempus Completorij velit Quintanad.*Ibid.*

XXII. Non est necesse vt opera iniuncta fiant bene moraliter ; quia non videtur Pontifex ampliùs exigere , quàm opus quod sufficit ad implendum præceptum diuinum,vel humanum.Suarez & 5. Vnde & confessio informis sufficere potest pro lucrando iubilæo , vel indulgentiã,si talis posteà conteratur. Bardi.Quòd si quis præ turbâ non possit Ecclesiam præscriptam ingredi, sufficiet foris orare; nam etiam cœmiterium tunc venit nomine Ecclesiæ. Layman & 3.*p.5.tr.12.res.5.& 19.&p.11.tr.6.res.*10. Potest autem quis sæpius eodem die lucrari tales indulgentias,si sæpius visitet illam Ecclesiam. Bonacin. *p.* 1. *tr.* 11.*resol.*104.

XXIII. Eleemosyna cum requiritur , non debet esse proportionata statui dantis , sed quælibet minima sufficit.Lezan. & 4. Quod si expresfè diceretur dandam esse iuxta facultates cuiusque , intelligenda est talis qualem quis extra iubilæum communiter dare consueuit. (Bossius.) pauperes verò qui viuunt de quotidiano labore non tenentur vllam dare. Henriquez & 5. Tutius tamen erit commutationem petere, vel sibi applicari.Qui autem dari iubet per famulum, si hic non det,nõ lucrabitur indulgẽtiam.Bonacin & 3. Contrarium tamen est probabile.Sà & 3. Imò etsi tempore indulgentiæ vel iubilæi Dominus intelligeret famulum eam non dedisse , non teneri tamen aliam dare,docet Bardi.Sed contrarium in praxi sequendum est *p.5.tr.12.res.14.15.&31.&p.10.tr.13.res.55.&p.11. tract.7.res.18.*

XXIV. Quando requiritur communio pro aliquâ indulgentia quæ incipit à primis vesperis, sufficit pridie il-

lius festi illam sumpsisse Quod si plures eodem die occurrant indulgentiæ diuersis Ecclesiis concessæ sufficit pro omnibus vna communio; Imò etsi aliqua indulgentia sequenti die occurreret, vel etiam vlteriùs modò intra debitam distantiam: Lugo & 7, Quod extendunt Comitolius & Portel. vt confessio & communio facta 1. Augusti etiam à non cogitante de indulgentiis, sufficiat pro indulgentiâ occurrente 6. Augusti. Quandocumque autem communio requiritur pro indulgentiis vel iubilæo, afficit etiam pueros qui eius nondum sunt capaces, ideoque debet in aliud opus commutati. Quintanad. Etsi hoc, etiam probabiliter, neget Pasqualig.*p.*10.*tr.*13.*ref.*55.

XXV. Potest quis vno opere lucrari plures indulgentias diuersis titulis illi operi concessas, quando illud determinato loco, & tempori est adstrictum ita vt semel tantùm fieri possit, v.g. ieiunare pridie S. Ioannis Bapt. secus vero si opus præscriptum potest repeti. Suarez & 6. Imò quamuis opus iterabile sit, idem docet Lezan. & 2. Sic sacerdos habens numisma quinque Sanctorum si celebrat in altari priuilegiato, liberat tres animas è purgatorio. I. ratione altaris priuilegiati. II. ratione numismatis iuxta paragraph. 1. concessionis illius. & III. quatenus plenariam quam iuxta eundem paragraph. 1. sibi lucratur, permittitur paragrap. 13. applicare defunctis. Quod si simul habuerit numisma S. Caroli Borromæi, liberabit quartam iuxta paragraph. 17. illarum indulgentiarum. Et si prætereà habeat indulgentias Vrbani VIII. liberabit quintam in diebus ibi expressis.*p.*5.*tractat.*12.*ref.*11.*&p.*10.*tract.*16.*ref.*14.

XXVI. Excommunicatus etiam contritus & quando non potest obtinere absolutionem, non potest tamen lucrari indulgentias; quia exclusus est à participatione meritorum. Suarez & 14. Contraria tamen sententia pia est, & probabilis. Henriquez & 3.*p.*5.*tr.*12. *ref.*13.

XXVII. Indulgentia non potest applicari defunctis nisi hoc expresse concedatur. Amic. & 2. Etsi hoc de solâ in-

fallibili applicatione intelligat Gobat : non autem de applicatione fundatâ in solâ liberali Dei acceptatione. *p.10. tract.16. res.12.*

XXVIII. Indulgentiam pro defunctis lucrari potest etiam qui est in peccato mortali. D.Thom. & 15. Imò etsi ad liberationem animæ requiratur communio, sufficere sacrilegam in peccato mortali, docet Pellizzar. Sed tu cogita. Quamuis autem ad indulgentias pro defunctis lucrandas requireretur status gratiæ, hoc tamen non procedere in sacrificio Missæ, docet Sà ; eò quòd Sacerdos opus illud faciat in personâ Ecclesiæ. *p.5. tr.12. res.38. & p.10.tract.16. res.13.*

XXIX. Indulgentiæ certò, & infallibiliter prosunt defunctis. Suarez & 9. Nec est necesse vt animæ peculiariter meruerint in vitâ vt illæ sibi prodesse possent. Suarez & 9. Imò prosunt etiam catechumenis non mortuis tantùm, sed & viuis. Granad. & 6. Imò & sacrificium Missæ posse iis applicari docet S.Faust. & Scortia. *p.5.tr. 2. res.8.& 9. & p.9.tr.12.res.6.& 27.*

XXX. Posset Pontifex ita concedere indulgentiam vt anima non ingrederetur purgatorium, si eam concederet applicandam illi in primo instanti post mortem, siue immediatè, siue mediante aliquo opere implendo ab alio viuente priùs quam alter moreretur. Mendo. *part. 11..tract. 2.resol.43.*

XXXI. Etsi communiùs doceant indulgentiam sublato impedimento peccati non reuiuiscere, aut effectum suum sortiri. Suarez & 11. Contrarium tamen est probabile. Granad. & 3. Sic etsi quis vesperi recitasset in statu peccati illa tria *Aue Maria* cum suis versiculis ad pulsum cāpanæ, si postridie manè rediret ad statum gratiæ, lucrari illam indulgentiam, docet Lugo & 8. *p.5.tr.12.res.4.& p.4.tr.4.res.94.& p.10.tr. 16.res.1.*

XXXII. Etsi possint indulgentiæ reuocari pro arbitrio concedentis (saltem quæ non sunt concessæ per contractum onerosum, vt sunt Bullæ Cruciatæ) non cessant ta-

men donec earum reuocatio legitimè promulgetur: imò donec perueniat ad notitiam eas possidentis quoties coniunctæ sunt cum priuilegiis absoluendi, vel dispensandi. Dicastill. & Amic. *p.11.tr.8.res.10.*

XXXIII. Paulus V. reuocauit omnes indulgentias Regularibus concessas à suis Prædecessoribus, earumque loco nouas concessit in eâdem Bullâ *Romanus Pontifex* Anno 1606. Et quamuis postea quorundam antiqua priuilegia, gratias, concessiones &c. confirmarit, non tamen per hoc reualidatæ fuerunt indulgentiæ illæ priùs reuocatæ: Etsi id affirmet Rodriquez. Non est tamen reuocata indulgentia plenaria concessa parentibus FF. Minorum existentibus in Purgatorio, si pro illis Minorita dixerit vnam Missam; quia illa indulgentia non est Fratribus concessa, sed eorum parentibus Idemque est de indulgentiis concessis sæcularibus visitantibus Ecclesias Regularium. Portel. Et vniuersim non sunt reuocatæ indulgentiæ pro defunctis. Peregrin. & Quintanad. Neque indulgentia concessa parentibus FF. Minorum, & per communicationem aliorum Regularium, qua possunt eligere Confessarium per quem plenariè absoluantur à culpâ & pœnâ. Portel. *p.4.tr.4.res.20.& p.9.tr.2.res.21.*

Vide *Altare priuilegiatum. Iubilæum.*

Inquisitores.

Eorum potestas.

I. IVrisdictio Inquisitorum in se, & à principio est delegata, & habet omnes excellentias delegatæ, sed caret eius imperfectionibus. Barbos. & 3. Vnde causas hæresis potest alteri delegare. Imò & an horum delegatus non possit subdelegare, dubium est. Pegna. *part, 4.tractat.8.resol. 1.& 18.*

II. Non est cumulatiua, sed priuatiua; neque enim

tunc possunt Episcopi de hæresi cognoscere, Molina & 6. Nec edicta fidei proponere, saltem in regnis Hispaniarum. Molina. *Ibid. res.* 2. & 126.

III. Extendit se non solum ad ea, quæ ipsis competunt ex iure communi; sed etiam quæ ex consuetudine. Molina & 9. Estque tota Ecclesiastica, etsi etiam sunt iudices in causis ciuilibus suorum familiarium. Narbona & 2. *Ibid. res.* 3. & 55. & *p.*1.*tr.*2.*res.*136.

IV. Habent familiam armatam, & hanc armorum licentiam suis ministris etiam Aduocatis, & Consultoribus possunt concedere, Pegna & 5. Nec possunt ab Inquisitore generali aut deponi, aut de loco in locum transferri, sine iustâ causâ. Imò si causa mutandi est ex aliorum parte iniusta; vt quia, v.g. contra eos sunt odia, vel dissensiones personarum Principum, debent de meliori inquisitione prouideri. Zanard. *p.*4.*tr.*8.*res.*31. & 34. Quòd si sint Regulares, non solùm puniri nequeunt à suis Superioribus delinquentes in proprio officio, sed neque in aliis, saltem eâ pœnâ quæ aliquo modo impedire posset proprij officij exercitium. Farinac. & Castro. *Ibid. res.* 53.

V. Si Episcopus & Inquisitores incompatibilia præcipiant. v.g. vt reus eâdem horâ apud ipsos compareat, debet parere Inquisitori potiùs, quàm Episcopo. Azor & 4. Imò nec Legati S. Pontificis debent se eorum officio ingerere. Sanctarell. *Ibid. res.* 47. & 27.

VI. Si Inquisitor recusatur iudex, vt suspectus, recurrendum est ad summum Inquisitorem. Pegna. *Ibid. res.* 5.

VII. Ad declarationem propositionum vocari solent Qualificatores, etsi id fortè necessarium non est, quando Inquisitores sunt Theologi. Freytas. *Ibid. res.* 84. Consultorum tamen suffragia non sunt decisiua, sed consultiua tantùm. Barbosa & 11. *Ibid. tr.*7. *res.*38.

VIII. Non possunt ipsi legere libros hæreticos, sed solus Inquisitor generalis. Suarez & 3. (Quod tamen docet Bonacin. & 10. Vnde nec aliis id concedere. Sanchez. Qui autem facultatem habet legendi libros specialiter ab ipsis

prohibitos, probabiliter potest eos legere etiam extra ipsorum territorium, etsi alibi etiam sint prohibiti. Nouar. & 2. Sed contrarium est probabilius. Suarez & Portel. Similiter non possunt dispensare in irregularitate contractâ ex hæresi. Suarez & 3. *Ibid.tract.* 8. *resol.* 46. 99. 100. *&* 85.

IX. Possunt cogere per censuras, vt tam Clerus, quàm populus confluant in templum ad audiendum edictum fidei. Narbona & 2. Sicut & Iudicem laicum ad executionem sententiæ à se latæ: & si negligat, contra illum procedere, tamquam fautorem hæreticorum. Pegna & 9. *p.*4.*tr.* 8.*res.*89.26.*&* 65.*& tr.*1.*res.*59. Hinc tamen nullam incurrunt irregularitatem. *p.*1.*tr.*2.*res.*135, Imò quomodocumque concurrant ad reorum condemnationem non fiunt irregulares ex decreto Pauli IV. & Pij V. Auila & 9. Possunt tamen se inuicem absoluere ab irregularitate si in aliquam inciderint. Royas & 2.*p.*4.*tractat.*8. *res.*51.*& tract.* 2. *resol.* 102.

X. Quælibet statuta Dominorum temporalium impedientia iurisdictionem Inquisitorum, sunt ipso iure nulla, possuntque hi cogere illos sub pœnâ excommunicationis ad ea reuocanda. Barbosa & 5.*part.*4.*tr.*8.*res.*104.

XI. Etsi possint Rei appellare a sententiâ interlocutoriâ, non tamen à definitiuâ, vel ipsi, vel eorum heredes. Farinac. & 5. Imò ne quidem superiorem adire possunt per viam querelæ, & supplicationis. Carrera & Simanca. Vbi autem habuerit locum appellatio, debet reus admitti ad opponendas & probandas oppositiones contra testes primæ instantiæ. Cantera. *Ibid.res.*20.32.*&* 117.

XII. Inquisitores non excusantur à residentiâ parochiali. (Sanctarell. & Gonzales.) In suis tamen præbendis, & dignitatibus habentur pro præsentibus, etiam quoad distributiones quotidianas. Garsias & 5. *Ibid. res.*71.

XIII. Debent esse magis iurisperiti, quàm Theologi. (Simancia & Scaccia.) Non tamen habere ætatem 40. annorum, saltem prout iam in praxi eliguntur. Sanctarell. &

3. Ibid.res. 52. & 54.

XIV. In Inquisitione Hispanicâ Inquisitores, vel eorum ministri, non solùm munera, sed & esculenta, aut pocula prohibentur accipere. Scaccia. Quòd si prætextu officij sui pecuniam extorqueant, incurrunt excommunicationem *Clementin. 1. de Hæret.* Suarez. Sin autem non lucri causâ, nec odii, sed ex timore, vel ad euitanda scandala omiserint contra Hæreticos procedere, non incurrunt excommunicationem *Clementin. 1. de Hæret.* Sanctarell. & 5. *Ibid. res.* 8. 28. & 37.

XV. Iurisdictio Inquisitorum non expirat morte concedentis, v. g. Papæ, vel supremi Inquisitoris, etsi fuerit concessa cum clausulâ, *ad beneplacitum*: Imò nec Vicarii seu Commissarii aut alterius delegati, expirat per mortem Inquisitoris. Sanchez & 7. *Ibid. res.* 19.

In quos habeant iurisdictionem.

XVI. Episcopum etiam titularem tantùm, vel electum, & non confirmatum, quamuis Inquisitores non possint capere (nisi fortè quando esset suspectus de fugâ, vel aliquid moliretur in detrimentum fidei) possunt tamen dicta testium contra illum accipere; vt sic negotium instructum ad Pontificem mittant. Suarez & 3. p. 4. *tr.* 8. *res.* 21. Generales Ordinum non habent idem hoc priuilegium cum Episcopis. (etsi hoc affirmet Nauar. & 3.) Non debent tamen contra illos procedere Inquisitores, sed admonere supremum Senatum Inquisitionis. Zanard. & 2. *Ibid. res.* 23.

XVII. Non possunt procedere contra Nuntios, aut Officiales Sedis Apostolicæ. Suarez & 8. Neque Inquisitor contra alium Inquisitorem; quia par in parem non habet iurisdictionem. Suarez & 3. *Ibid. res.* 24. & 25.

XVIII. Non baptizatus sicut non subest Ecclesiæ, ita nec Inquisitoribus: quòd si dubitetur, præsumitur baptizatus, si natus est, & educatus inter Christianos; non si

inter infideles. Quòd si ab his captus esset ante annos discretionis, non posset puniri vt hæreticus: quia non fuit sufficienter instructus in fide. Suarez & 3. *Ibidem res.* 78. *&* 113.

De quibus cognoscant.

XIX. Possunt cognoscere non solum de causâ hæresis,sed etiam de omnibus connexis,& incidentibus. Pegna & 3. Sicut animaduertunt non solùm in propositiones hæreticas,sed etiam in alias inferioris notæ, vt hæresim sapientes,&c.Lorca.Verba tamen dubia,in sensu catholico sunt accipienda, nisi obstet qualitas personæ suspectæ. Rojas & 5.*p.4.tr.8.res.70.94.&* 83.

XX. Possunt punire disputantes de fide in casibus à iure prohibitis.Farinac. & 2. Sed prohibitio illa in *cap.2. de Hæret. in 6.* tantùm agit de laicis, non autem de Clericis. Item puniunt assistentes conuenticulis hæreticorum;si enim id fiat in partibus Catholicorum, etiam semel tantùm, fieret vehementer de hæresi suspectus, nisi ignorantia, vel qualitas personæ in contrarium concurreret: Quod si id fiat in partibus hæreticorum, etiam per duas vices,non patit nisi leuem suspicionem, Sousa & 5.*Ibidem res.56.&* 93. Laicus tamen quando est doctus potest disputare cum hæretico.Hurtadus & 5.*part.5.tract.13.res.22. & tr.14.res.96.*

XXI. Qui in sortilegiis vsus est aliquo Sacramento, vt oleo sacro, chrismate, &c. puniendus est ab Inquisitoribus. Idemque est si misceantur Sacramentalia, aut etiam verba sacra, vt Euangelium, Oratio Dominica, &c. vel Agnus Dei, vel similes res sacræ, vt vestes Sacerdotales,& à fortiori,si reliquiæ Sanctorum; hæc enim omnia hæresim sapiunt.Del Rio & 4.Imò ex Bullâ Sixti V.cognoscũt de sortilegiis,etiam non sapientibus hæresim, non tamen priuatiuè quoad Episcopos. Leone. Item puniuntur ab ipsis qui ope dæmonis præterita vel præsentia indicant,v.g.

furta ; quia omne cum dæmone commercium hæresim sapit. Simanca & Spina. *part.* 4. *tr.*8.*resol.*13.14.107.111.112. 119. & 15.

XXII. In causis Lamiarum possunt etiam soli procedere, decentiùs tamen est vt id faciant requisitis Ordinariis. Pegna. Item sunt iudices Ensalmorum, saltem cumulatiuè, etiam quando non sapiunt hæresim manifestam Llamas, *Ibid.res.*120.&122.

XXIII. Puniuntur ab Inquisitoribus tamquam suspecti de hæresi, qui deturpant vel lacerant schedulas affixas quibus aliqui declarantur excommunicati. (Homobon.) Qui in communione sumunt plures, aut maiores hostias. (La Cruz & Heredia) Qui non communicant, & confitentur in Paschate. Vel qui carnes diebus veneris comedunt. Sanctarell. & 4.*Ibid.res.*103.38.&96.

XXIV. Non possunt punire confessarios violantes sigillum confessionis: nisi simul adesset error in intellectu. Molfes. Sed puniunt eos qui in confessione ad turpia sollicitarunt : non tamen quando ij iam antè ab Ordinario iudicati fuerunt. Acugna & Freitas. Item puniunt eos, qui ipsosmet factis, aut verbis lædunt : læditur enim S. Officium. Bobadilla & 3.*Ibid.res.*95.&91.&*tr.*5.*res.*54.

XXV. Spectat ad Inquisitores examinare reuelationes mulierculárum. (Simanca & 2. (& inuigilare, vt ne non Beatificatorum imagines cum signis Sanctitatis publicè exponantur, iuxta constitutionem Vrbani VIII. Item procedere contra Ægyptianas quæ bonam, vel malam fortunam diuinant. Villadiego. *part.*4.*tractat.*8.*resol.* 125. 127. & 128.

XXVI. Quicumque consilium etiam iustum, dederit reo ab Inquisitoribus incarcerato, ipsis insciis, est ab iisdē puniendus. Freitas & 2.*Ibid.res.*67.

XXVII. Inquisitores non sunt iudices competentes circa reconciliatos vulgò *San Benitados*, nisi inter se rixentur, dum sunt in carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ vnus alteri conuitia dixerit. Pegna & 3.*Ibid.res.*69.

Modus procedendi.

XXVIII. Possunt non solùm verbaliter, sed realiter citare, & capere reum in alieno territorio, & mandare, vt ad se transmittantur libri, & alia necessaria ad causam, sine licentiâ Dominorum loci, etiam Ecclesiasticorum. Scaccia & Simanca. Vt tamen possit capi, debent esse indicia sufficientia ad torturam. Cantera & 2. *part.4.tract.8. ref.7.& 11.*

XXIX. Possunt ex leui suspicione formare inquisitionem, & interrogare reum, etsi non præcedat diffamatio quando est homo vilis; secus si honestus, nobilis, & religiosus. Dicitur autem leuis suspicio comparatiuè ad vehementem, debet enim in se esse notabilis, Iudicis arbitrio. Freitas. *Ibid. ref.* 4. & 39. Quòd si denuntiatio facta esset per chartam sine nomine, in quâ etiam testes nominarentur, non posset reus ex vi huius examinari; quia est suspecta: Sed præcipua ratio est praxis, cùm etiam inimicus capitalis possit accusare. *Ibid. ref.* 41.

XXX. Sola infamia sufficit ad inquirendum, & procedendum in crimine hæresis. Zanchin. & 2. Imò ad indicendam purgationem, seu abiurationem, modò grauis sit, & vehemens Pegna & 3. Infamia tamen illa non probatur per testes inhabiles, nisi essent plures quàm duo, & deponerent verosimilia. Pegna. *Ibib. ref.* 82.

XXXI. Post sententiam absolutoriam in crimine hæresis, si noua. superueniant indicia, coniunguntur cum prioribus, & potest reus de nouo examinari, & puniri. Pegna & 4. Quòd si imposita fuit pœna arbitraria, quæ nondum est impleta, si pòst superueniat plena probatio, puniri debet pœnâ ordinariâ: si autem impleta est, debet detrahi de secundâ, nisi hæc esset capitalis, quæ minui non potest, cùm sit indiuisibilis. Castro pal. *Ibid.resol.*1 0.& *tract.* 7. *ref.* 35.

XXXII. Debent causas quamprimum expedire, nec

differre vel suspendere spe futurarum probationum. Simanca Possunt autem procedere simpliciter, & de plano sine strepitu, & figurâ iudicij, seruatis tamen iis, quæ per se necessaria sunt ad æquitatem sententiæ. Pegna & 6. *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 72. *&* 48. Hinc non tenentur, dum interrogant reum manifestare ei iudicia, & semiplenam probationem, ex quâ ius habeant interrogandi, quamuis ad hoc teneantur in aliis criminibus exceptis vt læsæ maiestatis, &c. Peguera. Debent tamen reum absentem citare trinâ citatione, vel vnâ quæ tribus æquiualeat. *Ibid. res.* 130. *&* 80.

XXXIII. Non possunt Inquisitores promittere reo impunitatem si verum fateatur; nam esset nihilominus puniendus præsertim si esset relapsus. Cantera. *Ibidem resol.* 22.

XXXIV. Cautissimè procedendum est in examine Hæretici, præsertim versuti, & callidi. Securius etiam est, vt reis de hæresi non concedatur Confessarius ante iudicialem confessionem, etsi id petant. Item quamuis concedatur ipsis Aduocatus, non tamen Procurator. Pegna & 3. *Ibid. res.* 88. 6. *&* 9.

Tortura.

XXXV. Inquisitores debent esse proni ad torturam; quia cimen hæresis suapte naturâ occultum est, & difficilis probationis. Rojas & 3. Numquam tamen ea adhibenda nisi deficientibus aliis modis probandi. Portel & 5. *p.* 4. *tr.* 6. *res.* 1. Et cùm vehementia sunt indicia, si reus potest, debet torqueri, vt vel absoluatur, vel pœnâ ordinariâ puniatur. Sanchez & 3. Modus autem torquendi debet esse pro qualitate personarum. Et contra sagas diligenter aduertendum ne remedia contra sensum doloris in corpore occultent. Adhibenda est autem tortura ad indagandam plenè veritatem, etiamsi essent indicia sufficientia ad inducendam abiurationem. *Ibid. res.* 18. 35. *&* 37. *& tract.* 8. *res.* 77.

XXXVI. Potest reus appellare à sententiâ torturæ, & appellatio debet admitti, nisi esset friuola, & calumniosa, qualis est, quando in processu litis allata sunt legitima indicia ad torturam, nec purgata sunt in termino concesso ad defendendum. Farinac. & 9. *p*, 4. *tr*. 6. *res*. 20.

XXXVII. Antè quàm torqueri quis possit, debet ei exhiberi copia indiciorum, & depositionum, sine nominibus tamen testium, aut iis circumstantiis, ex quibus ipsi possent innotescere. Barbosa & 11. *Ibid. res*. 28. Quòd si reus sit minor 25. annis, debet ei dari Curator, sed non ex Officialibus S. Officij: & confessio rei sine Curatore, etiam spontanea, & iurata, nullius est momenti. Rojas & 5. Non est tamen necesse hunc Curatorem interesse torturæ. *Ibid. resol*. 31.

XXXVIII. Confessus proprium delictum, non potest torqueri pro complicibus, nisi sit semiplena probatio quòd socios habeat. Imò hæc tortura leuior esse debet, quàm in proprio delicto. Lessius & 8. Quando autem sic torquendus est, debet ad id condemnari cum clausulâ: *citra præiudicium probatorum*: quæ hoc operatur, vt quamuis proprium delictum iterum neget, nullum inde sit præiudicium ad condemnaitonem. Delrio & 11. *Ibidem resol*. 27. & 32.

XXXIX. Si reus ad interrogata pertinaciter renuat respondere, potest per torturam ad hoc cogi. Bald. & 10. *Ibid. res*. 34. Quando autem plures sunt complices delicti, prior torquendus est à quo faciliùs veritas elici poterit id est, qui timidior, debilior, deterior fuerit. Zanard. & 9. *Ibidem resol*. 26.

XL. In tribunali Inquisitionis omnes personæ priuilegiatæ possunt torqueri, exceptis minoribus annis 14. senibus, & prægnantibus vsque ad 40. diem à partu: pueri tamen, & senes terreri possunt, non prægnantes. Sanchez & 6. Nobiles etiam ceteris paribus mitiùs torquendi, quam alij: (Delrio,) & Clerici quàm laici. Zanard. Imò probabile est, Clericum, etsi plurima sint indicia, quamdiu non est

diffamatus de crimine, non posse torqueri. Ca ntera & 11. Sed contrarium est probabilius, maximè in crimine hæresis. Zanard. & 5. *Ibidem resol.* 29. & 36.

XLI. Quanta debeant esse indicia ad torturam, Inquisitorum prudentiæ relinquitur. Quòd si quis torqueretur sine sufficientibus, eius confessio esset nulla; nec posset ex eâ condemnari. Binsfeld. & Miranda Porrò indicia hæc probari possunt per vnum testem omni exceptione maiorem, qui deponit de ipsomet delicto, putà, quia audiuit Caium blasphemantem. Filliuc. & 11. Quando verò testes quicumque deponunt tantùm de aliquo actu remoto, vel proximo ipsi maleficio, necessarij essent duo testes. Clarus. Sed sufficiunt aliàs inidonei, vt familiares, infames, &c. modò sint contestes. Rojas & 5. Imò nec vnus testis omni exceptione maior sufficit, quando reus est bonæ famæ. Sanchez & 7. Quod si sit malæ famæ, sufficit vnus testis de visu, etsi non sit omni exceptione maior. Farinac. & 3. *Ibid. res.* 2. 3. 25. & 6.

XLII. Ex vnico indicio remoto, etiam per duos testes probato, non potest reus torqueri, sed debent minimum esse duo, nisi illud vnicum esset proximum, & delictum maximè inferens. Pegna & 4. Quando tamen essent plura indicia quæ testibus singulis probarentur, sufficerent ad torturam. Freytas & 6. *par.* 4. *tr.* 6. *res.* 4 & 5.

XLIII. Vnus socius criminis non facit semiplenam probationem, aut sufficientem ad torturam, nisi alia concurrant, vt sunt. I. stricta amicitia cum t li socio. II. secreta inter illos collocutio. III. fama. IV. fuga accusati. V. alij testes de auditu. Sousa. In crimine verò magiæ, etsi duæ sagæ, etiam de visu testarentur interfuisse conuentibus, &c. personam aliquam bonæ famæ, non potest ex eo procedi ad torturam. Tanner. *Ibid. res.* 7. & 30. Sed notandum, vt illa adminicula sufficiant, non debere esse plures defectus in socio criminis: nam vt plura adminicula faciunt probationem, sic plures defectus eam destruunt. Farinac. & 9. Vnde etiam tot adminicula, & præsumptiones pos-

sunt concurrere cum testimonio vnius socij criminis, vt sufficiat ad torturam rei,etiam aliàs,bonæ famæ. Farinac. non est tamen necesse, vt socij criminis dictum suum in torturâ sustineant. Freitas & 2.*Ibid. ref.*8.9.*&* 10.

XLIV. Vt quis possit torqueri, non sufficit sola fama, nisi adminiculis iuuetur,quòd reus vilis sit, & infamatus, quòd orta sit non à maleuolis, sed fide dignis, quòd ipsa per testes idoneos probetur. Sanchez & 9. Neque satis est si reus accusatus fugiat: sed si ante accusationem fugeret post commissum delictum, præberet indicium sufficiens ad torturam, tamquam semiplenæ probationis. Simanca & 3. Neque si deprehendatur in reo mendacium, aut variatio quoad circumstantias delicti: nisi alia accedant indicia, coniecturæ, & præsumptiones, Lessius & 8. Sufficit tamen confessio rei extraiudicialis,Si I. est verisimilis.II. si facta est seriò, & non iocosè, neque ex calore iracundiæ. III. si est specialis, quo loco, & tempore factum sit. IV. si probetur duobus testibus saltem singularibus. Menoch. & 18. *Ibid. ref.*13.14.15.*&* 12.

XLV. Reus tempore torturæ non est particulatim de re aliquâ interrogandus; hoc enim esset ad falsitatem inducere, cùm sæpè quidlibet tunc dicant vi tormentorum. Rojas & 3. *Ibid. ref.* 19.

XLVI. Reus semel tortus & non confessus, non potest iterum torqueri, nisi noua superueniant indicia planè distincta à prioribus, & quę per se sufficerent ad torturam. Pegna & 4.*Ibid.ref.*16.Quando autem tortus est cum plusquam semi-plenâ probatione, si persistit negatiuus, purgantur indicia solùm vsque ad semiplenam probationem: pro reliquo verò potest imponi aliqua pœna extraordinaria. Cantera. *Ibid. ref.* 33.

XLVII. Reus in torturâ crimen confessus, debet eandem confessionem extra locum torturæ, & post 24 horas ratificare. Gomez & 2. Quòd si tunc confessionem reuocet, potest iterum torqueri. Lessius & 15. Sed si idem faciat secundâ vice, non potest ampliùs torqueri: nisi fortè

ytrâque vice leuissimè fuisset tortus, & in posteriori confessione alia noua signa prioribus addidisset. Pegna & 2. *Ibid. res.* 22. 23. & 24.

XLVIII. Inquisitor, qui secutus opinionem probabilem relictâ probabiliori, iussit torqueri reum, non potest propter hoc à suo Visitatore puniri. Delrio & Sancius. *Ibid. res.* 38.

Sententia.

XLIX. Neminem vmquam Inquisitores tradere possunt brachio sæculari inconsulto supremo senatu Inquisitionis, quia illud inter causas grauissimas computatur. Molina. Nec possunt in Hispaniâ aliquem Religiosum, aut nobilem, aut aliâ ratione insignem comprehendere, nisi ex præscripto eiusdem Senatûs, missis ad eum indiciis, & probationibus. Castropal. *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 121.

L. Vbi plures sunt Inquisitores non potest vnus sine altero procedere ad capturam, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem testium, neque ad copiam actorum reo dandam. Intellige, si alter etiam est præsens. Imò independenter à particulari praxi Hispaniæ quilibet Inquisitor per se potest procedere independenter ab altero. *Ibid. res.* 90. & 66.

LI. Inquisitores sine Episcopo non possunt, aut sententiam torturæ ferre, aut actu reum torquere, aliàs omnia erunt inualida Farinac. & 2. Neque cogere ad abiurationem. Molina & Azor. (Si tamen facerent, actus teneret, & reus teneretur sub pœnâ relapsi. Farinac.) Neque etiam ferre sententiam absolutoriam rei. Azor & 3. Quòd si dissensio sit suffragiorum inter Episcopum, & Inquisitores, remittitur causa in Inquisitione Romanâ ad Pontificem: in Hispanicâ, ad supremum Inquisitorem. Molina & 3. Idémque in his omnibus dicendum de Vicario Capituli Sede vacante. Simanca & 3. Quando autem procederetur contra exemptos, nec Capitulum Sede vacante,

nec eius Vicarius potest cum Inquisitoribus procedere; nam hoc Episcopus facit vt Delegatus. Barbosa & 4. *Ibid. res.* 49. 50. & 33. & *tr.* 6. *res.* 17. & *tr.* 7. *res.* 37. & *p.* 8. *tr.* 4. *res.* 37. Non possunt tamen permittere laicis, vt vnus ipsorum assistat in causis fidei (sicut fit Venetiis) nisi ex speciali priuilegio Papæ. Zenard. *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 105.

LII. Debent sententias ferre de die & non de nocte, (nisi multitudo negotiorum ad hoc cogat) & in publico, & in scripto, aliter non valent: non tamen necessariò sedentes pro tribunali. Pegna. Actum verò publicum traditionis Curiæ seculari, & executionis, debent exercere in die festo, ob maiorem concursum. *Ibid. res.* 106. & 98.

LIII. Ex præsumptionibus & indiciis plenè probatis, potest hæreticus condemnari ad pœnam extraordinariam, triremium, fustigationis, exilij, carceris, &c. non tamen ad pœnam ordinariam, sed ad hanc probationes debent esse luce meridianà clariores. Menoch. & 2. *Ibid. resol.* 36. Ex præsumptionibus tamen, & indiciis indubitatis, posset infligi pœna ordinaria, vt si quis è genere Iudæorum faciat aliquam cæremoniam iudaicam. Cantera. *Ibid. res.* 116. Item ad pœnam ordinariam duæ semiplenæ probationes non possunt inter se vniri, nisi concurrant alia indicia. Cantera. *Ibid. tr.* 7. *res.* 30.

LIV. Possunt aliquando esse indicia sufficientia ad torturam, quæ tamen non sufficiant ad abiurationem de vehementi; quia hæc est grauissima pœna propter periculum relabendi. Pegna. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 110. Potest autem abiuratio de leui fieri etiam publicè; & de vehementi, priuatim, quando ita Inquisitoribus ex iustâ causà videretur. Ætas autem necessaria ad abiurandum in masculis est annus 14. in feminis 12. *Ibid. res.* 81. & *tr.* 7. *res.* 33. Abiurantes de leui, possunt compelli abiurare omnem hæresim generatim. Zecchius & 2. Porrò qui abiurarunt de vehementi, si in secundo lapsu plenè conuincantur hæretici, puniendi sunt tamquam relapsi: non verò si priùs tantùm abiurarant de leui; vel si secundà vice non conuincantur

hæretici, sed tantùm fautores eorum. Similiter qui abiurarunt de vehementi, non possunt admitti ad audiendas confessiones:possunt qui tantùm abiurarunt de leui : neutri tamen sunt irregulares.Sed Regulares in vtroque casu fiunt inhabiles ad officia & dignitates,ex decreto Vrbani VIII.*p.4.tr.8.ref.*64.30.*&* 68.

Confiscatio bonorum.

LV. Sequestratio bonorum & descriptio in ordine ad confiscationem, non est facienda nisi in capturâ pro hæresi formali, non autem pro aliis delictis sapientibus hęresim.Roias & 5. Bona autem illa, etsi sint Ecclesiasticorum, in Hispanicâ Inquisitione applicantur fisco regio; quia Rex aliunde Inquisitoribus prospicit. Sanchez & 11. Quare non possunt illa bona hæreticis pœnitentibus relinquere; quia fiscus ad ea habet ius. Simanca & 3. Non tamen tenetur restituere fisco, etsi non damnent reum quando debent; quia ius fisci ad illa bona tantùm est remotum,& suppositâ sententiâ. De Moura.*Ibid.resol.*86.43. 44.*&* 108.

LVI. Filiis hæreticorum ne sustentatio quidem de iure debetur :in Hispaniâ tamen solent filiæ minorennes apud matronas honestas collocari,filii arti mechanicæ applicari;qui verò per valetudinem, vel ætatem, laborare nequeunt, ex misericordia tenuia alimenta accipiunt Sanchez & Pegna.*Ibid.ref.*45.

LVII. Fiscus debet satisfacere debitis rei quæ contracta sunt ante delictum : si hoc est dubium, incumbit fisco probare fuisse post contracta. Zecchius. Neque potest confiscare maioratus institutos,non solùm ex bonis propriis,sed etiam à Rege donatis:neque bona fidei commisso subiecta, vel alienari prohibita, nisi id factum esset in solum fauorem delinquentis. Vasquez & Sanchez. Neque bona castrensia,aut quasi castrensia filii, sed hæc cedunt patri.Sanchez & Sanctarel. Quod à fortiori dicendum de

bonis profectitiis. Couarr. Itemque de bonis vxoris Sanchez & 2. Dos tamen confiscatur, si cum hæretico scienter contraxit. Catholicus autem scienter contrahens cum hæreticâ, nulla sua bona amittit. Sanchez & 2.*part.*4.*tr.* 8. *res*.59.60.61.*&* 62.

LVIII. Quando Inquisitores reuocant bona ab hæreticis post delictum alienata, non tenentur emptoribus pretium restituere: (Vasquez & 9.) Nisi illud vel extet inter bona Rei, vel in eius vtilitatem sit conuersum; quia à tempore delicti, non poterat illa vendere, vel donare; quia erant fisco obligata. Quod verum est etsi ante delictum donasset sub conditione, si hæc tantùm impleatur post delictum. Suarez & 3. Non possunt tamen reuocare quæ alienata fuerunt pro rebus necessariis. Bannez & 4. Quando autem reuocant vendita, tenentur emptori restituere meliorationes ab ipso factas. Bartol. *Ibid.resol.*92.*&par.*8. *tract.*6.*res*.111.

LIX. Qui contumaces fuerunt, id est, qui ter citati non comparuerunt, si post annum compareant, audiuntur quoad suam personam, non quoad bona confiscata. Sanchez & 4.*p.*4.*tr.*8.*res*.42.

Pœna delictorum.

LX. Apostatæ qui apud infideles abnegarunt fidem, si spontè petant reconciliationem, & dicant se fidem interiùs seruasse, debent abiurare vt vehementer suspecti: si verò etiam interiùs abnegarunt, debent abiurare vt formales apostatæ, & grauiùs puniri. Quòd si non compareant spontè: tunc si negant internam abnegationem, torquentur super intentione, & persistentes in negatione, abiurant de vehementi; sin autem fatentur, de iure ad perpetuum carcerem sunt damnandi, sed ferè arbitrariis pœnis puniuntur pecuniæ, triremium, &c. *par.*. 4. *tract.* 7.*resol.*3.

LXI. Astrologi iudiciarii prædicentes futura contin-

gentia, etsi afferant se non certò id affirmare, possunt pœnis canonicis puniri, vel etiam aliis arbitrariis. Probabile est tamen Bullam Sixti V. contra ipsos, solùm spectare ad forum externum, atque ideò illâ non obstante posse sine peccato eiusmodi futura prædici ex astris, sicut antè. Suarez & 5. Non videtur autem damnandus qui ea prædiceret tenuissimâ solùm illâ certitudine & coniecturâ quâ sciri possunt per astra. *Ibidem resol.* 17. *& part.* 2. *tractat.* 15. *resol.* 58.

LXII. Qui fingit se infidelem, & iterùm petit baptisari, vt eo modo obtineat eleemosynas, debet abiurare: quia ipsum factum adfert suspicionem hæresis propter abusum Sacramenti. *p.*6. *tr.*8. *res.*9.

LXIII. Binas simul nuptias contrahentes secundùm stylum inquisitionis Romanæ vt vehementer suspecti, torquentur super intentione, & negantes, post abiurationem damnantur ad triremes per quinquennium, vel septennium: iuxta Hispanicam verò Inquisitionem vt leuiter suspecti, non torquentur, sed pœnitentiis salutatibus, vel etiam triremibus puniuntur. Antequàm tamen in hoc crimine procedatur ad capturam, debet præcedere plena probatio. *p.*4. *tr.*7. *res.*4.

LXIV. Blasphemi hæreticaliter in Inquisitione Hispanicâ ferè tantùm abiurant de leui: pœnæ verò sunt pro qualitate delicti: blasphemiç autem hçreticales sunt, quç continent falsitatem contra fidem formaliter, vel virtualiter, vt cum quis Deum nominat iniustum, etsi non affirmet esse talem. Quç vera sunt etsi ex calore iracundię eiusmodi blasphemiæ essent dictç, licèt tunc mitiori pœnâ plectantur. Roias & 2. *Ibid. res.*8. *& tr.*8. *res.*87.

LXV. Clerici in sacris, vel Religiosi matrimonium contrahentes, abiurant de leni, & ad triremes ad minùs per quinquennium damnantur, nisi alia indicia sint vehementis suspicionis, vt si talis esset de prouinciâ infectâ hçresi Lutheranâ. Similiter & contrahentes cum hçreticâ, fiunt suspecti. *p.*4. *tr.*7. *res.*5.

LXVI. Confessarij sollicitantes iuxta Romanam sunt vehementer suspecti: iuxta Hispanicam leuiter,& consequenter illi torquent, hi non. Pœnæ verò ordinariæ ex constitutione Gregorij x v. sunt suspensio ab executione Ordinis, priuatio beneficiorum, & officiorum, ac perpetua inhabilitas ad illa, & si sint Religiosi, priuatio vocis actiuæ & passiuæ. Interdum etiam adduntur aliæ pœnæ pro qualitate delicti, vt damnatio ad triremes, vel carcerem perpetuum. *Ibid.res.* 7.

LXVII. Possunt Inquisitores eiusmodi Confessariis Regularium imponere in pœnam vt vltimum locum inter suos vbique habeant, & mandare vt sententia contra eos lata legatur in proximo Capitulo generali ad aliorum terrorem. Castropal. & 2.*p.*10.*tr.*14.*res.*41.

LXVIII. Si non Sacerdos confessiones audiat, & absoluat;si est laicus, & vilis persona, fustibus cæditur,& ad triremes mittitur;si sit persona honesta & religiosa,ad triremes:sin talis est, vt ad eas mitti non debeat,in exilium: & si est in aliquo Ordine, ab eo suspenditur toto exilij tempore. Imò secundùm Bullas, tradi deberet Curiæ sæculari, sed id non seruat Inquisitio Hispanica. Idemque est de non Sacerdotibus celebrantibus Missam; etsi non proferant verba consecrationis, aut etiam illam non perficiant. modò vestibus Sacerdotalibus induti illam incipiant. *p.*4.*tr.*7.*res.*11.& 12.

LXIX. Conculcantes, vel percutientes crucem, aut imagines sacras, fiunt de hæresi suspecti, etsi id fiat ex iracundiâ, & puniuntur pœnis arbitrariis. *Ibid.res.*9.

LXX. In excommunicatione per annum obsordescentes, etsi vt suspecti puniri possint, non tamen solent, nisi in excommunicatione ex causâ fidei. *Ibid.res.* 18.

LXXI. Hæresiarchis & dogmatizantibus raro reconciliatio est concedenda, etsi pœnitentiam ostendant, præsertim si tunc id faciant quando iam iam sunt Curiæ sæculari tradendi. *Ibid. res*,23.

LXXII. Hæretici absentes conuicti, si citati non compareant

pareant infrà 30. dies, traduntur Curiæ ſæculari, & eorum ſtatua comburitur. Si verò non ſint conuicti, & eodem modo citati, additâ etiam excommunicatione non compareant infra annum, declarantur hæretici, & bona confiſcantur à die, quo teſtes depoſuerunt eos in hęreſim incidiſſe. *Ibid.reſ.*27.

LXXIII. Hæretici defuncti,ſi talis plenè probatus eſt, vel ſi in carcere ſe interemit,vel etiam ſi per annum contumax fuit in excomm.ex causâ fidei(ex quibus ſufficienter quis probatur hæreticus) damnatur memoria, ſtatua comburitur,oſſa exhumantur, ſi diſtingui poſſint, bona confiſcantur. Et quamuis contra confiſcationem præſcribatur ſpatio 40. annorum, contra memoriæ tamen damnationem, & ſtatuæ combuſtionem, nullo tempore. *p.4.tr.7.reſ.*28.

LXXIV. Hæretici pœnitentes poſt publicatos contra eos teſtes,(ſi enim ante accuſationem pœniteant, mitiùs ſunt puniendi)ad perpetuos carceres damnantur: poſſunt tamen Inquiſitores ante latam ſententiam id mutare in aliam pœnam arbitrariam. Nam poſt ſententiam ſemel latam ſolus ſupremus inquiſitor illam poteſt mutare; ſaltem in Inquiſitione Hiſpanicâ. Quod ſi tamen solùm pœniterent in publico theatro, proximè ad ſupplicium, vix videtur habenda fides.*Ibid.reſ.*24.

LXXV. Heretici impœnitentes puniuntur morte, vel etiam impœnitentes fictione iuris, id eſt, qui negant ſe vmquam hæreticos fuiſſe, etſi crimen contra eos plenè probatum ſit:Obliuio enim hic non præſumitur, ſicut in nullis factis arduis, & atrocibus. Idem dicendum eſt de confitente diminuto, id eſt,qui vel non omnes ſuos errores vult fateri,vel negat de complicibus, quos tamen ſcire conuincitur;ſed in his facilius admittitur obliuio. *Ibid. reſ.*25. Qui autem confeſſus hæreſim, ante impletam pœnitentiam reuocat illam confeſſionem, non probans cauſam talis reuocationis impœnitens, & negatiuus cenſetur,& niſi reſipiſcat,tradendus eſt Curiæ ſæculari. Ex-

cipe, si reuocaret in continenti, id est, in præsentiâ Iudicis, non autem intra triduum. *Ibid. res.* 22.

LXXVI. Qui confitetur verba vel facta hæretica, sed negat intentionem, de hac est torquendus: sin autem non solùm ipse fatetur, sed & de iis conuincitur, tamquam hæreticus negatiuus tradendus est Curiæ sæculari. *Ibidem resol.* 34.

LXXVII. Hæretici relapsi non possunt excusari quin tradantur Curiæ sæculari nisi sponte redirent ad pœnitentiam. Sed non dicitur sponte redire, qui redit quia timet, vel facilè præuidere potest se accusandum. Non potest tamen damnari vt relapsus, qui secundâ vice tantùm est vehementer suspectus. *Ibid. res.* 26.

LXXVIII. Fautores, defensores, receptatores, &c. hæreticorum fiunt omnes suspecti, sed non æqualiter; hinc prudentiæ Inquisitorum permittitur cogere eos abiurare, vel de leui, vel de vehementi, puniuntur arbitrariè; pecuniâ, exilio, fustigatione, triremibus; imò & confiscatione bonorum, quæ omnia intelligenda, etsi fauor fuerit inefficax, vt quia nihilominus ab Inquisitione reus est captus. Non denuntiantes autem hæreticos, non fiunt inde suspecti, nisi ex officio ad hoc teneantur. *Ibid. res.* 21.

LXXIX. Retinentes vel legentes libros hæreticos fiunt suspecti vehementer, vel leuiter pro qualitate facti & personæ: ordinariè tamen tantùm abiurant de leui, & pœnæ etiam leuiores iis imponuntur. *part.* 4 *tr.* 7 *res.* 6.

LXXX. Impedientes, officium S. Inquisitionis sunt de fide suspecti, non tantum si id faciant ex odio fidei, sed etiam ex amore consanguinitatis, amicitiâ, pretio, &c. abiurant tamen solùm de leui, ac mitiùs puniuntur. *Ibidem resol.* 13.

LXXXI. Transferentes arma, equos, &c. ad infideles. si sint viles personæ, fustibus cæduntur; sin autem exilio & pecuniâ, in eâ quantitate quâ equi armaque valebant, & illa insuper confiscantur, aut si transmissa erant, pecunia duplicatur. Et hæc quidem si ea transmiserint solius

ldicri causâ : nam si auxilij causâ ; tanquam cum fautoribus est agendum. *Ibid. ref.* 19.

LXXXII. Iudæi & Mauri delinquentes contra eã quę sunt ipsorum, & nostræ fidei communia, puniuntur ab Inquisitoribus pro qualitate delicti. Idemque est si Iudæi transeant ad Saracenos, tunc enim deficiunt à multis veteris legis, quæ fidei nostræ communia sunt. *Ibid. ref.* 2.

LXXXIII. In sortilegiis quando sapiunt hæresim, torquentur de intentione, & quamuis negent, abiurant de vehementi : & si laici sint, & ignobiles, plerumque traduntur triremibus. Inuocatio dæmonis ad tentandam alterius pudicitiam, est sortilegium hæreticale. Item si quis in sortilegio vtitur hostiâ super quam Missam celebrauit, etsi illam non consecrauit. Qui autem in eo abusus fuit SS. Eucharistiæ Sacramento ; tradendus est Curiæ sæculari. Vti & quando etiam vnicam personam maleficio occidit : sin verò citra mortem damnum notabile fit illarum, carceribus mancipandi sunt. Non consueuit tamen S. Officium Stryges & Lamias ob cædes infantium statim in primo lapsu tradere brachio sæculari, nisi frequentia essent homicidia, aut aliæ circumstantiæ aggrauantes. Pegna *p.* 4. *r.* 7. *ref.* 10 *& tr.* 8. *ref.* 118.

LXXXIV. Qui pœnitentiam ab Inquisitoribus impositam non implet, non vt relapsus, sed vt impœnitens arbitrariè punitur. Quòd si pertinaciter implere recuset, tradendus est Curiæ sæculari. *p.* 4. *tr.* 7. *ref.* 14.

LXXXV. Schismatici sunt tantùm suspecti de leui, potest tamen suspicio fieri vehemens ex circumstantiis. Puniuntur priuatione beneficiorum, & inhabilitate ad illa, exilio, carcere triremibus, & si sint pertinaces ; traduntur Curiæ sęculari. *Ibid. ref.* 29.

LXXXVI. Sodomitæ vbi puniuntur ab Inquisitoribus non sunt cogendi abiurare, sed conuicti, vel confessi traduntur Curię sęculari. *Ibid. ref.* 20.

LXXXVII. Testis falsus non punitur pœnâ talionis, nisi quando alter propter tale testimonium fuisset con-

bustus vt hæreticus : quamuis neque tunc id faciendum nisi consulto Supremo Senatu Inquisitionis. Si falsus fuit testis pro absolutione rei, agendum cum eo vt cum fautore hæresis. Qui alios ad falsum testimonium induxerunt, eâdem pœnâ quâ ipsi falsi testes, puniendi sunt. *Ibidem resol.* 16.

Vide *Denuntiatio. Testis.*

Interdictum.

I. Interdictum personale speciale probabiliter ferri potest pro culpâ etiam veniali. Henriquez & 2. Quando autem est generale, potest ferri pro debito pecuniario : (Præpos.) nam id solùm prohibetur in locali interdicto. *p.5.tr.10.res.78.& 79.*

II. Qui habet duo domicilia quorum vnum est in loco interdicto, quamdiu in hoc est, tenetur interdictum seruare. Suarez & Turrian. *Ibid. res.* 70.

III. Interdicto Clero vrbis non interdicuntur Religiosi ; nisi fortè aliqui haberent beneficium sæculare v.g. pastoratum. Coninc & 6. *Ibid. res.*80.

IV. Priuilegia Regularium de celebrandis Missis tempore interdicti, non sunt reuocata per Concilium Tridentinum Henriquez & *5.part.3.tractat.2. resol.133.& part. 4. tract.4. res.213.*

V. Clerici etiam coniugati possunt tempore interdicti interesse diuinis officiis, si iuxta decretum Tridentini alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiant. Layn. & 4. Omnes autem Clerici qui possunt iis interesse, vel Missam celebrare, possunt etiam communicare sine celebratione. Suarez & 5. Imò & laici quibus diebus possunt assistere Missæ, possunt etiam communicare. Suarez & *4.p.5. tr.10,res.85.& 82.& 83.& p.8.tr.1.res.79.*

VI. Sacerdos cui licet celebrare tempore interdicti potest assumere ministrum non priuilegiatum, etsi posset habere priuilegiatum. Suarez. Imó & duos, si Prelatus

v. g. non solet aliter celebrare ; quia concesso principali concessum censetur & accessorium. Præpos. & 3.*p*.5.*tr*.10. *res*. 87. *&* *p*.9. *tr*. 1. *res*. 27.

VII. Qui habent priuilegium assistendi diuinis officiis tempore interdicti , possunt in loco sacro sepeliri. Imò quilibet potest iis diebus quibus potest diuinis officiis interesse,vt Paschæ, Pentecostes, &c. Auila & 5.*part*.5.*tr*. 10.*res*. 67.

VIII. Tempore interdicti potest celebrari diebus illis concessis non tantùm in Ecclesiis,sed etiam in quouis oratorio approbato ab Episcopo. Suarez & 9. *Ibid.res*.60.

IX. In interdicto per festa Paschæ, Pentecostes, & Natiuitatis quibus permittuntur celebrari diuina officia , intelliguntur etiam dies festiui sequentes.Auila & 3.Et hæc festa inchoantur à primis Vesperis.Imò Pascha inchoatur à *Gloria in excelsis* sabbathi sancti. Hurtad. & 5. Idem dici potest de Pentecoste. Moscosus. *Ibid. res*. 61.

X. Tempore interdicti potest dari extrema vnctio moribundo qui non potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ. Amic. & 4. Etiam sine superpelliceo & stolâ, si ea non adessent. Amic. Item potest contrahi matrimonium, quia tantùm vetantur ea Sacramenta , quorum administratio peculiariter commissa est Ecclesiæ. Sanchez & 8. Non possunt tamen tunc fieri benedictiones nuptiales ; quia sunt officia diuina. Etsi contrarium doceant Henriquez & Nauar. Ordinum autem susceptio , etiam minorum prohibita est,etiam Clericis. Suarez & 3.*Ibid. res*. 77. 81. *&* 84. *&* *p*. 8. *tr*. 1.*res*. 79.

XI. In interdicto personali generali licita est Ecclesiastica sepultura ; nam quamuis ibi fiat generalis denuntiatio totius populi, illa tamen est remota respectu cuiusque in particulari. Suarez & Cornejo.Communiùs tamen contrarium docent. *p*. 5. *tr*.10.*res*.66.

XII. Interdictum non priuat potestate iurisdictionis, sed tantùm impedit eius vsum licitum. Quod verùm est etiam de personaliter interdictis , vnde etsi hi non pos-

sint validè absolui, possunt tamen absoluere. Cornejo. Imò sic interdictum non prohiberi ministrare Sacramentum confirmationis, æquè ac baptismi, docet Faber. An probabiliter, alij iudicent. *Ibid. ref.* 62. & 63.

XIII. potest non interdictus audire Missam sacerdotis personaliter interdicti; quia ibi nulla est cooperatio ad celebrationem Missæ. Suarez & 3. *Ibid. ref.* 64.

XIV. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest in ea orare quando non fiunt diuina officia. Coninc & 4. Imò etiam tunc potest per Ecclesiam transire, & obiter orare per modum transeuntis. Auila & Nauar. Poterit etiam officia diuina audire ex cœmeterio; quia in pœnis nomen Ecclesiæ accipiendum est in rigore. Filliuc. & Reginald. Imò talis potest in Ecclesiâ recipere Sacramenta. Henriquez & 2. Etsi id neget Syluest. & 2. Non potest tamen in loco sacro sepeliri ne in cœmeterio quidem nisi pœnitens obierit: & tunc non requiritur absolutio, quia fertur conditionaté, nisi pœnituerit. Cornejo & 2. *Ibid. ref.* 72. 75. 73 & 74. & *p.* 10. *tr.* 13. *ref.* 2.

XV. Episcopus interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest in ea exercere iurisdictionem fori externi, sed non sacramentaliter absoluere; quia hic est actus Ordinis. Quod si intra Ecclesiam celebret officia diuina, fit irregularis: non autem si ea solùm audiat, etsi peccet mortaliter. Suarez & 8. *p.* 10. *tr.* 13. *ref.* 2.

XVI. Episcopus incurrit hanc censuram I. Si beneficia Ecclesiastica recipiat in confidentiam. II. Si extra casus necessarios ingrediatur monasteria Monialium. III. Si sibi vsurpet bona Ecclesiarum vacantium. IV. Si Metropolitanus non denunciet absentiam suorum suffraganeorum: vel antiquior suffraganeorum absentiam Metropolitani. V. Si occasione visitationis accipiat procurationem in pecuniâ, & non in victualibus. VI. Si excommunicet sine monitione canonicâ, & præsentibus testibus. Item aliis quibusdam in casibus. *Ibid.*

XVII. Interdictus à sacro faciendo potest conferre

Ordines alio celebrante; quia non est necesse vt ordinans ipse celebret.Præpos.*p.5.tr 10.res.86.*

XVIII. Laicus non interdictus si sine vi, aut scandalo audiat etiam Missam in loco interdicto, peccat tantùm venialiter.Valent. & 7.*Ibid.res.* 68.

XIX. Non est omittenda Missa propter præsentiam interdicti, si expelli non potest, & locus non est interdictus quia præceptum excludendi interdictos agit de locali interdicto.Suarez & 2.*Ibid. res.*64.

XX. Interdictum personale particulare sine reseruatione latum potest tollere quiuis Confessarius, post satisfactionem, vel satisfaciendi cautionem. Suarez & 6. *Ibid. resol.*71.

XXI. In violatione interdicti erit materia parua, si quis dicat orationes diuini officii præmisso *Dominus vobiscum*, vel benedicat aquam, vel ea populum solemniter adspergat. Turrian. Quamuis quoad hoc posterius contrarium doceat Suarez & Gordon. Item videri potest leue si dum Missa dicitur omittatur aliqua circumstantia ex requisitis in *cap.Alma mater*, v.g.si dicatur apertis ianuis. Turrian. Communiter tamen contrarium docent; eò quòd grauitas materiæ desumatur à toto officio quod cum illâ circumstantiâ dicitur.Suarez & 4.*part.5.tractat.5.res.59.* & *tr.10.resol.65.*

XXII. Interdictum à iure latum potest Episcopus suspendere.Suarez & 2. Ab homine verò latum non potest, nisi quod ipsemet tulit.Suarez & 2.*p.5.tr.10.res.69.*

Inuidia.

I. Tristari de bono alterius, quia tibi proprium bonum diminuit, est peccatum mortale inuidiæ ex genere suo. Suarez & 4. Quamuis id neget Lorca.*p.3.tr.6. resol.85.*

II Inuidia ex paruitate materiæ est venialis, vt si quis doleat de re aliquâ leui in qua non possit proximum æ-

quare, & quę si ab illo auferretur non esset ipsi magno detrimento. Duall. *p.* 5.*tr.* 5.*ref.* 67.

Irregularitas.

I. IRregularitas numquam incurritur in casu à iure non expresso. Hinc quando dubium est an pro aliquo delicto statuta sit irregularitas, iudicandum est, negatiuè; nam talis irregularitas non est in iure expressa. Suarez & 25.*p.*4.*tr.*2.*ref.*80.*&* *p.*12.*tr.*3.*ref.*5. Hinc etiam neque auctoritate DD. neque consuetudine irregularitas aliqua introduci potest. Machad. Contrarium tamen probabiliter docet Layman & Bauny. *p.*8.*tr.*7.*ref.*28.

II. Irregularis etsi peccet mortaliter acceptando beneficium, validè tamen id facit, & fructus facit suos, potestque exercere omnes actus beneficij, qui non sunt Ordinis, vt eligere, pręsentare, dare iurisdictionem, & renunciare beneficio in fauorem tertij, etiam pendente lite, donec per sententiam illo priuetur. Siluester & 10. Contrarium tamen est probabilius, & in praxi seruandum. Lessius & 6.*p.*4.*tr.*2.*ref.*37.*&* 79. Et quamuis faceret inhabilem ad beneficia, non tamen ad pensionem. Lessius & 4. Sed hoc intellige secluso stylo Curiæ Romanæ secundùm quem inhabilis ad beneficium, est inhabilis ad pensionem. *p.*7.*tr.*12.*ref.*7. Sic & absolutio in foro pœnitentię ab irregulari data pœnitenti bonâ fide accedenti, valida est. Suarez & 3. Imò videtur etiam posse suscipere primam tonsuram sine dispensatione; atque ita fieri habilis ad obtinendum beneficium. Tho. Hurtad. & Escobar. quia illa non est Ordo: irregularitas autem tantùm facit incapacem Ordinum iuxta D. Thom. & 5. Sed non audeo à communi sententiâ contrariâ recedere. *p.*4.*tr.*2. *ref.* 68.*&* 88.*&* *p.*11.*tr.*5.*ref.*1.

Ex mutilatione.

III. Qui in rixâ præſcindit alteri digitum non eſt irregularis:quia digitus non eſt membrum, illud enim propriè dicitur membrum, quod habet officium ab aliis corporis partibus diſtinctum, vt oculus,manus : vnde nec eſt irregularis qui alicui amputat naſum, vel auriculam, id eſt,cartilaginem, &c. Quæ tantùm pertinent ad ornatum. Auila & 8. Neque qui feminæ mamillam. Couarr. & 2. Etſi contrarium ſit probabilius.Molin. & 2.Neque qui alterum excæcauit,modò oculum non euulſerit ; nam tunc non mutilauit. Tolet.& *2.p.4.tr.2.reſ.26.&p.2.tr.15.reſ.20.* Neque qui teſticulos.Hurtad.& Bonacin. Sed contrarium eſt probabilius ſi vterque abſcindatur ; quia ſic impeditur actio generatiua. Caſtrop. Non fit tamen irregularis qui inuitus ab altero caſtratur. Leſſius Et quamuis ſimiliter non fieret irregularis qui alterum caſtrat, fit tamen qui ſe caſtrat, vel caſtrari permittit ex peculiari diſpoſitione *can.5.& 7.diſt.55.* Hurtad. Contrarium tamen probabile putat Caſtropal. ſi id fiat vocis retinendæ causâ ; eò quòd Canones videantur requirere vt id fiat vel ex indignatione,vel ex iuſto aut iniuſto metu caſtitatis amittendæ *p.9.tr.7.reſ.21.& p.10.tr.13.reſ.11.*

IV. Eunuchus qui occultè ſe fecit caſtrari, poteſt quoad irregularitarem diſpenſari ab Epiſcopo, tanquam quę ſit ex delicto occulto;quia etſi notorium ſit eum eſſe euiratum, eſt tamen occultum illud eſſe factum per delictum. *p.10.tr.13.reſ.28.*

V. Mutilans membrum inimici mortui, non fit irregularis;quia non eſt ſimpliciter membrum. Tolet. & Mazuchel.*p.7.tr.2.reſ.28.*

VI. Si quis ſuâ culpâ mutilatus eſt,putà vel à Iudice, vel marito adulteræ, vel quia occaſionem dedit rixæ, etſi membrum ſit occultum nec impediat vſum Ordinis ; fit irregularis. Molina & 5. Contrarium tamen eſt probabi-

Ie. Hurtado & 2. Item quando quis sibi sponte membrum, vel partem membri ex indignatione, vel impatientiâ abscidit, vnde non oriatur norabilis deformitas, vt fiat irregularis, probabiliter requiritur vt factum sit notorium. Reginald.& 3. Sed contrarium est probabilius, Fernandez. *p.*14. *tr.*2. *res.* 60. & *p.* 9. *tr.* 7. *res.* 21.

VII. Suadentem alteri solam mutilationem fieri irregularem communiùs docent. Molin.& 3. Contrarium tamen est probabile, cùm nullibi in iure id exprimatur: Neque potest fieri extensio ab homicidio ad mutilationem. Præposi. & 3. Saltem certum est non fieri irregularem qui suasit mutilationem ei quem non poterat aliter auertere ab homicidio. Cornejo. *part.*4.*tractat.*2.*res.*18.& *part.* 10.*tract.*13. *res.* 38.

Ex Homicidio.

VIII. Per homicidium omnino occultum quod nullâ ratione probari possit, nisi ex confessione ipsius homicidæ non incurri irregularitatem, probabile putat Pellizzar. & 8. Sed hoc probabile non est. *p.* 10. *tract.*13.*res.*38.& *p.* 12. *tract.* 3. *res.* 6.

IX. Homicidam ignorantem homicidio annexam esse irregularitatem, hanc non incurrere; eò quòd hæc statuta sit in pœnam, docet Castrop. & 2. Sed hoc difficultatem habet; quia simul statuta est propter decentiam, quare ex hoc saltem capite incurretur, sicut fit in Iudice. *p.* 9. *tr.*7. *res.*19.& *p.* 12.*tr.* 3. *res.* 6.

X. quando in rixâ plures aliquem percutiunt, vnus autem lethale vulnus infligit, ex quo percussus moritur, si constat quis inflixerit, ille solus irregularitatem incurrit. Sayr & 5. Contrarium tamen est probabilius; quia saltem auxilium præbuerunt occisori. Auila & Coninc. Quod si dubium sit quis ex illis occiderit, etsi in dubio homicidij quilibet censendus sit irregularis: in foro tamen interno, neminem ex illis probabiliter censendum irre-

gularem, docet Lessius; quòd melius sit aliquod crimen non puniri, quàm puniri aliquos innocentes. *p.2.tr.15.res.* 18. *& p. 9. tr. 7. res.* 20.

XI. Maritum aut Patrem qui vxorem aut filiam in adulterio deprehensam occidit, sicut non incurrit excommunicationem etsi adulter sit Clericus (Suarez & 10.) ita nec irregularitatem. Fagund. Contrarium tamen est probabilius; cùm homicidium illud sit iniustum. D. Thomas & 12. Ipse tamen adulter non fit irregularis ex tali occisione adulteræ; quia adulterium per se non ordinabatur ad homicidium. Auila & 5. Neque si adulter defendens se, maritum inuasorem occidat, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Lessius & 8.*part.* 4. *tract.* 2. *resol.*1.*&* 2.*& p.* 11. *tr.* 6.*res.* 28.

XII. Qui, cùm posset se defendere fugiendo, alterum occidit, quia non poterat fugere sine graui not, non est irregularis; nisi quando suâ culpâ in eam necessitatem se coniecit. Suarez & 8.*p.*4. *tr.*2 *res.*3. Neque in hoc facienda est distinctio inter laicum & Clericum; quia neuter probabiliter peccat contra iustitiam sic occidendo.*part.*11. *tract.*6. *res.* 29.

XIII. Irregularis non est, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit alterum in defensionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c. Suarez & 13. Neque qui in defensionem proximi innocentis, præsertim sibi propinqui, idque non tantùm quando innocentem obligatur quis defendere, sed quotiescumque licitè potest defendere. Turrian. & 8. Neque si vt se defendat à graui vulnere, vel deformitate vultûs. Bonac. & 7. Aut ne membro aliquo mutiletur. Hurtad. Neque si à te vulneratus non lethaliter, incuriâ suâ, vel Medici, moriatur. Lessius & 5. *p.* 4. *tr.* 2 *res.*4.5.22.6. *&* 10.

XIV. Non est irregularis qui homicidium suo nomine factum, posteà ratum habet. Suarez & 11 Neque qui solùm mandauit alterum verberari, ita vt non esset metus homicidii, etsi is fortè occidatur. Præposit. Neque si man-

datarius ipse præter opinionem occidatur : nisi verosimile erat eum facilè occidendum. Henriquez & 2. Communiùs tamen contrarium docent. Neque qui homicidium mandauit, si mandatum reuocet : nec tenetur monere eum qui periclitatur. Henriquez & 2. *Ibid.res.*13.19.*&* 14.*& p.* 2. *tr.* 15.*res.*17.*& p.*11.*tr.* 6.*res.*19.

XV. Per homicidium casuale non incurritur irregularitas, etsi quis det operam rei illicitæ, nisi eius actio præcisè ratione periculi occidendi sit peccatum mortale. Coninc & 9. Vnde probabile est Clericum in sacris exercentem chirurgiam per incisionem, vel adustionem, non fieri irregularem. morte secutâ, modò secundùm artis præcepta, & debitâ adhibitâ diligentiâ id fecerit. Coninc & 2. Quamuis contrarium sit tenendum. Sub incisione tamen non comprehenditur sectio venæ. Molina. Multò minùs qui infirmum mouendo, vel aliud circa ipsum agendo, mortem eius accelerat sine culpâ latâ, contrahet irregularitatem. Auila & 4. *p.* 4. *tr.*2.*res.*20.21.23.*&* 24.*& p.* 5.*tr.*3.*res.*117.*& p.*11.*tr.*7.*res.*9.

XVI. Clericus in minoribus potest sine dispensatione exercere medicinam, neque fit irregularis: secus verò si sit in sacris vel beneficiarius. Nauarr. & 8. Imò etsi beneficiarius sit : sicut & probabile est quosuis etiam sacerdotes per hoc non peccare mortaliter. Molin. & 7. Et certum est quosuis posse citra mortis periculum gratis mederi personis miserabilibus, & consanguineis Squillant. & Nouar. Quod si fiat citra incisionem & adustionem, non est Clericis simpliciter prohibitum exercitium medicinæ, aut chirurgiæ. Giballin. *p.* 6. *tract.*7.*res.*50.*& p.*10.*tr.*11.*res.* 49. *&. p.*11. *tr.* 7. *res.* 9.

XVII. Probabile est non fieri irregularem, qui alicui dedit consilium occidendi, duellandi, furandi, fugiendi è castris &c. ex eo quòd is occisus es cui consilium dederat. Vasquez & 5. Contrarium tamen est probabile. Suar. & 6. Sed non fit irregularis qui consilium occidendi dedit ei qui iam erat ad illud determinatus, sed ex dato tamen

consilio citiùs vel seriùs, vel alio loco occidit. Lessius & 6.quia talis non est causa homicidij quoad substantiam. Lessius & 5. Qui autem tradidit arma Titio quibus occidit Caium, est irregularis,quando saltem suspicabatur illa peti ad homicidium. Bonacin.& 5. Etsi id neget Hurtad. nisi tradantur ex intentione homicidij. *p.4.tract.2. res.12. & 11.& p.7.tr.10.resol.30.& p.8.tract.7.resol.92.& p.11. tr. 6.res.43.& tr.8.res.42.*

XVIII. Qui solùm fuit causa vt alter hoc vel illo modo occideretur, supposito quod certò esset occidendus, non est irregularis. Idem est si causa fuit solùm vt citiùs occideretur, nisi acceleratio esset notabilis v.g. ad 24.horas, Hurtad. *p.11.tr.6.res.49.*

XIX. Si quis amicum bono animo comitatus est ne in rixâ periclitaretur vel etiam si euaginatum gladium tenuit sine aliâ læsione, non fit irregularis, quamuis amicus alterum occidat, Henriquez & 2. Quod tamen limitat Præpos. nisi eo modo animasset ad occidendum. *p. 4. tract. 2. res. 17.*

XX. Qui non impedit homicidium quod tenetur impedire etiam ex iustitiâ, probabiliter non est irregularis. Vasquez & 6. Contraria tamen sententia est communior, & probabilior. Coninc & 15.Neque qui sciens alios velle occidere propter iniuriam sibi illatam, non contradicit. Turrian. & 2.Neque qui sciens mulierem à se corruptam procurare abortum, non impedit.Hurtad. & 4.Neque qui à dato antè consilio abortûs, conatur feminam auocare, nec potest.Henriquez & 5.Etsi contrarium sit tutius.*Ibid. resol.7.9.8.& 15.& part.7.tractat.5.res.28.& 29.& part.10. tractat. 11.res.20.*

XXI. In dubio facti nemo censendus est irregularis, nisi in solo homicidio. Suarez & 8.Et hoc ipsum non improbabiliter posset negari. Saltem pro foro interno.& *cap. ad audientiã*, fortè tantùm procedit quando verosimilius est homicidium esse perpetratum. Suarez & 7. Sic qui dubitat an homicida motus sit consilio à se dato, debet se

gerere vt irregularis. Sanchez & 6. Contrarium tamen est probabile Giballin. Et si homicida neget se, motum, credendum est. Henriquez & 2. Licet id neget Sanchez & Castrop.Itẽ non debet censeri irregularis quando dubitatur an sit aliquis verè occisus. Bardi & 3.Sic qui procurauit abortum, sed dubitat an fœtus fuerit animatus,non erit censendus irregularis Præposit. & 4.Etsi contrarius in hoc sit Sanchez & 15.Item solùm habet locum quando dubium versatur circa occisionem iniustam: non autem si Iudex dubitet an hominem iustè occiderit. Bardi. Hæc tamen non sunt extendenda ad dubium de mutilatione; quia mutilatio non est homicidium. Neque etiam ad dubium de homicidio iusto v. g. in bello.Sanchez & Filliuc. Quidquid dicat Henriquez & 3. quia iura loquuntur de homicidio prohibito, & odia sunt restringenda. *p.4.tract. 2.res.52.25.& 16.& tr.3.res.28.& p.3.tr.5.resol.72. & part. 7.tract.5.resol.24.& part.8.tractat.7.resol.6.& p. 11. tract. 6. resol.24.& 42.& tr.8.res.42.*

XXII. Qui plura commisit homicidia, vnam tantùm contrahit irregularitatem in petitione dispensationis exprimendam. Sanchez & 5. Solùm obstat stylus Curiæ, quem tamen multi docent non obligare in conscientiâ Granad. & 15.Sed contrarium ego teneo. *p.4.tr.2.res.86.& p.11.tr.6.res.44.*

Ex bello.

XXIII. In bello iniusto omnes milites fiunt irregulares, etsi neminem suâ manu occidant. Hurtad. & Villalob. quamuis Coninc & Giballin.id limitent,nisi sint valdè multi, saltem supra centum, quia tunc non videntur omnes se mutuò posse animare ad occisionem. In bello autem iusto non fiunt irregulares qui neminem suâ manu occidunt, sed neque qui occidunt ad propriam vitam defendendam cum moderamine inculpatæ tutelæ. Auila & 4. Neque Clerici etsi incitent determinatè ad occi-

deñdos hoftes , modò neminem in particulari occidi fuadeant. Hurtad.& 2. Neque fi Clerico permiffum eft à Pontifice pugnare in bello, etfi aliquos occidat. Molin.& 6. Vri neque quoties ex quauis causâ licitè pugnat v.g. in defenfione patriæ. Molin. & *5.p.4.tr.2.ref.27.& 29.&p.5.tr.14.ref.98.& p.6.tr.4.ref.39. & p.9.tr.9.ref.6.7.&8.&p.11.tr.7.ref.8.& tr.8.ref.42.*

XXIV. In bello iniufto Dux beli tot incurrit irregularitates quot in eo fiunt homicidia; quia horum omnium eft caufa principalis: qui verò farcinas cuftodiunt, nullam incurrunt. (etfi hoc affirmet Auila & 2,) vti nec qui neceffaria ad exercitum deferunt. Giballin. *part. 11. tractat. 7. refol.8.*

XXV. In bello iniufto militans, fi iam paratus defiftere impetatur, poteft fe defendere, & fi alterum fic occidat, non fit irregularis. Giballin. *Ibid.*

XXVI. In bello iufto qui fubminiftrat arma, non fit irregularis. Auila & 2. Neque qui pugnauit, fed dubitat an aliquem occiderit, vel mutilauerit. Auila & *5.part.4.tr.2.refol.28.&* 30.

Ex defectu lenitatis.

XXVII. Irregularitas ex homicidio non incurritur ob concurfum ad illud , nifi per actionem aut factam à miniftro publico iuftè , aut factam à perfonâ priuatâ iniuftè: vnde nec qui vendunt, aut donant ligna ad viuos comburendos , & gladios , & funes ad interficiendos reos : nec Confeffarius nec quiuis alius qui hortando vt fcalam adfcendat; vel fimili modo accelerat mortem , incurrit irregularitatem. Neque Confeffarius vel alius Doctor interrogatus à Iudice, an teneatur reum morti addicere etiamfi exprefsè refpondeat teneri. Vafquez & *29.p.3.tr.5.ref.79.& 80.& in Adit.3.p.ref.15.& p.11.tr.2.ref.63.* Neque qui obligat pœnitentem iuridicè interrogatum ad fatendum delictum, ex quo fequitur eius mors. Neque fi perfuadeat

acquiescere iustæ sententiæ,quam non potest differre si nê iniustâ appellatione.Secùs si iustam appellationem dissuaderet.Cornejo.*p.4.tr.2.res.99.*

XXVIII. Nec Iudex proferens sententiam sanguinis, nec alii omnes ministri iustitiæ ad illam cooperantes fiunt irregulares, si casu quocumque mors aut mutilatio secuta non fuerit.Suarez & 31.*part.11.tract.5.res.6.& par. 12.tract.3.res.5.*

XXIX. Non fuit irregularis qui, cum carnifex existimaret reum suspensum esse mortuum, clamauit; *viuit, adhuc viuit*: vnde carnifex iterum pedibus collum calcauit, & reus mortuus est. Et quamuis fuisset, saltem potuisset Episcopus dispensare.*p.8.tr.7.res.61.*

XXX. Consiliarii Principum non sunt irregulares, siue ex concessione Pontificis, siue ex consuetudine. Nec Iudices,& Officiales Episcoporum, nec Administratores rerum Ecclesiasticarum,& piarum. Hurtad. & 3. *part.4.tr. 2.resol.98.*

XXXI. Episcopus qui permittit Iudici laico in Ecclesiâ exhumare corpus occisi ad capiendam informationem de delicto non fit irregularis; quia hic actus nimis remotus est à morte homicidæ.Riccius & 3,*Ibid.res.95.*

XXXII. Ecclesiastici habentes temporalem iurisdictionem,non fiunt irregulares, etsi causas sanguinis aliis delegent. Imò etsi committant in particulari casum aliquem dignum morte.Hurtad.& 2.*Ibid.res.78.*

XXXIII. Clerici accusantes in criminalibus, quando protestantur ante sententiam, se non accusare ad vindictam,sed ad impetrandam satisfactionem, non fiunt irregulares;neque tantùm quando id faciunt ob læsionem in propriâ personâ, aut bonis sed etiam in personâ, vel bonis eorum qui sunt ipsis commissi, aut ita propinqui,vt horum iniuria ad ipsos pertineat quales sunt parentes. filii, fratres, aut quando fit ad euitandum graue damnum Ecclesiæ, Reipub. vel innocentis, quod aliter impediri nequit.Auila & 4.Porrò pro testatio illa impedit irregularitatem,

ritatem, etsi ficto animo fieret. Suarez & 7. *Ibid. resol.* 33. & 75.

XXXIV. Aduocatus & testes in causa sanguinis fiunt irregulares etsi præmittant protestationem. Molina & 7. Probabile est tamen eodem modo hos excusari. Coninc & 5. Quòd si Aduocatus simpliciter defendat reum non petendo pœnam talionis, non fit irregularis, etsi sequatur mors accusatoris. Præpos.& Turrian. ex Vasquez. Neque qui in illo casu testimonium dixit pro reo. Suarez & 3. Similiter testem, qui præcepto Iudicis obligatus, vel graui metu coactus testimonium dixit, ex quo secuta est mors alterius, probabile est non fieri irregularem. Coninc & 4. Sed contrarium est probabilius. Hurtad. & 3. *Ibidem resol.* 32.34 96.& 31.& *p.*11.*tr.*5.*res.*6.

Ex defectu natalium.

XXXV. Infantes expositi non sunt irregulares. Suarez & 29. Imò etiam cum dubitatur, an quis sit legitimus: (Coninc & 2.) quilibet enim præsumitur legitimus, donec contrarium probetur. Nec tenetur filius hac in re credere matri id asserenti, etiam in fine vitæ: etiam cum iuramento: nisi rationibus conuinceretur, vel vterque parens id assereret. Bonacin.& Mercer. *p.*4.*tr.*2.*resol.*58.& 59.& *p.* 2.*tr.*15.*res.*22.& *p.*10.*tr.*16.*res.*96.

XXXVI. Illegitimos occultos non esse irregulares putat Vidal. Quod non improbabile dicit Gerund. Hoc tamen non videtur admittendum, vtpote contra communem. Coninc & 10.*p.*10.*tr.*13.*res.*30.

XXXVII. Etsi filij infidelium si in adulta ætate sint baptisati, sint irregulares tamquam Neophyti; non sunt tamen si baptisati sint ab infantiâ, neque post decennium à baptismo suscepto. Villalob. & 6. Alij tamen nullum certum tempus putant ad hoc requiri, sed remittendum arbitrio Episcopi quando post aliquam moram temporis videantur ad Ordines posse promoueri Suarez & Filliuc.

dextrâ manu sed tantùm sinistrâ, non deberet censeri irregularis saltem post susceptum sacerdotium; quia solus ille defectus facit irregularem ob quem non potest celebrare sine notabili deformitate, aut horrore. Suarez & 20. hoc autem non est in illo casu. *p.11.tr.2.res.51.*

XLIII. Energumeni si plenè posteà sint liberi non sunt irregulares. Godelin. Etsi communiùs contrarium doceant. Suarez & 11. Post susceptos verò Ordines si illud accidat, tenentur ab vsu horum abstinere, donec iudicio Episcopi curati sint, & vnius anni spatio liberi. Amentes autem sunt irregulares etsi posteà sanitatem recuperent. Suarez & 5. Neque potest Episcopus cum his dispensare. Suarez & 3 Quando tamen amentia accidit post Ordines susceptos, non impedit ab horum exercitio nisi quamdiu durat, aut periculum est in eam relabendi. *part.11.tract.2. resol.67.*

Ex delicto & infamia.

XLIV. Ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur peccatum mortale: quia irregularitas est pœna grauissima; ergo non nisi ob graue delictum infligenda. Suarez & 18 *p.2.tr.16.res.18.& p.4.tr.4.res.41.* Quando tamen crimen est occultum, etsi sit externum, non induci irregularitatem, docet Bauny, saltem non nisi in homicidio, & cum quis ligatus censurâ celebrat. Sed illud improbabile existimo cum Præposito. *p.7.tr.11.res.48.*

XLV. Qui laqueo se suspendit, sed ab aliis impeditus mortem euasit, manere irregularem, non quidem ratione homicidii attentati, sed ratione delicti enormis inducentis infamiam, docet Cornejo. Sed tu cogita. *part.4.tractat. 2.resol.76.*

XLVI. Probabile est damnatos ad triremes non fieri irregulares; quia nec irregularitas, nec infamia incurritur, nisi in casibus à iure expressis, qualis non est hic. Riccius & Homobon *p.4.tr.2.res.83.* Nunc autem puto pœ-

nam illam inducere infamiam,& irregularitatem,si ad eam damnati sint ex causâ famosâ. Thesaur. *part.* 10. *tractat.* 11.*resol.*26.

XLVII. Infamia iuris incurritur vel per sententiam definitiuam Iudicis quâ quis de aliquo crimine damnatur : vel per quædam crimina quibus infamia de iure est annexa , vt simonia , periurium in iudicio , duellum &c. modò tamen ea crimina sint notoria. Imò Garcia ex nullo crimine , excepto homicidio , contrahi docet irregularitatem ex infamiâ. Cui consentire videtur Machad. Quod tamen alij communiter non admittunt. *part.* 10. *tr.* 11. *resol*, 26.

XLVIII. Nullum crimen quantumuis enorme inducit irregularitatem ex infamiâ iuris , nisi sit notorium. Henriquez & 4: Ex infamiâ verò facti non oritur irregularitas simpliciter dicta , & solâ dispensatione delebilis. Hinc Sacerdos publicus concubinarius , vel adulter, post vitæ emendationem publicam , interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione potest celebrare. Layman.*p*.4.*tr*.2.*ref*.93.

XLIX. Infamem vno loco non censeri talem in alio loco vbi retinet bonum nomen , modò infamia ad illum locum non facilè sit peruentura , & modò susceptis Ordinibus non sit reuersurus ad illum locum vbi famam amisit,docet Marchin,quod negat Bonaciu.*p*.10.*tr*.11.*ref*.26.

L. Etsi satellites sint irregulares , non tamen eorum filij. Suarez & 7.Idem de filio meretricis,docet Megal. De quo tu cogita. Non sunt tamen irregulares filii eorum qui publicè flagellis cæsi sunt.Imò nullum officium quantumuis vile, etiam Lictoris & Carnificis inducere irregularitatem ex infamiâ , docet Castropal. & Cornejo ; eò quòd nullus textus iuris id decernat. *Ibid.*

LI. Ob hæresim exteriorem , non tamen notoriam incurritur irregularitas. Suarez & 13. (quamuis contrarium sit probabile. Henriquez & 9.) sed potest Episcopus dispensare. Sanchez & 2. Non tamen Commissarius Bullæ

Cruciatæ, vt patet ex verbis Bullæ. *p. 4.tr.2. ref.46.& p.2. tr.15.ref.24.& p.7.tr.2.ref.25.& p.1.tr.11.ref.114.*

LII. Clericus in hęresim lapsus post pœnitentiam, & abiurationem probabiliter potest exercere Ordines antè susceptos. Auila & Sayrus. Contrarium tamen est probabilius. Bonacin. & 2. Et sic Pius V. Prohibuit Inquisitori generali in Hispaniâ ne possit cum sacerdote hæretico pœnitente dispensare vt Missam celebret.*p.4.tr.4.ref.38.*

LIII. Qui fictè negat fidem, siue spontè, siue metu coactus, non fit irregularis, nisi crimen sit notorium, tunc enim fieret ratione infamiæ. Azor & 4. Sed contrarium est probabilius. Suarez & 4. *part.4.tractat.2. resol.49. & p. 10. tract. 11.ref. 23.*

LIV. Qui accusati de hæreq ab Inquisitoribus illam coguntur abiurare, non sunt irregulares, propter suspicionem illam etiam vehementem. Sanchez & 9. Quare multò minùs sunt qui de hæresi sunt suspecti, nisi suspicio oriatur ex fauore, defensione, &c. hinc enim nascitur irregularitas. Suarez & 8. *p. 4.tr.2. ref.* 47. 48. & 44.

LV. Non tantùm Hæretici eorumque fautores sunt irregulares, sed etiam filij, & per lineam masculinam nepotes. Excipe nisi parentes ante mortem conuersi sint, etsi sint combusti. Coninc & 2. *p.10.tr. 11.ref.23.*

LVI. Filius natus patre Catholico, qui posteà factus est hæreticus, non propterea fit irregularis, etsi sæpè ex alio capite fiat irregularis, ratione scilicet infamiæ, vt fit in partibus hæresi non infectis. Coninc & Præposit. Filij tamen Saracenorum, Paganorum, Iudæorum, non sunt irregulares, vt filij hæreticorum. Bonacin. *part.4.tractat.2. resol.45.& 50.*

Ex Bigamiâ.

LVII. Clericum sæcularem sacris initiatum, si contrahat cum virgine, fieri irregularem, plerique docent. Suarez & 8. Alij tamen putant illos Canones agere de solis

Religiosis. Hurtad. & Tanner., *p.* 5. *tr.* 2. *ref.* 39.

LVIII. Irregularis ex bigamiâ non fit qui ducit virginem à se antè defloratam. D.Thom. & 5. *Ibid. ref.* 38. *&* *p.* 7. *tr.* 12. *ref.* 19 Neque qui secundò contrahit sed inualidè, aut fictè. Coninc & Hurtad. Neque qui cum corruptâ, sed inualidè propter impedimentum dirimens, etsi simul matrimonium consummaret. Auila. Neque probabiliter qui cognoscit vxorem suam per vim ab adultero cognitam: (Præposit.) secùs autem si sponte fuisset adulterata, etsi adulterium esset occultum, imò etsi ipse id ignoraret. Sanchez & 9. Quamuis notorietatem requirat Præposit. & 7. Vt autem incurratur, requiritur in copulâ seminatio viri. (Sanchez & 7.) Imò & feminæ. Præpos. *p.* 4. *tr.* 2. *ref.* 38. 40 41. 42. *&* 43 *&* *p.* 1. *tr.* 11. *ref.* 115. *&* *part.* 7. *tr.* 12. 20. *&* *p.* 10. *tr.* 11. *ref.* 25.

Ex susceptione vel vsu Ordinis.

LIX. Duo soli sunt casus quibus ex susceptione Ordinum incurritur irregularitas. I. si quis furtiuè ordinetur, id est, si non examinatus, vel admissus se in ·erat. II. si durante matrimonio, etiam non consummato. Hurtad & Præpos Vnde non fit irregularis, si Latinus suscipiat Ordines ab Episcopo Græco, vel contrà: neque si ab Episcopo schismatico. *p.* 4. *tr.* 2. *ref.* 55. *&* 54

LX. Excommunicatus suscipiens Ordinem sacrum fit irregularis, non tamen si suscipiat Ordines minores. Lessius. Et quamuis propter hos etiam fieret irregularis, non tamen ob susceptam primam tonsuram; quia hæc non est Ordo: Vnde etiam qui hac non susceptâ suscipit minores Ordines non est irregularis tamquam promotus per saltum. Sanchez & 7. *p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 23. *&* *p.* 6. *tr.* 8 *ref.* 29. Probabile est tamen nec excommunicatum nec suspensum fieri irregulares etiam si sacros Ordines suscipiant; quia hoc non est in iure expressum. Suarez & 4. Et quamuis initiati sacerdotes celebrent cum Episcopo, illa tamen concele-

bratio non æstimatur primum sacrificium, ideoque nec exercitium Ordinis. Henriquez & 2. *part.1.tr.11.res.115.&* *p. 4. tr. 2. res. 92.*

LXI. Regularis inualidè professus, si Ordines suscipiat, incurrit suspensionem, & irregularitatem si celebret: quia & sine titulo ordinatur, & sine dimissorialibus legitimi Prælati. Potest tamen hic excusare ignorantia, vel metus infamiæ. Bonacin. *p. 4. tr. 2. res. 82.*

LXII. Putant aliqui non fieri irregularem, qui administrat Sacramenta carens Ordine ad illud requisito, excepto solemni baptismo & celebratione Missæ. (Præpos. & 2.) sed non audeo à contrariâ sententiâ recedere. Verùm etiam illa duo spectant ad solos Clericos, non autem ad laicos sine ordine baptizantes solemniter vel celebrantes. Henriquez & 3. Idem est etsi laicus fingens se sacerdotem confessionem audiret & absolueret: vel si cum superpelliceo & stolâ concionaretur in Ecclesiâ. *Ibid. res. 56. 91. & 77. & p. 10. tr. 11. res. 21. & p. 11. tr. 7. res. 44.*

LXIII. Non fit irregularis qui in minoribus Ordinibus etiam solenniter ministrat & tamen illis caret. Antonin. & Henriquez. Secùs si Clericus minorum Ordinum canat Epistolam cùm manipulo, vel Euangelium cum stolâ *p. 10. tr. 11. res. 21.*

LXIV. Qui Ordinem quem non habet exercet sine intentione vsurpandi Ordinis vsum v. g. si quis sine intentione celebraret, vel absolueret, vel solenniter baptisaret, esse irregularem negat Auila & Hurtad. affirmat Suarez & 2. vtrimque probabiliter. *Ibid.*

LXV. Si non Sacerdos sacramentaliter conetur absoluere, non fieri irregularem; eò quòd sine vllâ solennitate illud exerceatur, docet Auila. Sed contrarium docet Suarez & 3. Nullam tamen irregularitatem incurret si quis non Parochus matrimonio adsisteret; quia ille non est actus Ordinis, sed potius iurisdictionis, ob cuius vsurpationem non est statuta irregularitas. Suarez & 2. *Ibidem.*

LXVI. Sacerdos nondum approbatus absoluens, non fit irregularis. Bonacin. Fit autem, si excommunicatus absoluat. Suarez & 5. Vel Eucharistiam ministret, etiam non celebrando. Auila. Non tamen si exerceat solum actu iurisdictionis fori externi, excommunicando, suspendendo, vel absoluendo ab excommunicatione, modò id fiat sine solemnitate, id est, sine stolâ & psalmis: sicut neque parochus matrimonio assistens. Auila. *part.*4.*tractat*,2.*res.* 89.90. & 92.

LXVII. Excommunicatus qui priuatim horas recitans dicit: *Dominus vobiscum*, non fit irregularis. Hurtadus & 3. Neque qui coram se facit alterum celebrare. Præpos. *Ibid. resol.*94. & 57. Idem probabile est si quis in interdicto constitutus ordinetur. Lessius & Auila *part.* 9. *tract.*7.*resol.*23.

In irregularitate dispensatio.

LXVIII. Omnis irregularitas præter eam quæ est ex defectu Sacramenti, vt bigamiâ; tollitur per baptismum. Hurtad. & 3.*p.*4.*tr.*2.*res.*51. Contrarium tamen est verius quoad infamiam iuris saltem ciuilis. Cornejo *part.*10.*tract.* 11.*resol.*26.

LXIX. Facultas generaliter concessa dispensandi in omnibus irregularitatibus non comprehendit eam quæ est ex bigamiâ, aut homicidio voluntario. Lezan. & 6. Aliud est si concedatur pro irregularitate quomodolibet contractâ; quia particula *quomodolibet* nullum casum excludit. Barbos. & 10. *part.* 12. *tractat.* 3. *resol.* 7.

LXX. Irregularitas ex mutilatione membri est dispensabilis per Episcopum. Barbosa. & 29. Quidquid aliqui contradicant. Sanchez & 3. Item probabiliter ea quæ est ex homicidio iusto, siue in bello, siue à ministris iustitiæ. Barbos. & 21. nam homicidium iustum non comprehenditur sub exceptione homicidij voluntarij. Contrarium

tamen est probabilius; quia Concilium Episcopis id solum concedit quoad irregularitates ex delicto. Hurtad & 18. Sed in illis omnibus dispensare cum suis possunt Prælati Regulares. *p.4.tr.2.res.71. 70.& 69.& part. 7.tractat.2. res.28.27.& 26.& part.11.tract.2.res.63. & tract. 5.res.6.& p.12.tract. 3. res.6.* Item est dispensabilis quæ contrahitur ob homicidium non impeditum, si hoc omissum est non ex odio erga personam, sed ex alio respectu vel timoris, vel negligentiæ, vel auaritiæ, &c. Castropal. & *2. part.10. tract. 11. res.20.*

LXXI. Prælati Regulares etiam locales possunt dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto etiam publico, & deducto ad forum contentiosum, præterquam homicidij voluntarij Candid. & 4. Possunt etiam in eâ quæ est ex homicidio occulto, ex priuilegio Martini V. & aliis. Bauny & 4. Item possunt in ea quæ est ex defectu lenitatis. Villalob. & 2. Et semel in anno primâ die lunæ in Quadragesimâ posse dispensare in quauis sine exceptione, docet Portel. & *3. part.4. tractat. 2. resol.69.& 87.& p.7.tr.11.res.41.& p.10.tr. 13.res.38.& tr. 9. §. confirmatur & p.11.tr. 5. res. 6.*

LXXII. Irregularitatem occultam ex defectu natalium non esse dispensabilem per Episcopum docet Suarez & 11. Sed contrarium est probabile. Auila & 9. Potest tamen Episcopus dispensare vt Ordinem exerceat quem bonâ fide suscepit. Nauar. & 4. Imò etsi malâ fide. Layman & Bauny. Tollitur absolutè illa irregularitas per professionem religiosam, non tantùm quoad Ordines, sed etiam quoad Prælaturas. Religionis. Villalob. Aut saltem possunt quoad hæc Prælati dispensare. Barbos. Neque reincidunt in illam si posteà è Religione eiiciantur. Quod etiam probabile est de iis qui post tria vota simplicia è Societate Iesv dimittuntur. Sanchez & Barbos. Quãuis contrarium sit probabilius ex eo quod sic dimissi absoluãtur à votis, & fiant meri sæculares. Turrian. *p.2.tr.15.res.21.& p. 4.tr.2.res.64.65.& 66.& p.7.tr.2.res.24.& p.10.tr.11.res.24*

LXXIII. Non potest Episcopus dispensare in irregularitate ortâ ex bigamiâ propriâ, vel interpretatiuâ. Barbosa. Contrarium tamen quoad interpretatiuam est probabile quando est occulta. Præposit. & 3. Idem docent multi etiam in bigamiâ propriâ quoad minores Ordines & beneficium simplex. Sanchez & 8. Sed contrarium est tenendum, propter declarationem Cardinalium. In similitudinariâ tamen potest dispensare, si contraxit cum virgine. Turrian. In qualibet autem bigamiâ cum suis posse dispensare Prælatos Regulares, vt doceant. Henriquez & 2. Ego in facti contingentiâ non recederem à contrariâ sententiâ. Idemque est de illâ quæ est ex homicidio voluntario. Quamuis Paulus III. facultatem concesserit semel in anno absoluendi ab omni irregularitate ex quauis occasione, vel causâ contractâ. *p.4.tr.2.res.61.62.& 63. & p.3.tr.2.res.45.& p.7.tr.2.res.35.& tract. 11. res.43. & part. 10.tract.11.res.25.*

LXXIV. In bigamiâ quæ oritur ex delicto, non tantùm proprio, sed etiam alieno, modò sit occultum probabile esse Episcopum posse dispensare virtute Concilij Tridentini, docet Præposit.& 4.v.g. cùm quis cognouit vxorem adulteram, vel cum post mortem legitimæ vxoris sacerdos factus tentauit aliam accipere : vel si quiuis alius in sacris conetur contrahere cum viduâ ; quia cùm matrimonia talia sint irrita, non oritur irregularitas ex defectu significationis, sed ex delicto : Item si laicus contrahat matrimonium cum duabus inualidè, vel cum vnâ validè, & cum alterâ inualidè, vel inualidè cum vidua: Et in his omnibus non tantùm quoad minores Ordines, sed etiam quoad maiores. Sed non est recedendum à contraria sententia. *part.4.tr.2.res.61.& p.7.tractat.2.resol.35. & part.10. tract.11.resol.25.*

LXXV. Ab irregularitate quæ contrahitur ex delicto, posse probabiliter absoluere in articulo mortis simplicem Sacerdotem, docent Henriquez & Trullenc. eò quòd illa censura possit existimari, & Tridentini priuile-

gium latè fit interpretandum. *p.5.tr. 3.ref. 67.* Ob eandem causam possunt probabiliter Regulares per sua priuilegia in ea dispensare, excepto homicidio. Fragos.& Murcia. Vt v, g quæ est ex mala susceptione vel administratione Sacramentorum. *p. 9.tr.8.ref. 50.*

LXXVI. In omnibus irregularitatibus super quibus Episcopi dispensare possunt ex concessione Tridentini, posse etiam Regulares priuilegiatos dispensare cum sæcularibus ex priuilegio Sixti IV. & Iulij II.docet Bruno & 9. Sed hæc opinio non videtur admittenda, nec est in vsu. *p.11.tr.2.ref.26.& 63.& tr.4.ref. 3.*

LXXVII. Qui pluries est irregularis potest separatim petere dispensationem ab vnâ, tacitâ alterâ Perez. Qui autem plura commisit homicidia non potest de singulis separatim irregularitatibus illis obtinere dispensationem quia moraliter efficiunt vnam grauiorem. Suarez. Contrarium tamen docet Castrop. & 3. Imò probabile esse per plura homicidia non contrahi plures irregularitates. *p.8. tr.3. ref. 57. & 58.*

LXXVIII. Dispensatus in irregularitate cum clausulâ, vt non possit celebrare in loco delicti, potest celebrare in Ecclesiâ existente in suburbiis illius ciuitatis; illa enim non veniunt nomine ciuitatis, nisi in fauorabilibus. *p. 4. tr. 4. ref. 123.*

Iubilæum.

I. IVbilæum à Pontifice missum non possunt Prælati Regulares suis promulgare ante promulgationem Episcopi; quia hoc committitur solis Prælatis Ecclesiarum, sub quibus veniunt ij soli qui subditos habent sæculares. *p. 10. tr. 14. ref. 33.*

II. Qui fecit confessionem sacrilegam, & sumpsit Eucharistiam indignè, si in vltimo Iubilæi termino per actum contritionis, cum Deo redeat in gratiam, consequetur Iubilæum. Suarez. & 8. Contrarium tamen est probabilius

part. 3.*tract.* 4.*ref.*148.*& p.*5.*tr.*12.*resol.*17.*& par.*10.*tract.* 13.*ref.*55.

III. Etsi in iubilæo dicatur omnes debere confiteri intra tempus primæ vel secundæ hebdomadæ: probabile est tamen posse etiam confiteri Dominicâ post secundam hebdomadam in qua permittitur communio; quia illa censetur complementum hebdomadæ transactæ. Reginald. & 11. *p.* 2. *tr.* 15. *ref.* 28.

IV. Qui noluit consequi Iubilæum, si die Sabbathi secundæ hebdomadæ mutet illum propositum, poterit absolui à reseruatis, & consequi Iubilæum, dummodò ieiunia commutentur. Si quis autem adimpletis omnibus ad Iubilæum requisitis, die Dominicâ quæ est vltima Iubilæi, velit Eucharistiam sumere, & imprudens aliquid deglutiat, potest Confessarius Communionem in aliud opus commutare. Henriquez & 2.*part.*3.*tr.*4.*ref.*152.*& p.*5.*tr.*12. *ref.* 25. *&* 26.

V. Ad Iubilæum consequendum non est necesse omnia opera præscripta intra eamdem hebdomadam implere. Bonacin. & 5. Imò quamuis in iubilæo expresè dicatur, vt communio sumatur die Dominico post ieiunia, sufficit quouis alio die illam sumere. Item si dicatur orationem, vel eleemosynam faciendam tribus ieiuniorum diebus, lucrabitur iubilæum qui vno aliquo die ea fecerit. idque ex præsumptâ mente Papæ. Bossius. Qui autem omnibus peractis incidit in casum reseruatum, potest ab illo absolui virtute iubilæi, etiamsi anteà esset lucratus iubilæum; quia tempus iubilæi nondum effluxit. Leone.*p.*3.*tr.* 4. *ref.*153.*& p.*5. *tr.*12. *ref.*24.17.*&* 22.

VI. Qui semel lucratus est Iubilæum, non potest illud ipsum alibi iterum lucrari. Suarez & 3. Qui tamen ex ignorantiâ inuincibili nesciuit promulgatum esse Iubilæum, poterit illo transacto, intra duas hebdomadas à die notitiæ lucrari. Vel qui in patriâ neglexit poterit illud alibi lucrari. Sanctarel. & Vgolin. *p.* 3. *tr.* 4. *ref.* 151.

VII. Qui primâ hebdomadâ lucratus est Iubilæum,

potest illud iterùm lucrari secundâ,& absolui à reseruatis. Imò sicut potest sæpiùs à reseruatis absolui ante consecutionem iubilæi,cur non etiam post? modò duret adhuc tempus iubilæi. Henriquez & 12.*p.2.tr.17.resol.*49. *&* *p.5. tract.12.res.*28.

VIII. Ad orationem pro iubilæo consequendo sufficit virtualis intentio vt quis audito iubilæo habuerit voluntatem faciendi opera iuxta mentem Pontificis. Sufficit autem quæcumque minima, vel breuis oratio, vel etiam aliàs debita ex voto,aut pœnitentiâ.Suarez & 3. Idemque est de omnibus aliis operibus requisitis. Sanctarel. & 4. *p.5.tr.12.res.*33.*&* 55.

IX. Qui post publicationem iubilæi hîc visitauit Ecclesias,& deinde aliò proficiscitur, lucrabitur iubilæum si ibi reliqua opera faciat; quia hæc non dependent à loco. Layman.*Ibid. res.*54.

X. Si in iubilæo Episcopus designaret plures Ecclesias visitandas,quàm sint à Papa in Vrbe præscriptæ, sufficiet tot solùm visitare;quia Episcopus non potest onerare priuilegium Papæ:quòd si pauciores designaret, sufficiat illas solas visitare.Bossius.*Ibid. res.*56.

XI. Qui commisit famulo eleemosynam dandam, si is vel non det vel non nisi post tempus iubilæi, herus non lucratur iubilæum. Lugo & 6. Etsi contrà sentiat Sà & 3. *Ibid.res.*31.*&* *p.10.tr.13.res.*55.

XII. In iubilæo si Superior nolit aliquid dare in eleemosynam,possunt Religiosi eam dare de bonis monasterii:nec hoc est contra regularem obseruantiam. Pasqualig.& 2.*p.10.tr.*15.*res.*22.

XIII. Quando in formâ indulgentiæ dicitur, *verè pœnitentibus & confessis*, sufficit vt lucraturus indulgentiam confessus fuerit Quadragesimâ præteritâ, & habeat propositum confitendi Quadragesimâ futurâ; quia talis dicitur confessus secundùm ius.Suarez & 8.*part.1.tract.*11.*resol.*105.

XIV. Per confessionẽ sacrilegã non potest aliquis conse-

qui iubilæum; quia confessio requiritur ad tollendum impedimentum indulgentiæ: secùs per communionem sacrilegam. Bardi. Quod tamen etiam alii probabiliter negant. Amic. & Pasqualig. *p. 11. tr. 7. res. 13.*

XV. Qui propter impotentiam physicam, vel moralem non potest confiteri, sed contritus sumit communionem; probabiliter lucratur iubilæum. Henriquez & 6. Sed contrarium est tenendum. Suarez & 6. Quod si quis non haberet conscientiam peccati mortalis non teneretur confiteri: quia non solet præcipi confessio nisi de mortalibus. Suarez & 18. Quòd si quis post confessionem factam in nouum peccatum incideret ante iubilæi consecutionem, non teneretur iterum confiteri. Granad & 2. *p. 1. tr. 11, resol. 107. & part. 3. tractat. 4. resol. 126. & part. 5. tractat. 12. res. 29. 30. & 1.*

XVI. Quando duobus diebus immediatis concurrunt duo Iubilæa, non est necesse repetere confessionem, & communionem, sed tantùm alia opera. Lugo & 7. Imò etsi paulò ampliùs communio præcessisset, modò sit intra debitam distantiam Lugo. Quod ad quatuor dies intermedios extendunt Comitol. & Portel. *p. 10. tr. 13. res. 55. & p. 4. tract. 4. res. 166.*

XVII. Qui sub finem temporis quo expirat Iubilæum, vel Bulla Cruciatæ, cœpit confiteri, nec potuit iustas ob causas absolui, potest elapso anno virtute Bullæ, vel Iubilæi præcedentis absolui; quia confessio fieri cœpta est tempore idoneo. Sanchez & 4. *p. 1. tr. 11. res. 94.*

XVIII. Quando in Iubilæo conceditur omnibus facultas eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, possunt Moniales, etiam subiectæ Regularibus, eligere quemuis: nec est necesse vt eligant ex illa Religione. Bonacin. & 3. Quamuis aliqui velint eum debere antè indicari Ordinario; eò quòd sine huius licentia prohibitus sit accessus ad monasteria. Faustus & 3. *p. 3. tr. 2. res. 29. & tr. 4. res. 154. & p. 5. tr. 12. res. 12. & p. 6. tr. 8. res. 28.*

XIX. Etsi bulla iubilæi non contineat clausulam de-

rogatoriam priuilegiorum, poteſt tamen Regularis eligere Confeſſarium extra ſuum Ordinem; dummodo per iubilæum concedatur generatim facultas eligendi Confeſſarium ſpecificè comprehendens etiam Religioſos. Boſſius. Neque poteſt Superior prohibere vt tempore iubilæi ſubditi ſui ne confiteantur ſiue ſæcularibus, ſiue Regularibus alterius Ordinis. Boſſius & Leone. Quando autem requiritur in Bulla vt Confeſſarius eligendus ſit approbatus ab Ordinario, hoc ſolùm intelligendum eſt quoad ſæculares. Vnde Religioſi poterunt eligere approbatum tantùm à ſuo Prælato. Sanctarel. & *7.p. 5.tr.12.reſ. 37. & p. 2.tr.17.reſ.47.& p.3. tr.2.reſ.21.*

XX. Quando in iubilæo vel priuilegio conceditur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris & pœnis, comprehendi etiam irregularitates quæ in pœnam alicuius culpæ ſtatutæ ſunt, docet Sylueſt. & *3.part.10.tract.11. reſol.22.*

XXI. Quando in iubilæo excipiuntur vota caſtitatis & Religionis, conceduntur omnia alia. Imò etſi nulla excipiantur in generali conceſſione quoad vota, probabile eſt intelligi etiam reſeruata, præter illa duo. Sanchez & 2. Sed contrarium eſt probabilius. Suarez & 4. *part. 5. tr. 12.reſol. 58.*

XXII. Poteſt quis tempore iubilæi petere commutationem votorum, vel operum præſcriptorum ab vno Confeſſario, & poſteà alteri confiteri. Sanchez & 3. *Ind. reſol. 51.*

XXIII. Qui conſecutus eſt Iubilæum non tamen confeſſus, quia peccati mortalis ſibi conſcius non erit, non poteſt tranſacto Iubilæo, à peccatis reſeruatis ante illud commiſſis, & per obliuionem omiſſis abſolui: quia cùm hic non fuerit tempore Iubilæi confeſſus, non fuit vllo modo ſublata reſeruatio. Suarez & 5. Contrarium tamen eſt etiam probabile Sanctarell. & Leone. Quòd ſi tempore iubilæi omiſit in confeſſione peccatum reſeruatum ex iuſta cauſa, putà ne manifeſtaret complicem, poteſt elapſo

iubilæo ab hoc peccato à quocumque Confessario absolui; quia reseruatio censetur indirectè ablata. Homobonus. *p.3. tr.4.res.*150.

XXIV. Qui de Confessarij consensu distulit confessionem post transactum iubilæum, potest ab illo absolui à casibus reseruatis post elapsum iubilæum commissis: hæc enim videtur esse mens Summi Pontificis alioquin iste non posset lucrari iubilæum, atque ita Confessario morem gerens esset deterioris conditionis quàm alij. Fausto & 5. Contrarium tamen est probabilius. Lugo. *Ibid. res.* 147.*& p.5.tr.12.res.*17.*& p.11.tr.2.res.*54.

XXV. Qui fuit absolutus à peccatis virtute iubilæi, quod tamen deinde non est lucratus, si posteà meminit se per obliuionem omisisse aliqua peccata, potest à quocumque Confessario validè absolui; quia per priorem confessionem, sublata est reseruatio. Sanchez & Portel. Neque putandum est, si qui confessus postea non est lucratus iubilæum, reseruationem, aut excommunicationem redire; non enim absolutus est ad reincidentiam. Neque peccat mortaliter mutando voluntatem, & non lucrando iubilæum. Sanchez & 5.*p.3.tr.4.res.*145.*& p.5.tr.12.resol.*42. Idemque est de votis commutatis. Non tamen poterunt posteà commutari quæ tunc commutata non sunt, si non fuit lucratus Iubilæum. Sanchez & 3.*p.2.tr.16.resol.*10. *&* 11.*& p.5.tr.12.res.*41.

XXVI. Per Iubilæum etiam anni sancti, sicut & per Bullam Cruciatæ, non suspenduntur priuilegia Regularium commutandi vota, in eis dispensandi, & absoluendi à reseruatis. Sanchez & 3.*p.*1. *tr.*11.*resol.*100. *& in Addit.* 3. *part. resol.* 23.

XXVII. In reuocatione omnium indulgentiarum per bullam iubilæei anni sancti non comprehenduntur indulgentiæ pro defunctis, vel quæ possunt applicari defunctis. Layman & 12. Neque etiam indulgentiæ plenariæ pro articulo mortis. Lezan. & 6. Etsi alij contrarium doceant. Layman.& 7. Neque etiam indulgentiæ plenariæ

Ecclesiarum vrbis Romæ, aut Ecclesiarum ei subiacentium vt S. Laurentii &c. Castropal. & 16. *part.* 11.*tractat.* 8.*resol.*61.

XXVIII. Potest Confessarius etiam transacto Iubilæo commutare vota illius pœnitentis, qui Iubilæum consecutus est: quia priuilegium commutandi vota, dispensandi, &c. non est addictum vlli tempori. Sanchez & 5. A fortiori ergo sufficiet tempore iubilæi generaliter vota commutasse in aliquid posteà substituendum. Sanchez & 5.*p.*2.*tr.*16.*res.*9. Non tamen eodem modo potest posteà absoluere à reseruatis nisi de oblitis tempore iubilæi.*p.*5. *tr.*12.*res.*40 *&* *p.*10.*tr.*14.*res.*28.

XXIX. Qui impleuit opera præscripta in iubilæo, semper lucratur plenariam indulgentiam quantumuis multos debeat pœnas. Suarez & 5.*p.*5.*tr.*12.*res.*18.

Iudex.

I. Beneficio Constantini Imperatoris *l. vnicâ C. quandò Imperat.* vt personæ miserabiles in ius trahi non possint extra prouinciam, sed ipsæ alios trahere possint potest quis renuntiare. Nomine autem personarum miserabilium ibi intelliguntur pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati & debiles vt ibidem explicatur; non tamen studiosi, quos tamen alii volunt etiam comprehendi. Menoch.& Neutler.*p.*11.*tr.*3.*res.*8.

II. Aduocatus potest esse Iudex in causâ cuius fuit patronus, etiam alterâ parte insciâ, modò sententiam ferat secundùm leges nullo habito respectu ad affectionem carnalem. Corduba.*p.*3.*tr.*5.*res.*56.

III. Actâ Iudicis excommunicati non tolerati sunt inualida. Suarez & 4. Sed toleratus, validè iurisdictionem exercet. Suarez & Lessius. Ideoque iudicando non peccat nisi venialiter. Caietan.& 4.*part.*5 *tractat.*9.*resol.*108. 109, *&* 131.

IV. Non tantùm in causis capitalibus, sed etiam in ci-

uilibus licet appellare à Iudice inferiori, etiamsi sententiam tulerit iuxta opinionem probabiliorem; Iudex enim superior ad quem appellatur, potest iudicare secundùm opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Turrian. *p. 3. tr. 5. resol. 104.*

V. Clausula *appellatione remotâ* in executione litterarum Apostolicarum, non excludit omnem appellarionem (quod affirmat Hunnius) sed solam friuolam. Menoch. & 2. Nisi in priuilegiis quę concessa sunt Religionibus. Rodriquez. Vel cum Cardinali alicui causa committitur, tunc enim omnis excluditur etiam iusta. Bald. & 3. Nihil tamen operatur, si constet de notorio grauamine. Marth. & Cened. Nec per eam prohibetur aliquis tertius appellare qui sua interesse putet. Marth. Nec impedit supplicationem ad superiorem. Lapus. Nec restitutionem in integrum Rota. *p. 9. tr. 7. res. 28.*

VI. Non peccat Iudex si informationem sibi traditam ab vno litigante, det alteri parti videndam ob amicitiam, nisi fortè hoc vni solùm parti faceret, & non alteri. Lugo Sed peccant mortaliter Iudicis, vel Aduocati famuli, si informationes vnius partis tradant alteri parti videndas; & idem peccatum est hæc ab illis petere: nisi fortè scires aduersarium tuas informationes surripuisse; tunc enim per modum compensationis posses illius etiam informationes petere, & alii possent eas dare. Sanchez & Lugo. *p. 11. tr. 7. res. 20.*

VII. Iudex non peccat, si quando plures litigantes æquali iure temporis gaudent, vnius causam ante alios expediat ex pacto oblati muneris; spectato enim iure naturali, non facit aliis iniuriam, res tamen periculo non vacat. Layman. Notandum hic obiter Iudicem secluso scandalo, & periculo iniustitiæ, posse accipere; nec teneri restituere id quod accepit à litigantibus, si datum sit instar muneris liberalis, vt maiorem solito diligentiam in causâ adhibeat. Lessius & Molina *p. 3. tr. 5. res. 45.*

VIII. Si circa litem aliquam ea est varietas sententia-

rùm, vt Iudici integrum sit vtramlibet partem in iudicando sequi,non peccat contra iustitiam si aliquid ab vnâ parte accipiat, vt in eius potiùs fauorem iudicet. Quod tamen procedit tantùm spectato iure naturæ quando est quæstio iuris, non facti. Sed hæc iure positiuo prohibita sunt. Lessius & 3. *Ibid.res.* 55. Sed nunc re melius consideratâ contrarium puto dicendum etiam spectato iure naturæ: vnde tenentur restituere acceptum. *part.6. tractat. 6. resol.* 59.

IX. Licitum est aliquid donare concubinæ Iudicis, vt apud illum intercedat, quando negotium est graue, nec alia apparet via qua possis ius tuum obtinere. Castropal. & Hurtad. *p.4.tr.4.res.*138.*&* *p.5.tr.7.res.*20.

X. In pari dubio vtriusque partis tenetur fauere possidenti, nec potest eum cogere ad restituendam aliquam partem: quod si neuter possideat, tenetur inter vtrumque diuidere.Quod si res sit indiuidua, tenetur sorte applicare vni, & alteri dimidium valoris assignare. Salas. *part.* 4. *tr* 3. *resol.* 40.

XI. Etsi possit Iudex auctoritate sui Collegæ motus deponere suam sententiam, atque ita iudicare secundùm sententiam sui Collegæ: non potest tamen quamdiu retinet iudicium proprium,contra hoc ferre sententiam iuxta iudicium Collegæ. Bardi. *p.*11.*tr.*2.*res.*60.

XII. Iudex in sententiis ferendis potest sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori, etiam contra propriam opinionem, dummodò probabilitas sit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum tenetur sequi probabiliorem. Castropal. & 30. Quando autem tam ex parte facti, quam iuris omnia sunt æqualia, non potest rem applicare cui maluerit, (etsi quidam hoc doceant, Sancius & Ledesm.) sed debet vel diuidere rem, cum diuisibilis est: vel partes componere. Castrop.& 2.Etsi tunc integrum esse Iudici applicare rem cui voluerit dicant Sancius & Ledesm. Imò in causis criminalibus Iudex opinionem probabilem in fauorem rei, relictâ probabiliori

in fauorem fisci & accusatoris, non solùm sequi potest, sed etiam debet: quia in criminalibus ad condemnandum reum, debent probationes esse luce meridianâ clariores. Salas & 4. *p.2.tr.13.ref.3.& in Addit.3.p. ref.13.& p.9.tr.8.ref.62.& p.11.tr.2.ref.60.*

XIII. Iudex in ferenda sententiâ non debet solum attendere ad ea quæ allegata sunt, sed etiam quæ allegari potuerunt, & quæ ipse aliunde nouit: aut certè potest Aduocatum eius partis de illis instruere. Dicastill. & Pellicion. Contrarium tamen probabiliter docet Vasquez & 2.*p.9.tr.9.ref.41.* Nunquam tamen, etsi aliàs deberet officium deponere, potest ad mortem damnare secundùm allegata & probata reum, quem ex priuatâ scientiâ nouit esse innocentem. Lessius & 3. (quidquid contrarium doceat D.Thomas & 9. Quando tamen ex depositione officij magnum ei damnum obueniret, non tenetur illud deponere, sed posset ex publicâ notitiâ procedere. Vti semper potest in causis ciuilibus.Hurtad.Etsi hoc neget Marchant.*p.5.tr.4.ref.22.& p.10.tr.15. ref.16.*

XIV. Non possunt Proreges, vel alij supremi Iudices pro suo arbitrio reis pœnam remittere, etiam condonante parte. D.Thomas & 8. Idoque peccant mortaliter etiam semel tantùm remittendo pœnam reo facinoroso, vt sicario, assassino &c. vel si delicta etiam leuia passim condonent; nam & hoc cedit in damnum Reipub. Possunt ergo tantùm id facere ex graui causâ Reipub. vtili: neque tunc pro eo pecuniam possunt accipere, prohibente id Rege. Sanchez & Valent.*p. 6.tr.6.ref.1.*

XV. Appellatio & citatio ad Iudicium Dei per se loquendo non est illicita si bono fine fiat v.g. vt appareat innocentia, & sic familia liberetur ab infamiâ, vel vt mundus liberetur à tali tyranno.Hinc Iudex debet eius rationem habere, & causam meliùs examinare, nisi certus sit se iustè processisse. Del Rio. & 5.*p.10.tr.15.ref.9.*

Ecclesiasticus.

XVI. Potest Iudex Ecclesiasticus consuetudine, & præscriptione acquirere iurisdictionem in laicos, sed non contrà. Tuschus & 4. Quòd si sit dubium, cuius sit iurisdictio, Iudex maior, id est, Ecclesiasticus cognoscit, nec arbitros eligere tenetur. Sanchez & 25. Quidquid tunc alios iudices arbitros eligendos velit Vasquez & 2.*p.*4. *tr.* 1.*ref.*53.*&* 64. *&* *p.* 7. *tr.* 10. *ref.* 5.

XVII. Quæstio iuris circa decimas ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinet. In quæstione autem facti, Iudex laicus competens erit; est enim mixti fori. Fagund. & 3. Cognitio verò decimarum quæ sæcularibus in feudum dictæ sunt, solius est Iudicis Ecclesiastici. (Azor & Fagund.) Similiter & laicus conductor decimarum apud solum Iudicem Ecclesiasticum est conueniendus. Azor. Itémque quando Clerici decimas petunt à laicis,qui consuetudine immemorabili eas numquam persoluerint. Fagundez & Azor. Nec potest Iudex laicus causas illas cognoscere simul cum Ecclesiastico ne titulo quidem compromissi. Bonacin. *p.* 1. *tr.* 2. *ref.*90.91.92.93.*&* 94.Quæ vera sunt etsi auctoritate Romani Pontificis ad sæculares essent translatæ nomine feudi: sed contrarium est quando translatæ sunt titulo permutationis; tunc enim causa spectat ad Iudicem laicum. La Torre. *p.*3. *tr,*1.*ref.*50.

XVIII. Cognitio causarum matrimonialium ad solum spectat Iudicem Ecclesiasticum, vti & sponsalium, præsertim quando agitur de illorum valore. Sanchez & 2. Item pendente lite super matrimonio, vel sponsalibus puellam sequestrare ad explorandam eius voluntatem. Genuens. (quod tamen etiam ad Iudicem laicum spectare, & multò magis ad Regem, docet Themudo.) Vel quando agitur de possessorio matrimonij. Item cognoscere an Clericus sit bigamus. *p.* 1.*tr.*2.*ref.*131.132.56.*&* *p.*4. *tr.*1.*ref.*71.*&* *p.*7.*tr.*1. *ref.*24. *&* *p.*11.*tr.*3.*ref.*20.

XIX. Quando clericus clericum instituit hæredem, vel laicus condidit testamentum ad pias causas, publicatio testamenti pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum. Molina & 2. *p.*1. *tr.*2.*ref.* 100.

XX. Iudicis Ecclesiastici est de dote puellæ pauperi testamento relictâ cognoscere, etiam principaliter & ad instantiam partis. Bobadil. & 3. Item dare Tutorem, seu Curatorem Clerico minori, vel mente capto. Cabedo & 2. Sed inuentarium bonorum Clerici mortui, qui filios minores reliquit, conficere, Iudicis est laici. Cabedo. *Ibidem ref.* 117. & 95.

XXI. Potest Iudex Ecclesiasticus punire laicum deponentem falsum: sed non contrà; quia Iudex Ecclesiasticus habet iurisdictionem in laicum ratione periurij. Couarru. & 3. *p.* 3. *tr.*1. *ref.* 60. Similiter quando laicus conuenitur pro rebus, vel etiam fructibus Ecclesiæ v. g. si non præstet fructus præbendæ sibi locatæ: aut pro re quam in emphyteusim habet ab Ecclesiâ. Neque potest statutum fieri prohibens ne laici possint prorogare iurisdictionem Iudicis Ecclesiastici; hoc enim esset tollere illi Iudici quod ipsi competit de iure communi. Beller. & 4. *p.* 4. *tr.*1.*ref.*24. & 56. & *p.* 5. *tr.*1.*ref.*7. & 8.

XXII. Iudex Ecclesiasticus potest cognoscere de causâ laici simul delinquentis cum Clerico: cùm enim Ecclesiasticus sit dignior laico, ipsius erit vtrumque reum iudicare. Layman & 15. Etsi contrà sentiat Molin. & 14. Nec obstat bulla Pij IV. quia correcta est per Bullam Pij V. *p.*3. *tr.*1.*ref.*1. & *p.*4. *tr.*1.*ref.*7. Sic & quodlibet crimen, etsi non sit Ecclesiasticum, sed sæculare, & à laicis patratum, si committatur in Ecclesiâ, ratione loci fit mixti fori tamquam sacrilegium (Farinac.) quod per se est mixti fori. Barbos. *p.*4.*tr.*1 *ref.*67. & *p.*1.*tr.*2.*ref.* 82.

XXIII. Potest Ecclesiasticus Iudex cognoscere inter laicos de alimentis filio spurio debitis: nam illa causa est mixti fori. Potest igitur spurius petere alimenta coram Iudice Ecclesiastico, si velit. Sanctarell, & 6. Sub nomine

autem alimentorum veniunt cibaria, vestes, habitatio, medicinæ, lectus & similia sine quibus vita transigi non potest. Sanctarell. quæ omnia filio spurio assignanda sunt iuxa qualitatem, & dignitatem patris. Molin. & 7. *part.* 1. *tract,* 1. *resol.* 86.

XXIV. Iudex Ecclesiasticus potest punire laicos concubinos, post primam quidem monitionem, pœnâ pecuniariâ, pœnâ verò excommunicationis post trinam. Notandum tamen concubinatum esse crimen mixti fori. Azor & 3. Alij tamen solius volunt esse Iudicis Ecclesiastici; eò quòd iure ciuili nullis pœnis plectatur. Megal. & 6. *Ibid. res.* 88. *&* *p.* 5. *tr.* 1. *res.* 10.

XXV. Cognitio vsuræ quando quæstio est facti, est mixti fori: si verò agatur de quæstione iuris, ad solum spectat Iudicem Ecclesiasticum. Layman. & 17. *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 78. *&* *p.* 9. *tr.* 9. *res.* 15. Hinc potest sub pœnâ excommunicationis præcipere Iudici sæculari, vt supersedat executioni contractûs, donec decidatur, an sit vsurarius. *part.* 3. *tract.* 1. *res.* 18.

XXVI. Iudex Ecclesiasticus quando relaxat iuramentum ad effectum agendi, potest simul annullare, & rescindere contractum; quia contractus iurati sunt mixti fori. De Paz & Heuia. *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 120.

XXVII. In criminibus mixti fori, Iudex Ecclesiasticus potest laicos sine auxilio brachij sæcularis in carcerem Ecclesiasticum coniicere. Barbos. Et qui apud hunc accusatus est, non potest iterum accusari apud sæculare tribunal, aut si ab illo mitiùs punitus est, iterum puniri ad excessum pœnæ. Anguiano & Freitas. Quòd si Iudex Ecclesiasticus in illis causis imploret brachium sæculare, non tenetur ostendere processum; quia ad laicum Iudicem pertinet nuda executio. *Ibidem resol.* 89. 108. *&* 109. *&* *p.* 4. *tract.* 1. *res.* 61.

XXVIII. Non est necesse Iudicem Ecclesiasticum præmittere censuras, antequam imploret brachium sæculare: si tamen iudex laicus nolit brachium suum præstare,

potest ad id cogi per excommunicationem. Barbosa.*par.*1. *tract.*2. *ref.*121.

XXIX. Etiamsi Prælati Ecclesiastici negligentes sint in puniendis Clericis, & causis eiusmodi cognoscendis, non ideò id possunt Iudices sæculares. Layman & 5. *p.*3. *tr.* 1. *ref.*25. *& part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 80. *& part.*7. *tractat.*10. *resol.* 3.

XXX. Si sit appellatio in causâ decisâ per duos iudices vnum Ecclesiastic. & alterum laicum, facienda est apud Iudicem Ecclesiastic. quia in illâ appellatione agitur de actu Iudicum arbitrorum, quos laicus non potest iudicare. Bonacin. & 2. *p.* 4. *tr.* 1. *ref.* 54.

XXXI. Appellationes quæ dicuntur tuitiuæ, & dantur, ne pendente appellatione ad Romanam Curiam, contra reum procedatur, non sunt à Iudicibus laicis in causis Ecclesiasticis concedendæ; offendunt enim Ecclesiasticam libertatem; potest autem Clericus, vel laicus oppressus recurrere in eiusmodi causis ad Iudicem Ecclesiasticum qui solus est competens. *p.* 1. *tr.*2. *ref.* 103.

XXXII. Inuentarium bonorum Episcopi mortui conficere, non spectat ad Iudicem laicum. Fagund. & 3. *p.*4. *tr.* 1. *ref.*110. *& p.*8. *tr.*5. *ref.*64.

XXXIII. Conseruatores Religiosorum possunt procedere contra eorum debitores ex causâ ciuili, etiam laicos. Rodriquez & 4. *p.*3. *tr.*1. *ref.*20.

Laicus.

XXXIV. Iudices laici qui ad sua tribunalia trahunt Ecclesiasticos extra casus à iure præscriptos, sunt suspecti de hæresi. Bannez & 6. *p.* 7. *tr.* 1. *ref.* 28.

XXXV. Iudex laicus de rebus Ecclesiasticis non potest incidenter cognoscere: quia est incompetens, & incapax. Potest verò Ecclesiasticus Iudex de causis profanis incidenter cognoscere; quia est quidem incompetens, sed non incapax. Abbas & 5. *p.*4. *tr.*1. *ref.*98. *& p.*1. *tr.*2. *ref.*111.

xxxvi. Iudex fæcularis ſecretò informationem faciens contra Eccleſiaſticum in cauſa criminali, etiam cum intentione illam poſteà præſentandi Prælato, violat immunitatem Eccleſiaſticam; nam ſe immiſcet cauſis Eccleſiaſticorum criminalibus. Filliuc.& 2. *p.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 53. *&* *p.* 3. *tr.* 1. *reſ.* 52.

xxxvii. Non poteſt Iudex laicus inconſulto Epiſcopo exhumare corpus defuncti vt meliùs conſtare poſſit de homicidio: Et ſi faciat, poteſt excommunicari tamquam violans immunitatem Eccleſiaſticam. Quando autem Epiſcopus id permittit, non fit irregularis etſi inde damnetur homicida. Genuenſ. contra Bobadill. *part.* 9. *tr.* 7. *reſol.* 64.

xxxviii. Non eſt Iudicis laici cognoſcere cauſam in qua agitur, vt quis v. g. recuperet beneficium à quo eſt per vim eiectus; hoc enim eſt Eccleſiaſtici iuris. Azor & 2. *p.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 67. Imò non poteſt cognoſcere de cauſâ poſſeſſoriâ beneficij. Azor. & 9. *p.* 5. *tr.* 1. *reſ.* 23. Item non poteſt cognoſcere de cauſa hæreſis, etiam in quæſtione facti. (Barboſ.& 6.) & conſequenter de Apoſtaſiâ; quia hæc non eſt peccatum diſtinctum ſpecie ab hæreſi. *p.* 3. *tr.* 1. *reſ.* 2. *&* *p.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 58. *&* 12.

xxxix. Offendere curſorem, aut alium Epiſcopi miniſtrum laicum, non in executione officij ſui, ſed ex priuatâ inimicitiâ, crimen eſt mixti fori. Chartar. *part.* 6. *tract.* 8. *reſ.* 3.

xl. In ordine ad puniendos qui procurant abortum, datur præuentio inter Iudicem Eccleſiaſticum & ſæcularem. Rodriquez & 2. Sed in ordine ad pœnam corporalem, in dubiò fœtus præſumitur inanimatus. Barboſ. & Trullench. *p.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 41.

xli. De adulterio ad pœnam ſanguinis ſolus Iudex ſæcularis eſt competens: quoad alias verò pœnas, eſt mixti fori. In cauſâ verò diuortij, ſolus Eccleſiaſticus Iudex eſt competens ad cognoſcendum de adulterio: vti & cùm de ſola ſeparatione ad tempus ob lepram, vel aliud impe-

dimentum agitur. Sanchez & 12.*part.*1.*tractat.*2.*ref.*87. & *p.*4.*tr.*1.*ref.*16.

XLII. Potest Iudex sæcularis cogere laicum ad condonandam obligationem iuramenti iniuriâ extorti ; si id de quo agitur, pertinet ad forum sæculare,& non est dubium de turpitudine recipientis. Molina & 3.Si de hoc sit dubium,solus Iudex Ecclesiasticus erit competens. Molin. & 4.*p.*1.*tr.*2.*ref.*116.

XLIII. Iudex laicus potest, dirimere controuersias ortas inter confraternitates in processione.Sed an aliquis sit admittendus in confraternitatem , an sit legitimè electus Rector illius;&c.cognitio pertinet ad Episcopum , aut eius Vicarium.Graffius.*p.*3.*tr.*1.*ref.*70.

Vide *Ecclesiastici,Reus.Testis.*

Iudicium temerarium.

I. VT iudicium temerarium sit peccatum mortale,debet. I.formari sine indiciis sufficientibus.II.ex plenâ deliberatione,III. certò & sine vllâ formidine,quæ omnia ratò concurrunt in temerè iudicantibus , plerumque enim iudicant cum formidine de opposito : nullum autem iudicium citra certitudinem est peccatum mortale,vt ait D. Thomas.Caietan.& 4.*p.*3.*tr.*5.*ref.*31.

II. Temerè iudicare aliquem esse spurium , vel filium iudæi,non est mortale, ex materiæ paruitate. Lessius & 2. Quamuis contrarium probabile sit.*p.*5.*tr.*5.*ref.*68.

Iuramentum.

I. IVrare vtendo amphibologiis absque necessitate, non est peccatum mortale,neque periurium , modò id iuramentum non fiat in iudicio , dum iudex iuridicè interrogat,vel non cedat in damnum tertij ; quia huic iuramento deest sola discretio,seu iudicium. Sanchez & 2.*p.*2. *tract.*15.*ref.*25.

II. Qui iurat aut vouet animo iurandi aut vouendi, sed tamen non se obligandi probabiliter non tenetur iuramento. Sanchez & Fagund. Si tamen certus sit de tali voluntate iurandi aut vouendi, sed dubitet de intentione se obligandi, censendus est obligari : sicut & qui certus se vouisse vel iurasse, dubitat an sciret inde obligationem consurgere. Sanchez & Suarez. Multò magis obligatur qui iurauit vel vouit cum intentione se obligandi, sed cum expresſâ intentione non implendi. Suarez & 2. Etsi hoc neget Valent. Quando autem verba sunt ambigua & dubitatur de intentione v.g. si dixerit : *per fidem meam.* & dubitet de qua fide intellexerit humanâ, an Diuinâ non obligatur ad iuramentum. Suarez & Caietan. *part.* 9. *tract.*8. *res.* 17.

III. Quod quis audiuit à viro notabili, & fide digno, etsi simpliciter affirmet, & extra iudicium iuret esse verum, non est periurus in foro conscientiæ. Sanchez. *part.*4. *tract.* 4. *res.* 77.

IV. Si Procurator ab aliquo missus ad negotia falsum iuret, non propterea mittens per hoc est periurus. Texeda. *p.* 10.*tr*, 14. *res.* 13.

V. Iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali, tantùm est veniale. Sanchez & 8. *part*, 4. *tractat.*4. *resolut.* 160.

VI. In iuramento assertorio non datur materia parua. Sanchez & 11. *p.* 5.*tr.*5.*resol.*4. Datur verò in promissorio; nam & violatio voti ex paruitate materiæ fit venialis, ergo multò magis iuramenti. Suarez & 13. *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 70.

VII. Probabile est iuramentum seruandi castitatem, vel ingrediendi religionem, esse dispensabile per Episcopum. Ledesma & 4. Idémque videtur de iubilæo. Leon. Sed contrarium est probabilius; quia omne iuramentum Deo factum includit votum, Pontius & 6.*Ibid.res.*69.*&* in. 5. *tr.* 12.*res.*59.*&* p.10.*tr.*14.*res.*17.

VIII. Probabile est, iuramentum ex metu, vel dolo

adiectum contractibus inualidis, & de iure reprobatis, non obligare. Syluest. & 9. *p.*3.*tractat.*4. *ref.* 278. *& p.* 4. *tract.*4.*ref.*28.

IX. Iuramentum præstitum latroni vel raptori seruandum est donec relaxetur. Suarez & 4. Etsi contrarium multi doceant. Hunnius & 4. & probabile dicat Sanchez. *p.*8.*tr.*7.*ref.* 57. Quod si iuramentum esset de non denuntiando latrone Iudici, & is ita noxius esset Reipublicæ vt teneretur denuntiare, tunc non obligaret iuramentum tamquam contrarium bono publico. D. Thomas & 2. Imò etsi non teneretur denuntiare, si iuramentum metu fuit exortum, probabile est non valere. Lessius & Castropal. Idem est de iuramento non petendi huius iuramenti relaxationem; hoc enim videtur esse contra bonos mores. Couarr. & Azor. *p.* 11.*tr.* 2.*ref.* 35. Quod si is qui ita cogitur iurare habeat animum non implendi iuramentum, petendo tamen priùs eius relaxationem, non peccat mortaliter. Suarez & Sanchez.*p.* 9.*tr.*8.*ref.*56.

X. Iuramentum redeundi ad carcerem iniustum probabiliter non obligat: quia est illicitum tamquam contrarium caritati propriæ. Vasquez & 7. Quando autem carcer est iustus, & pœna mortis iustè inferenda, tenetur redire. Sanchez. Etsi probabiliter hoc etiam neget Texeda. Item si quis iniustè captus ab Infidelibus iurasset reditum, vel pretium redemptionis, non posset relaxari propter scandalum in detrimentum fidei. Caietan. & 3.*p.*9.*tr.*8.*ref.*57. *& p.*11.*tr.*2.*ref.*35.

XI. Relaxatio iuramenti pro foro conscientiæ concedi debet à Prælato iurantis: pro foro autem externo ab illo qui potest citare eum cui iuratum est.*p.*11.*tract.* 2. *ref.* 36.

XII. Non obligat iuramentum quo amasius & meretrix iurant sibi fidelitatem, nempe vt nullam aliam personam carnaliter cognoscant; quia spectat ad confirmandam illam malam amicitiam. Fagund. contra Sanchez. *p.* 9. *tract.*8.*ref.*9.

XIII. Si aliqua connentio pro certo tempore sit facta cum iuramento, v.g, parendi sententiæ tunc ferendæ, si tempus illud posteà prorogetur, censetur etiam prorogata obligatio standi priori pacto. Suarez Quod tamen etiam probabiliter negat Azor & Sanchez. Nisi renouetur iuramentum. *Ibib. res.* 7.

XIV. Iuramentum quod præstant Officiales vt Notarij, Commissarij &c. nihil accipiendi pro aliquâ actione sui muneris,præter id quod lege taxatum est,non obligat quando successu temporis tale stipendium iudicatur à viris doctis esse insufficiens & iniustum. Sicut & iuramentum seruandi aliqua statuta, intelligitur quatenus illa iusta sunt & obligatoria. Molin.& 3. Vnde non extenditur ad ea quæ in desuetudinem abierunt. Sanchez & 6. *Ibid. resol.* 8.*& part.*2.*tractat.*17.*resol.*60.*& part.*3.*tr.*6.*resol.* 39.*& p.*11.*tract.* 1. *resol.*24.

XV. Etsi iuramentum principaliter præstitum sit in honorem Dei, poterit tamen illud remittere in cuius fauorem cedit res promissa. v.g. cum certo pauperi iurasti dare eleemosynam. Castropal. Etsi contrarium doceat Texeda. *p.*10.*tr.*14. *res.*15.

XVI. Blasphemiæ & iuramenta falsa, orta ex prauâ consuetudine: & per inaduertentiam prolata, non sunt peccata mortalia. Suarez & 6. Quare ita iurantibus non est absolutio deneganda; sed admonendi sunt vt se accusent de negligentiâ in hac consuetudine extirpandà. *p.* 3. *tr.*5.*res.*62.*& p.*10.*tr.*14.*res.*13.

XVII. Potest peti iuramentum ab eo qui scitur peieraturus;modò adsit iusta causa petendi. Suarez & Hurtad. Licèt multi contrà doceant. Vasquez & 6. *part.*5, *tractat.* 7. *resol.*9.

XVIII. Inducere aliquem ad iurandum id quod à parte rei quidem est verum,sed alter tamen ignorat:vel quod à parte rei quidem est falsum, sed alter ex ignorantiâ putat esse verum v.g. vt iuratus aliquis affirmet nobilitatem Titij quam per se non nouit, sed quę ipsi sufficienter o-

ſtenditur, vel quam ipſe putat verè eſſe in Titio, etſi verè non ſit, non eſt peccatum ; quia ignorantia in illo caſu reddit iuramentum honeſtum. Hurtad. Quamuis communiùs contrarium doceant. *Ibid. reſ.* 10. & 14.

L.

LEGATVM.

I. Legatum relictum puero quando erit propè 16. annorum, debetur ei anno 15. cum dimidio : ſicut dicuntur proximi pubertati quibus adhuc ſemeſtre deeſt ad pubertatem hoc eſt ad annum 14. in maſculo. Barboſ. & 2. nam particulæ *propè* & *proximè* ad ſemeſtre referuntur in iure. *p.* 11. *tr.* 7. *reſ.* 39.

II. Quando relinquitur alicui legatum ſub conditione, v.g. *ſi non nupſerit*, vel *ſi religionem non ingrediatur*, poteſt legatarius in foro interiori, & exteriori, accipere legatum, etiamſi non impleat has conditiones ; cùm à iure meritò reprobentur, & pro non appoſitis habeantur. Sanchez & 2. *p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 57.

III. Si puellæ alicui legata ſint mille ſi nubat : ſi verò Religionem ingrediatur, ſolùm ducenta, debentur mille etiam ingredienti Religionem. Leſſius & 11. quidquid contra doceat Sanchez. *part.* 3. *tractat.* 6. *reſol.* 29. & *p.* 2. *tr.* 16. *reſol.* 50.

IV. Legatum relictum ſub conditione ſi Religionem ingrediatur, debetur bonâ fide ingredienti, etſi ante profeſſionem egrediatur. Sanchez & 3. Contrarium tamen eſt probabile: & ſecundum hoc poſſet hæres non ſoluere tale legatum in illo caſu. Bardi. *p.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 56.

V. Legatum feminæ ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi, non intelligitur in perpetuum, ſed certo tempore, arbitrio prudentis, putà 10. annorum : vnde etſi poſteà fornicetur, debetur ei legatum. Homobon. *part.* 5. *tractat.* 14. *reſol.* 84.

VI. Tale legatum non amittitur per secundas nuptias. Vasquez & 2. Etsi etiam probabiliter id affirmet Sanchez Imò probabile est non amitti per vnam atque alteram fornicationem; quia ob vnum atque alterum actum non dicitur quis vitam inhonestam agere. Nald. & 2. Communiùs tamen contrarium docent; quia nomina delictum significantia vt adulter, homicida &c. vnico actu contenta sunt. Dicastill. & 6. Item amittitur tale legatum etsi occultè fornicetur. Sanchez & 16. Quod tamen etiam probabiliter negat Lugo & 2. eò quòd illud castè viuere videatur intelligi de castitate visibili, & apparente.*p.*10.*tr.*15.*ref.*21.*&* *tr.*13.*ref.*8.

VII. Non amittitur tale legatum per amplexus vel tactus impudicos: quia per hæc non deficit perfectè conditio, seclusâ fornicatione, & pollutione, cùm aliàs in materiâ luxuriæ non sint actus consummati, & perfecti. Castropal.& Nauar. Etsi contrarium doceat Sanchez quando actus illi essent tam frequentes vt arbitrio prudenti posset inde denominari inhonestè viuens. Imò in foro externo ob dublicem talem actum priuanda est legato. Castropal.*p.*10.*tr.*13.*ref.*9.

VIII. Si legatum factum sit sub conditione *si fornicata non fuerit*. tunc amittitur per vnicam fornicationem occultam, nec requiritur sententia; quia non est pœna, sed conditio. Quod si factum sit sub conditione non contrahendi secundas nuptias, non amittitur per fornicationem: neque per secundas nuptias inualidas; neque per non consummatas, vt si secundus maritus antè ad Religionem transeant. Sanchez & Dicastill.*p.*10.*tr.*15.*ref.*21.

IX. Legata talia semel amissa ob vitam inhonestam non recuperantur etsi femina posteà planè emendetur, Sanchez & 2. Contrarium tamen non est improbabile. Nald.& 2.*p.*10.*tr.*13.*ref.*8.

X. Legatum relictum vxori dum vidua fuerit, non amittitur si Religionem ingrediatur. Sanchez & 2. Relictum verò quamdiu cum liberis commorata fuerit, non

amittitur per ſecundas nuptias ; quia etſi per has amittat tutelam filiorum , non tamen educationem , ſicut vir nec tutelam amittit.Sanchez. & 2.*Ibid. reſ.* 9,

XI. Tertiariæ vel Beatæ ſi caſtam & cælibem vitam ſub expreſſo voto in babitu agunt,etſi habitent in propriis domibus poſſunt conſequi legatum relictum pro monachatu. Nouar. & 2. *part.*1.*tractat.*2.*reſol.*85.*&* *in Addit.* 3. *part.reſol.*28.

XII. Tenetur heres cum primum poterit ſoluere legata , nec poteſt ad annum differre. Molin. & 9. Poteritque Epiſcopus cogere vt profana ante annum , & pia ante ſemeſtre ſoluantur.Vaſquez & 3.In illis autem ſoluendis non eſt locus gratificationi , ſed pro æquis portionibus ſunt ſoluenda.Sanchez & 2.*p.*8.*tr.*5.*reſ.*52.*&*53.*&p.*3. *tr.*5.*reſ.*59.*&* 60. Quòd ſi aliquod legatum ſit tali anno ſoluendum , quamuis communiter tantùm debeatur in fine anni;at in causâ piâ debetur ſtatim. Tiraquell.& 3.*p.*3. *tract.*6.*reſ.*29.

XIII. In legato relicto filiis v.g.Petri,comprehenduntur etiam filiæ ; quia ſub maſculino venit etiam femininum:etiam in pœnalibus. Baldus & 6. niſi manifeſta diuerſitas ſit v. g. in pœnâ adulterij ſi ſtatuatur vt Vaſallus excidat feudo ſi adulteretur cum vxore , vel matre, vel filiâ,vel ſorore Domini &c.*p.*11.*tr.*3.*reſ.*26.

XIV. Pecunia licet deſtinata ſit ad emptionem immobilium , non habetur tamen pro immobili,ita vt in legato bonorum immobilium contineatur. Iaſon & 3. *part.* 11. *tract.*4.*reſ.*19.

XV. Legata ad pias cauſas præſtanda ſunt etſi hereditas non ſit adita , eò quòd vel heres antè fuerit mortuus , vel eam repudiarit. Couarr. & 3.*p.*7.*tr.*6.*reſ.*25.

XVI. Legatum ad piam cauſam dicitur quod intuitu pietatis relinquitur I. loco vel perſonæ ſacræ. II. Quod hoſpitali etſi non ſit erectum auctoritate Epiſcopi. Bald, & 8. III. Quod confraternitatibus.Panorm.& 2. IV.Quod pauperibus etiam conſanguineis. Bald. & 3. V. Quod viduis

duis & aliis miserabilibus personis Bald. & 2. VI. Quod pupillis vel orphanis cum pauperes sunt. Iason & 5. VII. Quod pro animâ. Bartol, & 3. VIII. Quod pro redemptione captiuorum, etsi ex delicto captiui sint. Bald. & Castrens. IX. Quod causâ alimentorum, iis scilicet qui indigent. Bartol. & 7. Aliàs vero non, etsi testator exprimeret se relinquere amore Dei. Surdus. Sed hoc alij non requirunt. X. Quod pro dote maritandis; hoc enim æquiparatur alimentis, ideoque ad solos pauperes referendum Bald. & 5. XI. Quod causâ studii, (Bartol. & 2.) Saltem Theologici Bald XII. Si legetur alicui libertas. Bald. & 3. XIII. Quidquid relinquitur ad vtilitatem publicam v. g. pro muniendâ ciuitate cum necessitas imminet, vel pro refectione viarum &c. Bald. & 8. XIV. Quod ad constructionem monumenti. Bald. & 3. XV. Quod meretrici vt conuertatur. Bald. & Firmian. *Ibid. ref. 29. & 30.*

XVII. Legatum relictum à Titio sorori suæ Moniali aliquot aureorum quotannis soluendorum à Titij filiâ & herede, censetur pium, & factum in fauorem Ecclesiæ, & non personæ; cùm Monialis non possit habere proprium. Menoch. & 3, Et quotiescumque dubium est an aliquod legatum sit factum intuitu animæ, vel personæ, censetur factum intuitu animæ, & esse pium. Sanchez & 2. *part. 7. tract. 12. ref. 11.*

XVIII. Qui debet legatum aliquod distribuere in pauperes, non tenetur eligere pauperiores. Cordub. & 8. Vnde Religiosus potest illud dare suo Monasterio. Syluest. & 7. Vel iis qui viuunt ex labore suo nam hi etiam pauperes censentur. Genuef. Et quamuis in testamento mandaretur dari pauperioribus, si tamen daret aliis pauperibus, non teneretur ad restitutionem peccaret tamen. Conrad. *p. 2. tr. 15. ref. 8 & 39. & tr. 16. ref 19.*

XIX. In distribuendis legatis vel eleemosynis inter Religiosos, ceteris paribus feminæ præferendæ sunt viris; quia earum monasteria reputantur à iure loca magis pia: & pauperiora, tum propter clausuram, & maiorem imbe-

puellæ pro dote, si factum sit pro animâ testatoris, & puella moriatur antequam nubat, non extinguitur, sed debetur alteri puellæ pauperi *p.2.tr.16.res.50.& p.4.tr.4.res.* 140.& 164.& *p.5.tr.14.res.35.& p.8.tr.6.res.126.*

XXII. Legatum pro maritandis puellis pauperibus procedit etiam quoad viduas pauperes quando nullæ sunt puellæ maritandæ quibus legatum dari possit: nam his existentibus non debetur secundò nubentibus. Sicut etiam non potest ad viduas extendi quando relictum est pro virginibus maritandis. Debetur autem tale legatum etiam illi quæ ex labore suo viuere potest. Thorus. *p.3.tr.6. res.29.& p.4.tr.4. res.* 140. Legatum verò pro maritandis virginibus alicuius ciuitatis, posse dari puellis in eâ ciuitate expositis; eò quòd præsumantur esse eius patriæ in qua expositæ sunt, docet Lara & 2. Sed contrarium magis placet, saltem si concurrant aliæ virgines illius ciuitatis; quia ciues originarii præferri debent aliis incolis. Nouar. *p.3.tr.6.res.63.*

XXIII. Legatum pro fabricâ templi, potest expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. Item legatum distribuendum quotannis, potest totum simul dari. v.g. alicui hospitali. Item legatum naturalibus alicuius loci potest dari iis qui ibi decennio habitarunt, licet aliunde sint oriundi, nisi constet de animo non manendi ibi perpetuò. Sanchez. *p.4.tr.4.res.*140.

XXIV. Legatum relictum viduis pauperibus potest ab executore testamenti dari pauperibus cælibem vitam agentibus; nam hæ veniunt etiam nomine viduæ. *l. malum. §. viduam de verb. signif.* Theusler. Etsi hoc alii negent. Couarr. & *3.p.11.tr.3.res.8.*

XXV. Qui habet potestatem distribuendi legatum 200. aureorum alicui monasterio Regularium cui voluerit, probabiliter potest eligere monasterium cui ipse debet 100. aureos, cum pacto vt debitum illud remittat. Baucius, *p.10.tr.13.res.45.*

XXVI. Legatum distribuendum pauperibus potest

distribui inter duos ; nam in his verificatur dictio *plures* vel *multi*. Item legatum dandum vni pauperi potest distribui duobus. San Ioseph & *5.p.10.tr.11.res.59.*

XXVII. Quando incertum est cui ex duobus vel pluribus relictum sit legatum, in foro quidem externo nihil tenetur heres soluere, etsi vnus renuntiet alteri ius suum, vel inter se paciscantur vt inter ipsos diuidatur: sed in foro conscientiæ tenetur heres inter eos illud diuidere: si in hoc consentiant. Molin. & 4. Est tamen satis probabile tale legatum fieri caducum, nec debere solui, iuxta ius ciuile. Layman & Dicastill. Sed si sit ad causas pias, debet solui. Vnde si factum sit Ecclesiæ v. g. B. Mariæ, & ibi sint plures Ecclesiæ eiusdem nominis, tunc cedit Parochiali si sit eiusdem nominis; alioquin cedit maiori, vel pauperiori: si omnes sint æquales dabitur Episcopo loci illis distribuendum prout videbitur. *part. 3. tractat. 5. resol. 58. & p. 10. tr. 15. res. 18.*

XXVIII. Legatum factum genericè, licet regulariter debeat intelligi de minori, siue viliori, tamen in propriâ causâ debet intelligi de meliori. Item legatum consanguineo pauperi, debet dari pauperiori. Thorus. *part. 3. tr. 6. res. 29.* Quod si testator habens plures v. g. equos legauerit Titio equum, electio equi spectabit ad Titium legatarium, ita tamen vt non possit eligere optimum, sed non teneatur etiam acceptare pessimum. Hunnius. *part. 11. tr. 4. resol. 19.*

XXIX. Si Titius legauerit certam quantitatem fructuum sequenti anno nasciturorum, & eo anno tanta quantitas nata non fuerit, tenebitur heres eam supplere: nisi legasset fructus ex certo fundo nasciturus; tunc enim est conditionale si nati fuerint. Cuiac. *Ibid.*

XXX. Si res legata pereat vel facto, vel culpâ, vel dolo, vel post moram heredis, tenetur hic æstimationem eius legatario prestare, nisi eodem modo res apud legatarium fuisset peritura: sin autem pereat sine culpâ, aut morâ heredis, perit legatario. Hunnius. Non dicitur au-

rem eodem modo apud legatarium peritura fuisse, si hic potuisset eam vendere si tradita fuisset, etsi fortè venditurus non fuisset. Donell. & 2. Quod tamen alij negant. Cuiac.& 2.*p.*11.*tr.*7.*ref.*45.

XXXI. Legatum alicui Ecclesiæ perpetuò quotannis soluendum, extinguitur per lapsum 100. annorum à die mortis testatoris. Naldus & 6. Sed contrarium probabile est,& in praxi ferè seruatur, etsi prius in iure sit probabilius.*p.*5.*tr.*14.*ref.*84.

Vide *Testamentum.*

Legatus.

QVamuis Legati iure gentium sint inuiolabiles; possunt tamen puniri à Principe apud quem sunt, si delictum committant, quod iure gentium damnetur; quia non debet eis suffragari ius, quod ipsi primi violarunt.Farinac. & 16. Hoc tamen intelligendum est de solis Legatis Principum sæcularium, nam Nuntii Pontificis cum totâ familiâ, etiam laica,vndequaque immunes sunt. *part.*6.*tract.*8.*ref.*2.

Leges.

I. EPiscopi habent potestatem iure ordinario condendi leges pro suâ diœcesi quę obligent per modum statuti etiam post eorum mortem. Neque ad hoc opus est consensu Capituli,Cleri,vel Populi. Suarez & 6. Idem potest Capitulum Sede vacante, & leges ab Episcopo prædecessore latas abrogare, cùm succedat in omnem iurisdictionem Episcopi. Suarez & 13. Etsi contrà doceat Arriag. & 2. Imò Capitulum Ecclesiæ Cathedralis etiam viuente Episcopo potest absque eius consensu leges ferre obligantes suos Capitulares in ordine ad gubernationem Ecclesiæ *p.*11. *tr.*3.*ref.*23.*&* 24.

II. Potestas legislatiua ecclesiastica de potentiâ abso-

lutâ posset delegari mulieri, ad ferendas leges obligantes sub mortali, & ad præcipiendum directè in virtute obedientiæ:sicut posset communicari laico. Salas & 3, *Ibidem ref.* 25.

III. Leges humanæ ciuiles vt obligent, requiritur acceptatio populi, alioquin essent nimis onerosæ. Lessius & 11. Quod etiam probabile est de legibus Pontificiis. Azor & 4. Et sic vbi Bulla Cœnæ non est recepta, non obligat. Sanchez & 5. Sed contrarium est probabilius cùm Pontifex iurisdictionem suam habeat immediatè à Deo. Suarez & 26. Dicere autem Pontificem non posse ferre leges independentes à populo, vel contrario vsu superueniente; est hæreticum. Suarez & 2. Sic autem latę sunt leges de, immunitate Ecclesiasticâ quoad personas, bona, & loca sacra. Bonac. & 2. Aliàs si quę lex per contrarium vsum est abrogata, non obligat amplius. *p. 1.tr.10.ref.1.& p. 7.tr.1.ref.28.& p.11.tr.2.ref.69.*

IV. Qui primi contra legem latam faciunt, nec eam acceptant, peccare mortaliter docet Suarez & 8. Sed contrarium videtur dicendum cùm ferantur sub conditione acceptationis. Bonacin. & 2. Quòd si Episcopi & Principes, qui tunc viuunt cùm lex Pontificis primùm promulgatur, eam non recipiunt, successores eorum excusantur, Becan. Semper autem licet supplicationem pro reuocandâ lege porrigere, & interim illam non seruare, donec legislator mentem suam aperuerit. Suarez & 3.*p.1.tr.10.ref.2. 5. & 6.& p. 5.tr.14.ref.* 8.

V. Etsi lex sit acceptata à maiori parte populi, si quis ex iis qui non acceptarunt, contra eam faciat, secluso scandalo, non peccabit; quia talis etsi in communi legem acceptauit, non tamen in particulari. Caram. Sed hoc non placet; nam acceptatio à maiori parte populi obligat omnes. *p.7.tr.11. ref.* 23.

VI. Qui casu in plateâ intelligit edictum aliquod, vel legem, non tenetur illud seruare antequam per totam ciuitatem sit promulgatum; quia nemo obligatur donec

tota ciuitas obligetur. Castropal. *p.* 3. *tr.* 6. *ref.* 75.

VII. Non tenentur Episcopi procurare vt leges Pontificiæ in suis diœcesibus promulgentur, aut recipiantur, nisi Pontifex hoc ipsis committat. Præpos. & Syluius. Aut nisi significet se velle illam ab omnibus seruari sine aliâ promulgatione quàm quæ Romæ fit. Malder. & VViggers. *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 127. *&* *p.* 6. *tr.* 6 *ref.* 38. Nam non est necesse illas promulgari in singulis diœcesibus & Prouinciis, sed sufficit si Romæ promulgentur. Suarez & 27. Etsi multi contrarium doceant. Molin. & 20. Non tamen censentur obligare, nisi post duos menses à promulgatione. Valent. & 10. Imò probabile est, & tutum, non obligare, nisi post promulgationem in singulis diœcesibus. Molina & 16. *p.* 1. *tr.* 10. *ref.* 8. *&* 9. *&* *p.* 5. *tr.* 14. *ref.* 25. *&* *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 39. *&* *p.* 7. *tr.* 1. *ref.* 28.

VIII. Leges humanæ tam ciuiles quam canonicæ, possunt obligare in conscientiâ, iuxta Apostolum *Roman.* 13. ideoque improbabile est quod quidam docent, non esse mortale, secluso contemptu, non parere legibus ciuilibus, vt docet Valerus & 3. vel etim canonicis, vt Caietan. & 2. Quamuis ad solam pœnam obligare velit Almain. & La Cruz. *p.* 10. *tr.* 15. *ref.* 44.

IX. Non omnis transgressio legis ex contemptu est peccatum mortale; quia non omnis contemptus Legislatoris humani quà legislator est, semper est mortalis, sicut est omnis contemptus Dei. Arriag. *p.* 10. *tr.* 15. *ref.* 33.

X. Posse Ecclesiam præcipere quædam cum tanto rigore vt, etiam intuitu seruandi præcepti Diuini, contra fieri non possit, docet Lugo. Sed exempla quæ adferuntur, difficultate non carent. *p.* 8. *tr.* 1. *ref.* 78.

XI. Pueri cum ad vsum rationis perueniunt, qui communiter aduenit septennio completo, obligantur præceptis Ecclesiæ. Et in dubio præsumitur vsus rationis post septennium. Sanchez & 3. Excipi tamen solet præceptum communionis: etsi contrarium etiam probabile sit. Imò vniuersim negat Henriquez pueros statim ab vsu ratio-

nis præceptis obligari. Quod ad annum vsque 12. extendit Sotus. Nemo tamen obligatur ante septennium etsi habeat vsum rationis; nam hoc per accidens est. Sancius & 3. *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 87. *&* *part.* 4. *tract.* 3. *ref.* 52. *&* *p.* 20. *tract.* 12. *ref.* 37.

XII. Delinquentes extra territorium non ligantur lege, vel statuto territorij: etsi contrarium satis probabile doceat Castrop. Non tamen incurrit censuram latam in homicidam, vel adulterum qui existens in suo territorio occidit existentem in alieno: vel qui in suo mulierem seduxit, sed violauit in alieno; quia censuræ feruntur ob consummationem delicti, quæ in illis casibus facta est in territorio alieno. Suarez & Salas. *p.* 3. *tr.* 6. *ref.* 78.

XIII. Lex quæ fertur, verbo imperatiuo, regulariter loquendo, obligat sub mortali (v.g. *Sacerdotes quamprimùm confiteantur si celebrauerint*, &c.) quando est materia grauis, nisi aliud ex coniecturis appareat. Vasquez & 7. Sed non desunt qui contrarium doceant. Ledesm. & 2. Et quoties verba legis intelligi possunt de obligatione sub veniali, non debent ad mortale extendi. Sayr. *part.* 4. *tr.* 4. *ref.* 191. *&* *p.* 3. *tr.* 6. *ref.* 74.

XIV. Verba *præcipio, mando, iubeo, prohibeo* vel his æquiualentia vt *teneantur, necesse est, non licet*, &c. indicant obligationem sub culpâ, non tamen semper sub mortali: sed hoc colligendum est ex materiâ, & fine legis si hic grauis est, & res præcepta multum eò conducit. Arriag. & 2. Verbum autem *oportet* non significat obligationem præcepti. Suarez. *p.* 10. *tr.* 15. *ref.* 45.

XV. Lex actum aliquem prohibens non eo ipso illum irritat, quidquid hoc affirmet Bartol. & 8. Excipe tamen leges imperiales ob constitutionem *l. non dubium. C. de legib.* Aliàs quando lex illum irritet vel non, colligendum est ex communi intelligentiâ, & consuetudine. Probabile tamen est actum non irritari quando lex apponit aliam pœnam; eò quòd tunc legislator videatur recedere ab illâ pœnâ *l. non dubium*, contentus peculiari illâ quam legi

suæ apponit. Præposit. Et quamuis lex vteretur verbo *non possit*, non est certum propterea actum reddi inualidum, cùm in multis hoc fallat. Granad. & 4. Etsi multi illud affirment. Sanchez & 8. *p.* 10. *tr.* 12. *ref.* 6. *&* 7.

XVI. Vnico actu satisfacere pluribus obligationibus non potes in materiâ iustitiæ: secus autem si sint obligationes diuersarum virtutum. Sanchez. Quando autem requiratur actus distinctus, pendet ab intentione præcipientis, quæ ex circumstantiis colligi debet. *part.* 3. *tractat.* 6. *ref.* 86.

XVII. In violatione præcepti non datur paruitas materiæ quoties prima ratio obiecti formalis, siue malitiæ continet notabilem oppositionem ad virtutem, quę non oriatur ex aliquo adiuncto ad rationem malitiæ: sicut in furto oritur ex notabili quantitate adiunctâ ad damnum proximi. Baldell. Quamuis ex communi sensu Ecclesiæ, & fidelium grauitatem vel leuitatem rerum potissimum desumendam velit Castropal. Coalescunt autem plures in vnam quoties moraliter continuantur; & effectus actuum moraliter coniunguntur. Suarez & 4. *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 1. *&* 52.

XVIII. Exportatio mercium, armorum & similium è ciuitate contra legem, tunc solùm est mortalis, quando Ciuitas inde patietur graue damnum, quod fit si centum aurei, vel merces tanti valoris, vel arma pro decem militibus exportentur. Castropal. & Granad. Etsi vniuersim mortalis condemnet Sanchez; eò quòd spectetur damnum non quod ab vno patitur Ciuitas, sed quod pateretur si id à multis, & communiter fieret. *Ibidem resol.* 49. *&* *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 90.

XIX. Vt lex non obliget, satis est eam non obseruari, etiamsi Princeps hoc nesciat; quia leges humanæ feruntur cum hac tacitâ conditione, si populus recipiat. Salas & 2. *p.* 1. *tr.* 10. *ref.* 4. Quando tamen lex fuit promulgata, & incepit obligare, semper obligat in vtroque foro donec probetur vel non recepta, vel desiisse obligare: Bardi. *p.* 11. *tr.* 1. *ref.* 16.

XX. Quando maior pars populi non seruaret legem' possent etiam alij sine scrupulo illam non seruare; quia tunc supponitur ea lex non esse vtilis Reipublicæ, Bonacin.& 2.*p*.7.*tr*.11.*ref*.23.Neque tamen propterea Catholic inter Hæreticos viuentes excusantur à legibus ecclesiasti quia illi per rebellionem contra eas leges obligan- linquunt, ideóque nullo tempore possunt eas sic abrogare. Rebell. & 3. *p*. 11. *tr*. 1. *ref*. 5.

XXI. Si dubitetur an lex sit vsu recepa, vel an obliget ad mortale, potest quis adhærere sententiæ neganti. (Aix 3.) Quando tamen constat fuisse promulgatam, debet in dubio seruari; quia est in possessione. Sanchez & 3. Item si dubium sit an consuetudo sit inducta ex intentione obligandi, an verò sit tantùm deuotionis, & honestatis; hoc posterius est præsumendum. Suarez & 6.*p*.1.*tr*. 10. *ref*.3.25.*&* 30.*& p*.4.*tr*.3.*ref*.58.& *p*.6.*tr*.5.*ref*.12. *& p*.11.*tr*. 4.*ref*.7. Imò, etsi certus sis de lege, si tamen dubites an ratione alicuius necessitatis, vel alterius circumstantiæ excuseris, probabiliter non teneris eam seruare, si eius executio est tibi incommoda, & molesta. Salas. *part*. 4. *tractat*. 3.*ref*. 22.

XXII. Lex etiam Ecclesiastica non potest per se præcipere actus merè internos. D. Thom. & 29. Contrarium tamen probabile est. Lessius & 3. *p*.9. *tr*.8.*ref*. 67.

XXIII. Lex pœnalis Ecclesiastica, putà excommunicationis, suspensionis, &c. obligat sub mortali, ex communi DD. sententiâ. Quamuis id negent de aliis pœnis, exceptâ excommunicatione Valent. & Salon. *part*. 1. *tractat*. 10. *ref*. 21.

XXIV. Lex pœnalis siue purè pœnalis, siue mixta in materiâ graui, v. g. quæ aliquid vetat sub pœna capitis, confiscationis bonorum, damnationis ad triremes, &c. obligat sub peccato mortali; quia pœna supponit culpam. Suarez, & 19. Contrarium tamen est probabile. Nauarr. & 7. Nullam scilicet legem pœnalem obligare in conscientiâ. Imò ex appositione pœnæ colligi non obligationem

ad culpam, docet Caspensis. *Ibid. res.* 17. 18. & 20. & *p.* 10. *t*. 15. *res.* 46.

XXV. Quando duę leges pœnales emanarunt à legislatore eodem saltem secundùm dignitatem v. g. à duobus Episcopis, vel Pontificibus, etsi probabile sit vtramque pœnam incurri: (Suarez & 6.) est tamen probabile priorem corrigi seu tolli per posteriorem. Sanchez & 8. Et sic Regularis solennisans matrimonium sine licentiâ Parochi non contrahet excommunicationem ex *Clement. 1. de priuileg.* quia per Tridentinum pro hoc delicto statuta est suspensio. Suarez & 4. Item pœna suspensionis triennalis ab officio contra adsistentes matrimonio clandestino sublata erit per tridentinum, quod iubet eos arbitrio Ordinarij grauiter puniri. Sanchez. Etsi quoad hoc contrarium doceat Coninc & 7. Manet tamen prior illa pœna pro adsistentibus clandestino solum ex omissione denuntiationum. Sanchez & Gutierr. *part.* 10. *tractat.* 13. *res.* 14.

XXVI. Legislator qui non habet Superiorem, tenetur quidem legibus quæ omnes obligant, vt taxantibus pretia mercium, non tamen vi coercitiuâ, sed directiuâ, vt sit conformitas inter caput, & membra: sed non peccat mortaliter si eas non seruet nisi iurauerit se seruaturum. Lessius & 3. Quod iuramentum exigi solet dum Principes capiunt possessionem alicuius dominij; quia Princeps naturaliter potest se suis subditis obligare sub mortali: sic enim tenetur stare contractibus celebratis cum subditis, Suarez & 4. *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 10.

XXVII. Regulares non tenentur obseruare leges Synodales Episcoporum nisi ex docentiâ, & ad vitandum scandalum. Suarez & 6. Sunt tamen multi casus in quibus Religiosi etiam exempti tenentur legibus, & sententiis Episcoporum, quia sunt in iure expressi. *Ibid. res.* 11.

XXVIII. Lex fundata in præsumptione non obligat in conscientiâ, si præsumptio in aliquo casu sit falsa. Layman & 5. Quare heres qui non confecit inuentarium, non te-

netur in foro conſcientiæ ſoluere legata,vel debita defun-
cti,ſi excedant vires hereditatis. Suarez & 6. Et qui per quinquennium profeſſionem inualidam non ratificauit non ligatur lege Tridentini, vt poſteà reclamare non poſſit. Sanchez & 3. *Ibid. reſol.* 27.

XXIX. In dubio circa legem, non eſt locus Epieikeiæ. ſed ſeruanda ſunt verba legis, vt ſonant; quia lex eſt in poſſeſſione. Suarez & 6. Contrarium tamen tenet Salas & 3. *p.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 23.

XXX. Non-vſus, quando continet vſum contrarium, quod fit quando repugnat præcepto affirmatiuo, poteſt abrogare legem. Lorca. Et ad hoc non requiritur certum tempus, ſed ſolùm repugnantia per actus contrarios, ſufficientes iudicio prudentum: nullum enim ius præſcribit certum tempus, v. g. 10. annorum. Suarez & 4. Sciente Principe & non puniente, vel eius Auditoribus, & Epiſcopis, aliqui ſentiunt ſufficere duos, vel tres actus contra legem. Azor & 6. Sed hoc potius relinquendum eſt arbitrio Iudicis. Pontius & 3. Etſi vniuerſim duos actus ſufficere ad conſuetudinem quidam doceant. illudque dici conſuetum ſeu ſolitum quod bis factum eſt. Sà. *par.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 7. *&* *p.* 6. *tr.* 5. *reſ.* 18. 6. *&* 7. Imo quidam docent nullam requiri præſcriptionem, quoad forum conſcientiæ, ſed ſatis eſſe quòd conſuetudo ſit rationabilis. Palatio. Quod an ſit probabile, tu cogita; nam communiter contrarium docent. *p.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 62.

XXXI. Quando ceſſat finis adæquatus legis in caſu particulari, ceſſat etiam obligatio; quia valet argumentum de toto ad partem ex eo quòd quando ratio legis ceſſat in totum, ceſſet etiam lex in totum. Granad. & 11. Contrarium tamen plerique docent. Suarez & 30. *part.* 1. *tractat.* 10. *reſ.* 28. *&* *part.* 5. *tractat.* 14. *reſ.* 96. *&* *part.* 7. *tract.* 10. *reſ.* 33.

XXXII. Ius ciuile extra ditiones Imperii non obligat niſi quantum alij Principes illud admiſerunt. Salas & 5. Neque omnia quæ ſunt in iure Canonico habent vim

obligandi; cùm in decreto Gratiani multa sint desumpta ex Conciliis solùm Prouincialibus,& ipse interdum quædam addat de suo : Neque ab vllo Pontifice est canonisatum,etsi sit approbatum excudi vt dicta Sanctorum Patrum. Suarez & 8.*part.5.tractat.*14.*resol.*69.& 68. & *part.3. tra.1.6.res.*26.

XXXIII. Stylus Curiæ Romanæ facit ius. Sanchez Etsi plures contrarium doceant , ideoque nec esse obseruandum in aliis tribunalibus , cùm pro varietatè Pontificum varietur:nec obligare in conscientiâ:nec tollere probabilitatem contrariæ sententiæ.Præposit.& 19.*p.*10.*tr.*15. *res.*7.& *p.*11.*tr.*5.*res.*1.

XXXIV. Declarationes Cardinalium maximi quidem sunt ponderis,tamen vim legis non obtinent;quia lex non obligat nisi promulgetur , sed dictæ declarationes non promulgantur.Sanchez & 8.*p.*1.*tr.*10.*res.*29.Plurimi tamen contrarium docent,ideo nihil statuo.*p.*5.*tr.*2. *res.* 96. Imò etsi emanarint verbo facto cum Sanctissimo , non habere vim legis docet Bruno & Verricelli. Quod displicet.*part.* 11.*tract.*2.*res.*42.

XXXV. Declarationes Cardinalium non faciunt fidem neque in iudicio , neque extra,siue manuscriptæ,siue impressæ , siue imprimendæ,præter illas quæ in authenticâ formâ solito sigillo , & subscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti , ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint, vt decreuit Vrbanus VIII.Anno 1632.die 11.Augusti.Item necesse est vt solùm declarent & interpretentur , non verò dispensent . restringant,amplient vltra vim verborum , aut regulas iuris,nisi hoc fiat ex peculiari commissione , & voluntate Pontificis.Hurtad.*Ibidem* & *p.*5.*tr.*12.*res.*53.

XXXVI. Quando declarationes hæ tali modo emanarunt in authenticâ formâ munitæ sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti,ac Secretarii Congregationis , solùm faciunt fidem quod tunc ita iudicatum fuerit in casu de quo tunc erat quæstio:non tamen eo ipso habent

vim legis obligantis, nisi Papa det breue quo iubeat eas obseruari, vel Auditor Cameræ det monitorium quo sub censurâ earum obseruationem præcipiat, & hæc ipsa legitimè promulgentur, sicut requiritur in aliis legibus. Dicastill. & Bossius. Optandum tamen est vt Pontifex difficultatem hanc planiùs declaret *p.11.tr.8.res.53.*

XXXVII. Regulæ Cancellariæ non obligant in foro interiori. Quare etsi donatio facta ab Episcopo intra 20. dies ante obitum, in foro exteriori sit nulla; quia præsumitur facta causâ mortis, & in fraudem Cameræ Apostolicæ: in foro tamen interno cessat præsumptio & valida est. Vnde etiamsi promulgaretur excommunicatio in non reuelantes bona Episcopi defuncti, talis donatarius non obligaretur. Caspens.& Valer. *part.1.tr.10.res.43.&part.8.tract.6.res.88.*

Vide *Pœna. Statutum.*

Ludus Ludere.

I. QVi domum suam exponit omnibus ad ludendum aleâ, peccat mortaliter: nam talis ludus rarissimè absque peccato mortali exercetur. Quare ex lege naturali oritur obligatio non ministrandi ludentibus materiam peccati. Molina & 17, Vnde infertur si lusores teneantur ad restitutionem, & non restituant, ipsos teneri satisfacere. Sanchez & 7. Neque Principes posse licentiam ita domum exponendi concedere: imò teneri sub mortali exponentes punire. Caspens.& *3.p.2.tr.15.res.65.&p.7.tract.9.resol.39.*

II. Ludere pro oratione Dominicâ vel psalmis non est peccatum, vel irreuerentia. Sanchez & 3. Etsi hoc putet Lopez & Vega *p.7.tr.9.res.41.* Idem esse etsi quis ludat preces cum alio pro præmio temporali, docet. Io. Pontius. Sed negat. Lugo *p.11.tr.6. res. 9.* Similiter ludere in Ecclesiâ non est mortale: Et si fiat ex rationabili causâ v.g. ad recreandum infirmum ibi existentem, nec veniale. Caie-

tan.& 2. Neque item mortale est ludere cum intentione lucrandi magnam quantitatem. Molin. & 4. Etsi id affirmet Syluest. & 4. Neque ludere principaliter propter lucrum est veniale. Lugo.Perderere autem quantumuis magnam quantitatem,solùm est prodigalitas ideoque per se loquendo non est mortale,sed potest esse ex adiunctis v.g. ex præiudicio vxoris, vel filiorum, periculo blasphemandi &c. Sanchez. & Trullench.*part.7.tractat. 9. resol. 38. 1. & 37.*

III. Ludere ludis per leges prohibitis non videtur peccatum ob contrariam consuetudine, qua leges illæ ciuiles videntur abrogatæ. Lugo & 7. Quod verum est etiam in Clericis,si exponitur moderata quantitas, & luditur pro recreatione animi. Layman & 2. Saltem non peccant mortaliter nisi aliquis sit publicus aleator.Molin, & 5. nam leges canonicæ id prohibentes non videntur cum tanto rigore receptæ.In Episcopis tamen & Religionibus, vbi viget disciplina regularis, vix potest à mortali excusari. Lugo. Etsi excuset Sanchez si paruum aliquid ludatur,& ob solam animi recreationem. Et quamuis frequenter id fiat, excusat à mortali Megala. Ideoque si tales per fraudem tunc iniustè lucrentur, non debent in confessione explicare se fraudem illam fecisse in lusu prohibito *Ibid.res.2.3.& 4.& p.2.tr.15.res.65.& p.4.tr.4.res.183.& p.1.tr.7.res.21.*

IV. Qui spectant ludentes eos qui ludendo peccant mortaliter, non peccant ipsi mortaliter, nisi vel videndo sint causa lusûs, vel ex omissione correptionis fraternæ, quando ea obligaret. Sanchez. Sed ex Bullâ Pii V. hoc Clericis & Religiosis prohibitum esse sub pœnâ excommunicationis, & per consequens sub mortali docet S. Faust.& 2.*p.7.tr.9.res.*40.

V. Filius familias potest exponere ludo bona quasi castrensia quia horum liberam habet administrationem: (Eodem modo potest seruus ea bona quæ certis casibus sibi acquirit)imò & de aliis bonis quæ à patre in sustenta-

tionem assignantur, moderatam aliquam partem v.g.quatuor vel quinque ex centum,& hoc etiamsi pater expressè dissentiret; quia videtur dissensus irrationabilis. Salas & 3. Non enim potest pater prohibere ne filius moderatum qui ludo exponat, quia hoc spectat ad honestam recreationem quæ omnibus eius sortis conceditur. Idem de vxore dicendum.Molin.& 5.*Ibid.res*.5.6.12.*&*11.*&p*.1.*tr*.8.*res*. 67. Imò & mancipium potest aliquid de bonis Domini in moderatam recreationem aut ludum impendere, si Dominus nihil ipsi ad hoc præbeat. Dicastill. *part*. 11 *tract*.6.*resol*.9.

VI. Religiosus dum abest à monasterio potest lusu honesto & licito aliquid exponere recreationis causâ; præsumitur enim consensus Prælati. Cum expresso autem consensu potest etiam magnam summam lucrari, & perdere:etsi peccet Superior permittedo. Lessius & 2.Quamuis alij putent Superiorem id permittere non posse; quia in lusu omnes finaliter perdunt.Villalob.& 2.Quod si habeat licentiam generalem expendendi aliquam summam, posse eam ludo exponere, docet Rebell. & 3. Sed contrarium est probabilius. Villalob.& Dicastill.*p*.7.*tr*.9.*ref*.14. *&* 15. Quod si excedat summam quam poterat exponere vel aliunde illicitè ludat, & tamen lucretur, probabiliter quidem non tenebitur restituere colludenti: sed contrarium est probabilius.Sanchez.Porrò omnia in quæ habet dominium proprietatis potest ludo exponere, inter quę Caram.numerat.I. manuscripta. II. res vnico vsu consumptibiles. III. actiones omnes internas & externas. *part*.9. *tract*.6.*ref*.25.

VII. Maritus qui notabiliter ludit, & perdit, tenetur vxori hoc restituere.Villalob.Etsi ab eâ restitutione excusent Molin. & Dicastill. Minores autem inualidè pecuniam ludo exponunt,hinc non tenentur soluere:possunt tamen retinere quod lucrantur. Sed quia horum contradictoria etiam probabilia sunt, non debet à Confessario vel Minor ad solutionem,vel collusior obligari ad restitu-

tionem

tionem lucri. Poteſt tamen Minor hoc per Iudicem repetere. Et ſi per huius negligentiam vel iniquitatem recuperare non poſſit,ſibi in aliis compenſare. Layman. & 2. *p.7.tr.9.reſ.18.& 13.& p.3.tr.5.reſ.44.*

VIII. Filius-familias vel quiuis alius qui non poteſt perdere niſi v.g.quatuor, poteſt tantundem quouis iactu luſûs lucrari à ſingulis: totum verò lucrum, non tantum ex eodem luſu, ſed etiam ex diuerſo, & alio tempore, poteſt iterum ludo exponere.Sanchez & 4.Quod ſi talis expoſuit pecunias patris quas non poterat alienare,probabilius tenetur reſtituere quod lucratus eſt; quia contractus fuit inæqualis, ideoque iniuſtus. Sanchez & 3. Contrarium tamen probabile eſt quando colluſor ſciebat eum non poſſe alienare; tunc enim cedit iure ſuo.Dicaſtill. & 7. Quando autem colluſor id neſcit,adhuc poterit lucrari, ſi aliquid aliud habeat proprium quod tradere poſſit pro pecuniâ illâ patris; ſi luſu amittatur:aliàs non. Lugo & 2. Sic etiam qui à fure lucratus eſt, poteſt lucrum retinere quoties dominium rei perditæ ſpectabat ad furem, aliàs non Bonacin.& *2.p.1.tract.8.reſ.67.&p.7.tract.9.reſol. 7.8.19.& 20.*

IX. Quando verò talis qui alienare non poterat; v.g. filius, ex ceſſione iuris alterius lucratus eſt qualemcumque ſummam, poteſt colluſor vel eodem, vel alio tempore eandem ruiſus lucrari; quia non aliter videtur is iure ſuo ceſſiſſe:non obſtante eo quod generatim filius non ſibi acquirat, ſed Patri.Molin.& 3.Idemque eſt de Religioſis.Quod ſi alienare poterat v. g.10. per annum,& aliquis vno die hoc totum ab ipſo lucratus eſt, poteſt retinere; niſi ſciret ipſum iam antè partem eius amiſiſſe. Sanchez & Lugo.*p.7.tr.9.reſ.9.& 10.*

X. Qui à Clericis lucrantur etiam bona beneficialia; vel eorum ſuperfluum, non tenentur reſtituere; cùm illi ſint veri domini illorum bonorum,etſi fortè ſic ludentes peccent mortaliter. Idem eſt de Religioſis Ordinum militarium,qui etiam ſic non peccant contra votum paupert-

tatis. Salas & 3. Etsi contrarium sit probabilius. *Ibi. ref. 16. & 17. & p. 2. tr. 15. ref. 54.*

XI. Qui creditò lusit & perdidit, non tenetur soluere; quia ius concedit actionem repetendi solutum, & consequens exceptionem non soluendi. Hurtad. & 2. Qui tamen lucratus, est potest retinere quod alter soluit, etsi soluisset ignorans se non esse obligatum. Lugo & 2. Nec impedit quo minus lucrari possit quod ipse habeat animum non soluendi si perdat, vel solutum repetendi in iudicio. Lugo & 2. Etsi contrarium doceat Molin. & *3. p. 7. tr. 9. ref. 23. 24. & 25. & p. 3. tr. 5. ref. 94.*

XII. Non tenetur quis soluere quod perdidit lusu prohibito; cùm leges concedant ius repetendi sic amissa: secus est si alicubi illud ius non concederedetur, vel ludentes cessissent iure suo. Molin. & 6. Probabilius tamen putant quidam hoc inualidè fieri, nisi accedat iuramentum. Rebell. & Couart. Imò etiamsi iurasset non repetere, posset peti relaxatio iuramenti sine consensu collusoris; quia huic periculo est expositus ob transgressionem legis. Salas & Dicastill. Etsi contrarium sentiat Molin. & 3. Qui tamen tali lusu lucratus est, non tenetur restituere. Molin. & 5. Quod verum est etsi lucrum ab altero repetatur extra iudicium. Couarr. & 5. Vnde alter non potest in hoc vti tacitâ compensatione, quia eius restitutio non debetur ante sententiam. Sotus & *3. p. 7. tr. 9. ref. 21. 26. & 22. part. 2, tract. 17. ref. 8.*

XIII. Qui, cum perdidit, minando accusationem & repetitionem per Iudicem, etsi non habeat animum id faciendi, extorquet à collusore partem aliquam deperditi, non tenetur eam restituere; quia cedit iure suo repetendi, etsi nollet eo vti. Sanchez & 3. Licèt contrà sentiat Molin. & Lugo. Quod si de facto per Iudicem repetatur à victore, & hic impediat, siue vi siue fraude, ne condemnetur ad reddendum lucrum v. g. negando se lucratum cùm res est occulta, non tenetur victo; quia vtitur iure suo, cum examinetur criminaliter vt puniatur priuatione lucri. Mo-

lin. & 3. Etsi contrarium doceant Lessius & Lugo. *p.7.tr. 9.res.28.& 27.*

XIV. Qui coegit alterum ad ludendum, si lucretur, non tenetur restituere; quia & mansit in altero sufficiens libertas ad contractus onerosos, & hoc damnum non sequitur ipsi immediatè ex coactione, sed ex fortunâ lusûs Huttad. & 3. Alij tamen probabiliter volunt teneri tamquam ad damnum causatum per iniuriam.Lugo & 11 Potest tamen coactus amissa repetere per Iudicem. Quod si ipsemet lucretur, potest lucrum retinere;quia inæqualitas est ex culpâ alterius.Sanchez & 2. Sed preces importunæ non impediunt hîc voluntarium,nisi essent tantæ vt quis mallet eam pecuniam perdere, quam illis vexari, quod rarò fit.Lessius & 3.*Ibid.resol.32.33.&34.&p.2.tr.17. res.27.& p.4.tr.4.res.169.& p.11.tr.6.res.9.*

XV. Qui inscius longè excedit alterum in peritiâ lusûs,atque ita bonâ fide lucratur, nihil tenetur restituere; pari enim periculo vterque se exposuit, imo probabiliter etsi sciat suum excessum, & collusor eum ignoret. Tolet. & 2. Sed contrarium est probabilius. Salas. Non tenetur tamen totum lucrum restituere, sed potest retinere illud quod respondet aliquali periculo cui se exponit. Faust. Etsi ad totum obliget Bonacin. Quod si collusor sciebat maiorem ipsius peritiam, nihil est restituendum; quia tunc cedit iure suo, & condonat excessum. Sanchez & 2. Sed alii hoc solùm admittunt quoties ex circumstantiis illa spontanea donatio præsumi potest, & non potiùs ipsum non credidisse excessum, ideoque lusisse. Molin. & Lugo.*p.7.tr.9.res.29.30.& 31.*

XVI. Qui inspicit chartas alterius sine fraude ex solâ ipsius negligentiâ,licitè lucratur: vti & qui chartas exteriùs dignoscit, quando alter æquè potuisset eas nosse, si aduertisset. Lugo & 2 Aliud est cum quis est ita ingeniosus, vt facilè chartas dignoscat, & alter hoc ignorat.Sanchez.*Ibid.res.50.& 52.*

XVII. Licitæ sunt in lusu eæ fraudes & simulationes

quas leges lusûs communiter permittunt; nam in has ludentes tacitè consentiunt. Lugo & 2. Leges autem lusûs censentur secundùm quas communiter eo loco ludi solet, etsi fortè collusor eas ignoret. Sic si quis videat collusorem non numerare omnia sua quibus vinceret, nec admonet, non tenetur restituere si posteà ipsemet lucretur. Sanchez & 3. Etsi alij id affirment. Azor & 4. Item qui secundo loco ludit, si primo offerenti maiorem sponsionem, dicat se acceptare, modo sibi concedat vnum punctum, atque ita lucretur, cum antè haberent æqualia puncta, fraus est communiter recepta. Sanchez & 2. *Ibidem resol.* 43.44.&46.

XVIII. Qui acceptauit auctionem factam à collusore, quia monebatur ab alio socio inspiciente chartas vtriusque, tenetur restituere, si monitio illa fuit causa acceptationis: quod si antè dubitabat, tenetur ad partem pro ratione dubij. Molin. & 3. Item qui per fraudem surripuit socio primam manum, siue locum ludendi, non tenetur totum lucrum restituere; sed quantum ius illud prioris loci censetur valere, nisi constet alterum aliàs fuisse lucraturum. Lugo & 3: *Ibid. resf.* 42.& 45.

XIX. Qui fingit se habere plura puncta quàm habet, & ita lucratur, collusore non aduertente, tenetur restituere. Item qui falso asserit se habere eas chartas quibus lusus finitur v. g. *la primera* siue 50. si socius fidem habens non adspiciat, chartasque confundat. Sanchez & Villalob. Item si quis soluat minus quam perdiderat: quia secundùm leges lusûs non debet esse fallacia in pecuniâ. Item si arbitri pro aliquo iudicarunt contra veritatem, etsi bonâ fide; quia est sententia ex falsâ præsumptione. Sanchez. *Ibid. resf.* 47.& 53.

XX. Idem est de eo qui suffuratur chartas, vel signis quibusdam à tergo notat, vel etiam vtitur iis quas antè nouit, socio id ignorante; vel arte quadam eas componit, vel supponit taxillos adulteratos &c. Et in omnibus his & præcedentibus, præter lucrum ex istis frauidbus, restituen-

dum est etiam quantum alteri valebat spes lucrandi ; quia fuit iniusta causa cur non lucraretur. Quod si dubitatur an cessante fraude alter fuisset lucraturus non tenetur nisi solum lucrum restituere ; est enim in possessione rei suæ. Lessius & 3. Qui verò dubitat an per fraudem sit lucratus;tenetur restituere ; quia in dubio non potest acquirere,& melior est conditio alterius possidentis. Filliuc. *Ibid. res.48.&p.4.tr.3,res.75.*

XXI. Qui ab altero ludente falsis chartis , vel aleis est lucratus, non tenetur restituere:quia inæqualitas quæ hic est,procedit ex culpâ alterius ludentis. D. Thom.& *7.p.4. tract.4.res.169.*

XXII. Qui in lusu latrunculorum spopondit dare *scacco matto* cum pedite , non lucratur si id faciat cum pedite facto Regina : siue spoponderit de aliquo pedite in genere , siue de aliquo designato. Sanchez & 3, *part.7. tractat. 9.resol.49.*

XXIII. Qui per fraudes iniustè lucratus erat,& restituere tenebatur , si consequenter ludendo tantumdem posteà perdat , probabile est non teneri amplius restituere. Sanchez & Armill. Sed contrarium verius est;quia singuli lusus sunt distincti contractus.Lugo.Quod si neque posteà perdidit , potest tamen ex lucro illo restituendo deducere,si quid dedit pro chartis pro lucernis, bellariis, vel etiam honorarium , siue *de barato* ; quia hęc dantur vtroque consentiente. Aliud est si lucratus fuisset ab eo quem vi traxerat ad ludendum ; quia hic non censetur illis consentire.Trullench. *Ibid.res.51.&* 54.

XXIV. Qui vouit non ludere , potest ludere per alium tradendo ei pecuniam.Item potest ipse ludere nomine alterius, quia hęc non comprehenduntur sub eo voto, nisi alia fuerit intentio. Sanchez. Quod si vouerit sub certâ pœnâ,probabile est intelligi de solâ primâ vice qua luserit,nisi aliud intenderit. Layman.& Sà. Alij tamen volunt deberi pœnam quoties luserit , si ea non est valde grauis. Sanchez & Castrop.*Ibid.res.57.58.&60.&p.4.tr.5. res.181.*

xxv. Qui ludit lusu licito & animi recreandi causâ, & in paruâ quantitate, non facit contra votum vel iuramentum non ludendi: quia hoc intelligitur de lusu illicito, & in magnâ quantitate, nisi intenderit à quouis lusu abstinere, quod potest esse materia voti, quamuis lusus honestus sit. Sanchez & 4. *p.7. tr.9. ref.55. & 56.* Quando autem contra illud votum ludens excusari possit à mortali ex leuitate materiæ, iudicandum est ex intentione voti facti v.g. si factum est ad vitandam iacturam temporis, vel pecuniæ &c. Sanchez, *p.5. tr.5. ref.38.*

xxvi. Qui potest dispensare in votis generatim, potest etiam in voto non ludendi. Quod verum est etsi vouisset sub pœnâ vt non possit dispensari nisi à Papa. Trullench. & 2. Non est tamen causa sufficiens ad dispensandum quod magnam patiatur tentationem ludendi, sed si solet votum violare ludendo. Bonacin. & Faust. *part.7. tr.9. resol.59. & 55*

Luxuria.

I. OMissio orationis in graui tentatione carnis, vbi est periculum consensûs, non est speciale peccatum, distinctum ab eo ad quod vitandum requirebatur oratio, *p.3, tr.5, ref.16,* Neque mulier prægnans ad vincendas carnis tentationes, tenetur ieiunare cum periculo prolis. Homobon, *p.1. tr.9. ref.30,*

II. Si in cogitationibus venereis voluntas nec consentiat, nec dissentiat positiuè, sed tantùm permissiuè se habeat non impediendo, nec reprimendo motus luxuriæ quos potest reprimere, probabiliter non est peccatum mortale. Sanchez & 9. Contrarium tamen est probabilius, Vasquez & 9. *p.2. tr.17. ref.33.*

III. Femina vi compressa non peccat, si habeat firmam voluntatem non consentiendi, & si impediat quantum in se est, ne sibi vis inferatur, clamore, & nisu corporis; alioquin censetur consentire. Valent, & 9. Tamen si obniti

non poteſt, vel clamare ad vitandam mortem, vel graue incommodum infamiæ, vel in bonis,poteſt(etiam ſecundùm quoſdam cum periculo conſentiendi. Salas & Freytas.) pati externam corruptionem non conſentiendo, ſed merè paſſiuè ſe habendo. Curiel & *6.p.3.tr.6. reſ.31. & in Add t.3.p.reſ.27.*

IV. Si quæ mulier in choreis ſciat ſe tangi intentione malâ,modò tactus ex ſuo genere ſit licitus, vt conſertio manuum in choreis, vel oſcula vrbanitatis, non peccat eiuſmodi tactus admittendo coram aliis. Filliuc. *part. 3. tract. 5.reſ.22.*

V. Non eſt peccatum mortale intereſſe Comœdiis, ſi audiantur, aut ſpectentur ob ſolam curioſitatem, abſque periculo lapsûs, etiamſi res turpes turpi modo exhibeantur: tamen eſt periculoſæ plenum opus aleæ. Sanchez & 7. Sed peccant ſaltem qui cò confluunt, quatenus ſoluendo pretium ſunt cauſa vt talis comœdia exhibeatur. Hurtad. & 3.(Eos tamen excuſant Bardi & Ferrantin.) ſicut peccant magiſtratus ſi eas approbent: quòd ſi ſolùm non puniant,poſſunt interdum excuſari. Baldell. *p. 2.tr.17.reſ 35. & p.5.tr.13.reſ.81.& 82.& p.11,tr.5.reſ.52.*

VI. In delectatione moroſâ nihil eſt opus fateri circumſtantias perſonæ circa quàm, ſi delectatio conſiſtat in ſimplici complacentiâ; nam talis delectatio quæ fertur in feminam coniugatam, non habet malitiam diſtinctam ab eâ quæ fertur in virginem; quia neque expreſsè, neque interpretatiuè approbatur iniuria in maritum. Idem eſt ſi feratur in perſonam affinem, vel religioſam. Vaſquez & *7.p.1.tr.7.reſ.48.& p.2.tr.17.reſ.34.& t.3.tr.4.reſ.67.* Aliud eſt quoad delectationem de ſodomiâ, pollutione, & beſtialitate quæ peculiarem dicunt oppoſitionem cum caſtitate diſtinctam à malitiâ fornicationis. Vaſquez & 5. Quamuis etiam hoc neget Arriaga.*p. 9. tr.6.reſ.3.*

VII. Delectatio de actu coniugii præterito; vel futuro,quæ abſente coniuge habetur etiam cum ſenſibili commotione,modò abſit periculum pollutionis, non eſt pec-

catum mortale; quia illa per se tendit ad opus coniugale, & per accidens est quòd propter absentiam coniugis, nunc exerceri non possit. Vasquez & 19. (Etsi quidam contrà sentiant. Pontius & 5.) Quod verum est, etsi copula esset interdicta ob aliquam circumstantiam extrinsecam, v.g. si illicita est ob periculum aborrûs, vel si superueniat impotentia coeundi, vel affinitas cum coniuge, vnde arceatur à petitione debiti; cùm enim hæc opponantur soli copulæ, solus huius vsus redditur illicitus, non autem delectatio. Sanchez & 21. *p.2.tr.17.res.36. & p.3.tr.4.res.200. & 224.&p.9.tr.8.res.* 44. Aliud esset si coniux fecisset votum castitatis: quia per hoc prohibetur omnis delectatio sensibilis venerea. Vasquez & 2. Quod verum est etsi votum illud fecisset sine licentiâ alterius coniugis, & propterea non excusaretur à reddirione debiti coniugalis. Vasquez & Lessius. *p.3.tr.6.res.73.*

VIII. Si vidua, vel sponsa de futuro carnaliter delectetur de copulâ præteritâ, vel futurâ, vtraque peccat mortaliter; quia sicut actus venereus externus vtrique est illicitus, ita & delectatio. Vasquez & 13. Quamuis contrarium doceat Medina & 5. *Ibid.tr.5.res.2.*

IX. Peccatur contra votum castitatis per solam etiam delectationem morosam, sine consensu in actum externum. Reginald. & 3. Quamuis id neget Herrera, eò quòd ibi non sit voluntas agendi contra votum. *p.7.tr.11. res.34.* Coniuges tamen per delectationes morosas non peccant contra iustitiam; quia per matrimonium non obligantur specialirer ab iis abstinere. Arriaga & 4. Contrarium tamen est probabilius. Sanchez & 5. *part. 9. tractat. 6. resol.4.*

X. Tactus & oscula ob solam sensibilem delectationem absque aliâ sinistrâ intentione alterius delectationis de aliquo actu luxuriso, vitanda sunt sub mortali. Filliuc. Etsi alij contra sentiant. Salas & 3. *part. 4. tract. 4. resol.136.*

XI. Tangere immediatè viri, vel feminæ verenda, vel

alias partes corporis secretiores, est peccatum mortale; quia id valdè prouocat ad luxuriam. Item etsi non sit mortale aspicere verenda bestiarum etiam turpiter commota, tamen aspicere personam alterius sexûs nudam, erit mortale, nisi valdè leuiter, & quasi per transennam fieret; vel attentâ ætate & complexione, quis prudenter sibi persuaderet nullum esse periculum magnæ commotionis, etiamsi ex proposito inspiceret. Sed tu hæc fuge. Granad. & Syluius. *p.3.tr.5.ref.88.& 89.*

XII. Tactus impudici facti in Ecclesiâ sed sine periculo pollutionis, non habent ratione loci specialem malitiam; quia Ecclesia violatur tantùm emissione sanguinis, & seminis. Sanchez & 3. Sed pollutio & fornicatio etiam occultè facta in Ecclesia (non tamen in oratorio priuato. Sanchez & 4. (probabiliùs continent specialem malitiam quia licet nullum sit scandalum, tamen loci sanctitas violatur. Suarez & 3. Sed contrarium etiam probabiliter docet Vasquez & 7. *p.1.tr.7.ref.25.& 26.& p.2.tract.17.resol. 23.& part.3.tract.4.ref.67.& p.7.tr.11.ref.31.& p.9.tr.1.resol. 20.& tr.9.ref.5.*

XIII. Tactus & oscula inter sponsos de futuro honestantur à sponsalibus, si tactus non sint impudici, & absit periculum pollutionis. Sanchez & 16. (Etsi id quidam negent. Hurtad. & Io. Suarez.) & consequenter delectationes & commotiones sensibiles quæ ex osculis illis & tactibus cogitatis resultant: sed non quæ ex aliis tactibus. Salas. Imò ea licita esse etsi præuideretur secutura pollutio, dummodo id faciant ex necessitate, putà quia aliàs inurbani & austeri haberentur, & absit periculum consensûs in pollutionem, docet Sanchez. Et hæc omnia ad aspectus etiam partium verendarum extendit Salas; eò quòd hi non sint tam affines copulæ, quàm tactus earumdem partium. Sed vtrumque hoc non videtur probabile. Hæc tamen non procedunt inter sponsos sub conditione: *si Papa dispensauerit*; quia hæc non sunt vera sponsalia. Sanchez & 5. Impetratâ tamen dispensatione eadem his licent, etsi

non sit ratificatus prior ille consensus. Sanchez & Præposit.*part.2.tractat,17.resol.6.& part.4.tractat. 4.resol.131.& p.11.tract.2.res.68.*

XIV. Si coniugatus seipsum tangat voluptatis causâ, extra actum coniugii,peccat mortaliter, etiamsi absit periculum pollutionis, quia non habet dominium sui corporis,in ordine ad venerem secum explendam, sed tantûm in ordine ad illam explendam cum coniuge. Vasquez & 4.Etsi contrarium docet Sanchez & 3.*p.3tr.4.res.215.& p.4.tr.4.res.137.&p.9.tr.8.res.31.&* 44.

XV, Confricare genitalia brutorum sine delectatione, ex curiositate inspiciendi sémen, non esse peccatum mortale; quia non est mortale impedire generationem bruti, docet Sanchez Sed contrarium est tenendum. Salas & 2. *p.2.tr.17.res.37.&p.9.tr.8.res.31.*

XVI. Qui amentes non coniugatos incitant ad copulam, peccant eodem genere peccati quo ipsi peccarent si sanæ mentis essent. Sanchez. Quod tamen difficultatem habet si amentes obligentur voto castitatis, quomodo incitantes tunc peccent peccato sacrilegii: imò neque propriè sunt causa vt illi sint intemperantes & venerei, cùm tales non sint in eo actu. Solùm ergo videntur incitantes peccare quatenus sunt causa actûs quem natura non permittit nisi inter coniuges, & sui compotes. Dicastill. *p.11.tr.8.res.35.*

XVII. Fornicatio est intrinsecè mala, & non solum quia prohibita est iure diuino: Et contrarium est error Martini de Magistris quem renouauit Caram. Nec admittendum quod ait Durand seclusâ Dei prohibitione,& spectato solo jure naturæ,tantùm fore venialem. Idemque est de pollutione. Quamuis autem possit esse ignorantia inuincibilis de malitiâ simplicis fornicationis, vix tamen inter Christianos degentes in ciuitatibus:nisi fortè licita putetur quoad meretrices publice expositas. Azor & 4. *p.9.tr.9.res.*50.

XVIII. Qui fornicatur, tenetur se retrahere ante sper-

matiſmum,etſi complex iam ſeminat : imò etſi ex vi prioris commotionis poſt retractionem eſſet futura ſeminatio extra vas;quia omni momento tenetur opus prauum abrumpere , & quamuis inde ſequatur aliud incommodum, quod ſit contra naturam generationis, illud per accidens, & præter intentionem obuenit. Nec contrarium probabile eſt. Auerſa. Etſi vt tale admittant Sanchez & Leſſius *part.3.tractat.4.reſol.127.& part.6 tractat.6.reſ.37.& part.9. tract.8.reſ.31.*

XIX. Pollutio quæ ſequitur ex verbis amatoriis , ex adſpectu curioſo feminæ , ebrietate , nimiâ comeſtione, &c.cùm hæc non ſint niſi venialia,non eſt peccatum mortale,etſi ſit præuiſa,ſed tunc tantùm,quando eius cauſa eſt mortalis in genere luxuriæ.Vaſquez & *7.p.1.tr.7.reſ.65.& p.2.tr.15.reſ.31.*Imò quę ſequitur in ſomnis ex quouis prçcedenti peccato , etiam in genere luxuriæ,non eſt mortalis,niſi cauſa poſita fuerit eâ intentione , vt pollutio in ſomnis ſequeretur:aliàs ſi cauſa dum præſens erat non influebat efficaciter in pollutionem, multò minùs id poteſt dum præteriit. Sancius.*p.5.tr.15.reſ.* 4. Vniuerſim ad excuſandas pollutiones prouenientes ex actionibus ceteroquin licitis non requiritur cauſa neceſſaria, aut valdè vrgens , ſed ſufficit quæuis rationabilis. modò abſit periculum conſenſûs, *p.6.tr.6.reſ.37.*

XX. Ad ſemen corruptum expellendum vel ad pruritum ſedandum , fas eſt confricare verenda , licet præter intentionem ſequatur ſeminis emiſſio.Sanchez & *5.p.2.tr. 16.reſ.54.* Sed contrarium eſt tenendum.Salas & *2.p.3.tr.5. reſ.85.& p.9. tr.8.reſ.* 31. Item poteſt chirurgus curationis causâ attrectare pudenda infirmi cum periculo pollutionis.Leſſius & 2. Non tamen cum periculo conſenſûs , vti nec Parochus cum tali periculo poteſt confeſſiones audire. Leſſius & 4. Quamuis hoc etiam affirment Caſtropal. & Sancius:Vti & qui ex equitatione obuenienti pollutioni ſolet conſentire, poſſe nihilominus equitare ; quia qui ex causâ vrgente ſe exponit periculo peccandi,non pec-

cat, si determinatam habeat voluntatem non peccandi; videtur enim tunc periculum illud inuoluntarium *part.3. tract.5.res.3.*

XXI. Feminam vi oppressam posse incontinenti semen eiicere, per modum defensionis contra iniustam inuasionem, quæ adhuc durat in semine opprimentis, præsertim cùm hoc nondum sit in possessione, docet Sanchez & Marchant. Sed contrarium est tenendum. Texeda. *p.7. tr.5.res.31.& p.9.tr.8.res.18.*

XXII. Accubans hoc vel illo modo, & sentiens se ex tali situ in pollutionem cadere, si absit periculum consensûs, non tenetur mutare situm, aut aliter decumbere. Sancius. Idem est si mundans verenda à sanguine, vel femina à menstruis ne pruritum, aut fætorem patiatur, præuideat secuturam pollutionem, modò absit periculum consensûs. Sancius & Reginald. *p.3.tr.5.resol.22.& 85.* Similiter licitum est sumere medicinam prouocatiuam effusionis seminis, quando habet alium effectum vtilem qui intenditur, ita vt non intendatur pollutio. Turrian. *p.4.tr.4.res.159.*

XXIII. Non tenetur quis pollutionem in somno inchoatam euigilans reprimere, quia cœpit inuoluntariè, continuatio verò illius est effectus naturalis illius causæ inculpabilis. Sà & 3. Imò gaudere de illâ non ob delectationem, sed ob sanitatem vel alium bonum finem, & illam optare, non est peccatum, ne veniale quidem. Sanchez & 31. Etsi quidam contrà doceant. Azor & *6.p.3.tr. 5.res.21.& 87.*

XXIV. In rebus venereis non datur paruitas materiæ; cùm enim nulla sit fornicatio, quin sit peccatum mortale, & delectatio sequatur naturam actus: omnis delectatio in hac materia est peccatum mortale. Ponrius & 8. Quamuis contrarium doceat Salas & 7. *Ibid.res.1.& p.5.tr.5.res.5. & p.7.tr.11.res.28.& p.11.tr.1.res.25.& tr.6.res.53.* Quorum sententia neque speculatiuè, neque in praxi sustinenda est, *in Addit.5.p.*

XXV. Licet ex iustâ causâ locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum; quia locare domum est res per se indifferens, quæ ex solâ prauâ abutentis intentione ad malum ordinatur. Valent. & Salon. *part. 3. tractat. 6. resol. 45.*

XXVI. Scribentes & deferentes litteras ad mulierem quibus ad peccatum inuitatur, peccant mortaliter. Sanchez & 2. Etsi contrarium doceat Sà. Aliud esset si herus in litteris illis solùm petat à concubinâ vt tali horâ ad se veniat, vel ad talem locum, tunc enim posset famulus eas litteras deferre, vel etiam ore nuntiare, si aliàs malè tractabitur ab hero. vel domo eiicietur. Sanchez & 2. Idem est si mittatur insecuturus feminam vt videat vbi habitet. Imò docet Sanchez non esse intrinsecè malum scribere verba turpia, atque ita posset dari casus in quo id liceret. Sed contrarium est tenendum. *Ibid. res. 46.*

M.

MALEFICIVM.

I. Licet petere à sagâ vt maleficium soluat, quando id potest sine nouo maleficio, etsi sciatur per maleficium factura. Sanchez & 4. *p. 5. tr. 7. res. 15.* Imò licet eam ad hoc cogere verberibus, vel tormentis. Lugo & Lessius. Non tamen licet interficere nolentem tollere. Dicastill. *p. 8. tr. 7. res. 53.* Quando autem dubitatur an sine peccato fieri possit, sicut nec ipsa facere, sic nec ab eâ peti potest. Lessius. *p. 4. tr. 3. res. 43.*

II. Non licet vti remedio superstitioso, aut de quo dubium est an contineat tacitam dæmonis inuocationem, nisi fortè id fiat cum expressâ voluntatis contrariæ protestatione, Lessius. Quod si dubitetur an effectus aliquis proueniat à causâ naturali, eò quòd non constet id fieri non posse, censendus est potiùs prouenire à naturali, sin autem illud constet, censendus est superstitiosus, nisi ex

sanctitate personę & aliis iudicari possit esse à Deo. Sanchez.*Ibid.& res.*62.

III. In maleficio & sortilegio non datur paruitas materiæ; cùm omnis inuocatio dæmonis sit grauis in re quacumque. Lessius & 5.*p.*5.*tr.*5.*res.*29.

Matrimonium.

I. POsito casu quod sæculares omnes homines deficerent, tenerentur Religiosi matrimonium contrahere ad conseruationem speciei. Sanchez & 2. Quamuis id neget Vasquez & 3. Imò etiam nunc si bella & seditiones sequerentur, nisi Principis filius vxorem duceret, teneretur ad hoc sub mortali, quamuis esset Religiosus. Sanchez & Reginald.*p.*3.*tr.*4.*res.*289.

II. Matrimonium contractum inter infideles, non potest fieri verum Sacramentum, etiamsi posteà baptizentur: Tamen credere par est, Deum eiusmodi conuersis maiorem gratiam impertiri ad ferenda onera matrimonij, quàm infidelibus. Vasquez. Coninc & Pontius *Ibidem resol.*253.

III. Probabilius est matrimonium inter absentes contractum per procuratorem, vel per litteras coram Parocho, & testibus, esse Sacramentum: quare qui ita contrahunt, debent dare operam, vt sint in gratiâ eo tempore quo procuratores eorum nomine contrahunt: procuratores autem non est necesse esse in gratiâ, quia ipsi non suscipiunt Sacramentum. Sanchez & 5.*Ibid.res.*250.

IV. Inter fideles potest esse matrimonium, quod non sit Sacramentum, si contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tamquam rem sacram, sed tantùm vt contractum. Vasquez & 3. Etsi contrà sentiat Sanchez & 3.*Ibid.res.*255.

V. Materia & forma huius Sacramenti sunt verba contrahentium, quæ quatenus contractum inchoant, habent rationem materię, quatenus verò eumdem perfi-

siunt, habent rationem formæ. Suarez & 3. Quamuis autem consensus vtriusque non debeat simul tempore existere; requiritur tamen simultas moralis, ita vt non intersit magnum internallum: quale esse, si annus intercedat, docet Ledesm si biennium. Henriquez, si septennium, Sotus & Lopez. Sed melius videtur hoc committere prudentis arbitrio attentis circumstantiis. *Ibidem resol.* 251. *&* 292.

VI. Contrahentes in peccato mortali, non committunt duplex peccatum, quatenus suscipiunt, & ministrant hoc Sacramentum indignè; quia non sunt ad hoc ministrandum specialiter deputati. Sanchez & 9.*p*.3.*tr*. 4. *resol*. 199. Sunt tamen eius veri ministri, non autem sacerdos assistens, & contrarium improbabile est. Vasquez & 4. Quod tamen docet Canus & 2.*Ibid.res*.254.

VII. Non posse Episcopum prohibere ne matrimonia domi contrahantur, communiter docet. Sanchez & 3. In quibusdam tamen synodis Prouincialibus aliter decretum est *Ibid.res*.279.

VIII. Matrimonium contrahi potest vltimo die quo completur legitima ætas. Sanchez & 4. Imò sufficere si decem dies desint docet Ledesm. Quod Rebell. ad vnum etiam, aut alterum mensem extendit; quòd is vulgariter finis anni dicatur; sed nimis largè. Ante legitimam verò ætatem contractum, si malitia suppleat ætatem, est validum. Barbos. Sed sic contrahentes sine licentiâ Episcopi, & iustâ non interueniente causâ, peccant mortaliter. Henriquez & 8. Etsi id neget Sanchez. *Ibid.res*.277.*&*276. *& p*.5.*tr*.5.*res*.16.

Concensus necessarius.

IX. Posset Deus supplere consensum in matrimonio, & aliquos coniungere sine illorum voluntate. Coninc & 9. Imò & hanc potestatem posset Ecclesiæ communicare, quod tamen non fecit. Sed posset Ecclesia ex iustâ

causâ aliquos cogere ad contrahendum. Sanchez & 4.*p.*8. *tract.*1.*ref.*82.

X. Tenetur Parochus vtrumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum: eius tamen omissio; quando constat vtrumque liberé consentire, est tantùm venialis, Sanchez & 2. Nec tenetur interrogare de aliquo impedimento *p.*3.*tr.*4.*ref.*294. Eodem modo non est mortale etiamsi intellecto consensu non dicat: *Ego vos coniungo in nomine Patris &c.* Sanchez & 3. Quamuis id affirmet. Rebell. & 2.*Ibid.ref.*256.

XI. Surdi simul & muti possunt matrimonium contrahere, modò sufficienter sint instructi, & consensum possint exprimere. Sanchez & 6. Quòd si simul esset cæcus, vel cæcus & surdus, probabiliùs non posset. Sanchez & Pontius; nam quomodo talis instrui poterit? Idemque dicendum est quoad professionem Religiosam. Sanchez & 4, *p.*5.*tr.*6.*ref.*9.10.& 34. Ceterùm si quis matrimonium contrahat per signa, & nutus cùm possit loqui, venialiter peccat. Sanchez & 2. Etsi nullam culpam agnoscat Pontiùs, & mortalis condemnet Syluius & 2.*part.*3. *tractat.* 4. *resol.*248.

XII. In Procuratore ad matrimonium contrahendum non requiritur certa ætas, vel alia qualitas præter ea quæ sunt iuris naturæ, vsus scilicet rationis. Præposit. & 3.*p.*11. *tr.*3.*ref.*33. Quod si Procuratore misso ad contrahendum mandans in amentiam incidat; valet matrimonium; manet enim virtute prior consensus, sicut baptismus petitus ante amentiam, validè confertur in amentiâ. Sanchez & 2. Sed negat Pontius. *p.*3.*tr.*4.*ref.*249.

XIII. Quando adest scientia iuris, & error facti: vt quando coniuges falsò credunt adesse impedimentum, & tamen contrahunt, potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia est quasi conditionatus, & conditio est de præsenti. Si verò planè credunt subesse impedimentum, etsi reuerà non subsit, matrimonium est nullum: quia impossibile est illos habuisse intentionem contrahendi,

cùm

cùm ſcirent ſe nullo modo poſſe Pontius.*Ibid.reſ.*293.

XIV. Matrimonium ex leui metu contractum, nec irritum eſſe, nec irritari poſſe, multi tradunt: Quod tamen etiam multi negant, vtrimque probabiliter. Ex graui verò metu contractum, irritum eſt iure naturali. D. Thom. & 3. Neque tantum ſi quis cogatur ducere aliquam perſonam in particulari, ſed etiam ſi tantùm aliquam in genere. Pontius & 4. Idemque eſt ſi cogatur Procuratorem conſtituere ad matrimonium contrahendum. Pontius. *p.3. tr.4.reſ.*230.*& tr.5.reſ.*117.*& p.4.tr.4.reſ.*33.

XV. Si Iudex ſecundùm allegata & probata iuſtè cogat ad matrimonium, licèt à parte rei coactio ſit iniuſta, valet tamen matrimonium. Sanchez & Perez. Quod tamen negat Texeda. *p.9.tr.8.reſ.*26.

XVI. Quando matrimonium ex graui metu contractum eſt, poteſt reſilire, etiam is qui metum intulit. Sanchez & 2. Quod tamen negant Pontius & Coninc. *Ibid. reſ.*27.*& p.3.tr.4.reſ.*229.

XVII. Si deprehenſus in ſtupro vel adulterio offerat matrimonium cum puellâ, vel cum aliquâ conſanguineâ mariti, ne accuſetur, vel prodatur iuſtitiæ, validum eſt; quia metus eſt iuſtè illatus. Idemque eſt ſi vir vxorem adulteram ſic cogat ad profitendam Religionem. Secus autem ſi illa faceret metu mortis inferendæ; quia is eſſet metus iniuſtè illatus, cùm nec maritus, nec conſanguinei poſſint occidere. Pontius. Item valet matrimonium ſi aliquis miniſter iuſtitiæ, eum quem iuſtè ad mortem, aut aliam grauem pœnam damnare debuerat, impunitate oblatâ inducat ad filiam ſuam vxorem ducendam. Sanchez & 2. Licèt contrarium doceat Pontius & Rebell. *p.3.tr.4. reſ.*228.*& p.9.tr.8.reſ.*27.

XVIII. Filij non tenentur ad matrimonium quod ipſorum nomine parentes promiſerunt. Imò & parentibus inuitis, & reſiſtentibus poſſunt hoc, vel illud contrahere, modò non ducant indignam. Hurtad. & 4. Tenentur tamen filii parentes conſulere, niſi meritò timeant illos im-

iuftè impedituros. Sanchez & 4. Quamuis tamen parentes coactione fufficiente ad mortale ad hoc cogant filios, non ideò incurrunt excommunicationem Concilii Tridentini *feff.* 24. *c.* 9. Quia tantùm loquitur de Dominis temporalibus, & magiftratibus habentibus iurifdictionem in foro fæculari, Quare nec Parochus,nec Epifcopus cogentes, illam incurrerent.(Sanchez & 2.) Imò nec Reges,aut Imp eratores; quia hi ob excellentiam dignitatis deberent fpeciatim exprimi. *p.4.tr.4.ref.*132.*& part.6.tract.* 7.*refol.*21.

XIX. Parentibus, qui filiis negant colloquium, quia fe infciis indignum matrimonium contraxerunt, non eft propterea neganda abfolutio, fi id faciunt non ex odio, fed ex iuftâ vindictâ ad âlterius emendationem, nec grauiùs, vel diutiùs, quàm exigat menfura delicti. Layman, *p.4.tr.4.ref.*182.

XX. Qui poft contractum clandeftinè matrimonium virginem deflorauit, non tenetur eam, pofteà ducere, etfi vero animo matrimonium illud contraxiffet; quia illa videtur volens decepta in illo defectu matrimonij omnibus notiffimo. Sanchez. Contrarium tamen docet Texeda. Vterque probabiliter; Sicut & hic affirmat in eo cafu teneri etiam ratione fponfalium, fi intendebant fe obligare quantum poterant. Quod tamen negat Sanchez. *part.* 9. *tract.*7.*ref.*72.

XXI. Qui fictè contraxit matrimonium, tenetur iterum verè contrahere, etfi effet magna difparitas conditionis,quando nullum fuit aliud fignum vnde poffet colligi non feriò contrahere.Pontius & 5.Non eft tamen improbabile non teneri,vt docet Sanchez & 3.Saltem multi funt cafus in quibus excufatur, ne cogatur deceptam ducere. Layman. *p.*3.*tr.*4.*ref.*247.

XXII. Matrimonium initum per verba de præfenti, fub conditione aliquâ honeftâ, non fit validum poft impletam conditionem, abfque nouo confenfu, fed habet tantùm vim fponfalium. Pontius & Gutierrez. Contra-

tium tamen eſt probabile. Sanchez & 3. Debet tamen tunc conditio impleri coram Parocho & teſtibus, vel ſaltem debet illis innoteſcere eſſe impletam. Coninc & 2. Quamuis hoc neget Sanchez. *p.3.tr.4.reſ.291.*

Reuelatio Matrimonij.

XXIII. Ad reualidandum matrimonium fictè contractum ſufficit ſi fictè conſentiens, pòſt verè aſſenſum præbeat, quocumque temporis ſpatio interiecto: neque opus eſt, vt coram Parocho & teſtibus iterum conſentiat; ſupplendus eſt enim tantùm defectus conſensûs interni Sanchez & Guttierrez. Sed contrarium etiam probabile eſt requiri ſcilicet vt vterque de nouo conſentiat. *Ibid.reſ.292. & p.2.tr.15.reſ.4.& p.5.tr.13.reſ.87.*

XXIV. Quando matrimonium fuit irritum propter aliquod impedimentum, coniux illius conſcius tenetur, impetratâ diſpenſatione alteram partem monere de nullitate matrimonii, & ſic de nouo contrahere. Sanchez & 8. Quando tamen timeretur ſcandalum, poſſet matrimonium reſtaurari vel verbis implicitis, vel etiam copulâ affectu maritali. Caietan. & 8. Quod verum eſt quamuis altera pars, ſi ſciret matrimonium eſſe nullum, nollet de nouo contrahere, modò tunc non habeat illum actum voluntatis. Henriquez & 2.*p.4.tr.4.reſ.49.*

Inſolubilitas Matrimonij.

XXV. Poteſt Iudex pro valore matrimonii opinionem aliquam ſingularem ſequi contra communem, quando hæc non eſt clara, ſed dubia, & illa nititur ratione probabili. Sanchez & 9. Quando tamen matrimonium contractum eſt inter impares, negat pro matrimonio præſumendum Sanchez & 15. Quod tamen etiam caſu id affirmat Barboſ. eò quòd ius canonicum non conſideret diſparitatem perſonarum. *p.10.tr.13.reſ.19.*

XXVI. Dubium de valore matrimonij, vel sponsalium liberandum esse in foro conscientiæ, dicit Henriquez ob meliorem conditionem possidentis. Sed contrarium dicendum est quoad matrimonium, ob periculum ne fiat iniuria Sacramento verum matrimonium dissoluendo, quod periculum maioris est momenti, quam ne alter inuitus libertate fortè suâ spolietur, ideoque hoc vt minus malum, potius est eligendum. Rebell. *Ibid.*

XXVII. Nullo casu potest Episcopus dispensare in matrimonio rato: & omni probabilitate caret contrarium quod docet Bauny. Potest tamen Pontifex etiam sine consensu coniugum Sanchez & 8. Non tamen sine iustâ causâ; quia facit hoc vt peculiariter gerens vicem Dei. Hurtad. Neque hæc potestas extenditur ad infideles; quia dispensatio est iurisdictionis. Non tamen restringitur ad solos magnos Principes, vt vult Pontius. Imò & in matrimonio consummato infidelium, dum ambo baptisantur, posse dispensare, docet Sanchez & Nauarr. eò quòd firmius sit ratum fidelium, quàm consummatum infidelium. Contrarium tamen docet Pontius & 2. Sed non videtur Pontifex posse generali lege statuere vt ratum dissoluatur per subsequens consummatum: quia hoc maximam præberet occasionem superinducendi aliam, in matrimonii iniuriam. *p.8.tr.1.resol. 64.62.63.65.& 66.& tractat.3.resol.97.& part.9.tractat.7. resol.47.*

XXVIII. Causæ dispensandi in matrimonio rato sunt I. Notabilis disparitas in qualitate. II. Quando magnum scandalum timetur, aut magnæ rixæ inter sponsos, vel eorum consanguineos. III. Lepra, vel alius grauis morbus superueniens ratione cuius numquam posset ad sponsam accedere. IV. Impotentia superueniens. V. Vt vir promoueatur ad Episcopatum. Sanchez & 2. *p.8.tr.1.res.63.& 65.* Quod si assumeretur ad Pontificatum, posset tunc secum dispensare. Sanchez. Sed si matrimonium fuisset hoc casu consummatum, & vir assumeretur, sine licentiâ vxoris, te-

neretur huic debitum reddere Syluest. & 14. Etsi quidam id negent; posse enim vxorem sine suâ culpâ priuari iure suo ob bonum commune. *Ibid. ref. 62.*

XXIX. Coniuges qui ante consummationem matrimonii communi consensu vouerunt Religionem, non peccare mortaliter illud consummando; eò quòd non reddantur inhabiles ad implendum votum, docet Texeda. Sed probabilius est hoc solùm esse verum quando vterque vouit dependenter ab alterius ingressu in Religionem: non autem si solùm dependenter ab alterius voto; quia in priori casu non impletur conditio donec alter ingrediatur: vnde si vterque nolit ingredi, vterque liber est à voto: in posteriori verò casu impleta fuit quando alter etiam vouit, ideoque vterque obligatur ingredi, & non consummare matrimonium. Coninc. *part. 9. tractat. 7. resol. 2.*

XXX. Goniux ex infidelitate ad fidem conuersus, potest transire ad alias nuptias, quamuis alter in infidelitate persistens, velit pacificè cohabitare. Tenetur tamen infidelem monere, & inuitare ad fidem, petentique certum tempus ad deliberandum concedere. Sanchez & Coninc. Quando verò coniux ita distaret, vt commodè moneri non posset, (vt fit in iis qui ex Æthiopiâ serui abducuntur) non erit opus illâ monitione, quia est moraliter impossibilis. Sanchez & 3. *p 3. tr. 4, ref. 252. & 264*

XXXI. Matrimonium infidelis conuersi contractum ante baptismum & consummatum non potest dissolui per professionem Religiosam, sicut potest per aliud matrimonium. Pontius & 3. Etsi hoc affirmet Sanchez. Multo minùs per Ordinem sacrum. *p. 9. tr. 7. ref. 47.*

XXXII. Licet infideli, dissoluto semel matrimonio cum fideli, ad aliud transire; quia nullâ lege prohibetur: non Ecclesiasticâ, nam Ecclesiæ non subest: non naturali Diuinâ, quia prius matrimonium supponitur dissolutum. Sanchez & 3. *p. 3. tr. 4. ref. 263.* Sed contrarium est probabilius. D. Thom. & Pontius. *p. 9. tr. 7. ref. 48.*

XXXIII. Non obſtante copulâ violenter extortâ intra bimeſtre, poſſe mulierem quæ vim paſſa eſt, viro renitente, ad Religionem tranſire, affirmat Sanchez & 2. Negat Pontius *p.3.tr.4.reſ.242.* Imò non peccant mortaliter maritus per vim vxorem cognoſcens intra bimeſtre poſito quod non cogitet de ingrediendâ Religione. Coninc & 3. Quod affirmat Sanchez & *5.part.9.tr.8.reſ.18.*

XXXIV. Poſt matrimonium conſummatum vno coniuge ex conſenſu alterius Religionem ingrediente, debet etiam alter ingredi, ſi ſit iuuenis: ſi verò ſit ſenex, poteſt in ſæculo manere, emiſſo voto caſtitatis. Sufficit autem ſi ingrediatur Religionem Equitum Melitenſium. Pontius. Quod tamen negat Sanchez & Fauſt. Dicitur verò ſenex ad hunc effectum, ſi femina ſit quinquagenaria, aut vir ſexagenarius, aut eam ætatem habeant, quæ ex prauâ valutudine illi ætati reſpondeat, ita vt à periculo incontinentiæ, ratione ætatis credantur abeſſe. Sanchez & *5.p.3. tr.4.reſ.243.* & *p.4.tr.4.reſ.73.*

XXXV. Quando vxor ex conſenſu viri Religionem ingreditur, etſi ad valorem profeſſionis non ſit neceſſaria licenta Epiſcopi, requiritur tamen vt licitè fiat, ex *cap. ſi vir & vxor.27.q.2.* nam ad Epiſcopum ſpectat iudicare an coniux dans licentiam ſatisfaciat vouendo caſtitatem, necne. Layman & Caſtropal. Etſi hoc etiam probabiliter neget Sanchez & *2.p.10.tr.12.reſ.56.*

XXXVI. Vt maritus ex conſenſu vxoris ſacros Ordines ſuſcipiat; non eſt neceſſe ipſam religionem ingredi, etſi ſit iuuenis ſatis eſt ſi caſtitatem voueat. Non poteſt tamen ad Epiſcopatum promoueri, niſi vxor religionem ingrediatur. Quod verum eſt etiamſi antè religionem fuiſſet ingreſſus, ipſa propter ætatem in ſæculo vouente caſtitatem. Pontius. Sed hoc locum non habet in Cardinalatu, qui ſe habet ſicut ſacri Ordines. Sanchez. *part. 4. tr.4. reſ.29.*

XXXVII. Si hermaphroditus præualânte alterutro ſexu matrimonium contraxiſſet, & poſteà alter ſexus præ-

ualere inciperet, v.g. virilis, dissolueretur prius matrimonium etiam consummatum: & quamuis fortè posteà iterùm præualeret sexus femineus, non tamen restauraretur prius matrimonium, sed nouum esset contrahendum. Lugo.*p.*12.*tr.*1.*ref.*112.

Impedimenta matrimonij

XXXVIII. Solius potestatis Ecclesiasticæ est impedimenta matrimonij statuere, siue hoc oriatur ex eo quod sit Sacramentum (Vasquez & 3.) siue ex eo quod Ecclesia sibi reseruârit. Suarez & 63. Vnde irritæ sunt quoad hoc leges Principum sæcularium nisi ab Ecclesiâ approbentur. D. Thom. & 8. Et sic illis non obstantibus validum est matrimonium filiorum sine consensu parentum (Bauny & 4.) & consanguineorum Regis sine eiusdem assensu. Imò non possunt Principes impedire consensum filiorum statuendo pœnam exheredationis si inuitis parentibus contrahant. Sanchez & 5. Etsi id affirmet Molin. & 6. Neque similiter potest pater exheredare filiam eò quòd nupserit contra eius voluntatem; etsi leges ciuiles hoc permitterent, nec posset Confessarius talem patrem absoluere in articulo mortis, nisi exheredationem illam reuocaret. *p.*7.*tr.*1.*ref.*23.25.26.*&* 27 *&* *p.*1.*tr.*2.*ref.*105.

XXXIX. Potest Pontifex impedimenta illa statuere non tantùm inhabilitando personas, sed etiam directè annullando contractum. Suarez & 2. Neque eâ ratione mutatur materia Sacramenti nisi remota. Imò potest Pontifex etiam particularem aliquam personam ad matrimonium inhabilitare saltem ad tempus. Sanchez & 3. Imò & in perpetuum. Sanchez. De quo tamen dubitari potest. Nulla tamen impedimenta statuere potest sine iustâ causâ. Sanchez & 3. Sed Episcopi nullam quoad hæc potestatem habent etiam independenter à prohibitione Pontificiâ. Coninc & Perez. Etsi hoc neget Sanchez & 3. Nunc tamen certum est eam potestatem esse Pontifici

reſeruatam. Pontius & 4.*part.*8.*tractat.* 1. *reſol,* 59. 60. 61, & 76.

XL. Fideles ſubiecti Principi infideli, quoad hæc impedimenta, non tenentur legibus ſui Principis, ſed potiùs Eccleſiæ. Layman & 3. Etſi contrarium doceat Sanchez & 4. *Ibid, reſ.*77.

XLI, Qui dubitat an aliquod impedimentum matrimonii habeat, facta ſufficienti diligentiâ poteſt contrahere ſine diſpenſatione; quia poſſeſſio ſtat pro libertate contrahendi. Sanchez & 3. Sicut dubius de potentiâ naturali poteſt matrimonium contrahere, & poſt contractum conari ad copulam manente adhuc dubio. Non poſſe tamen dubium de impedimento contrahere, probabiliter etiam docet Caſtropal. & 2.*part.*4.*tr.*3.*reſ.*17. & *par,* 10.*tr.*13.*reſ.*7.

XLII. Contrahere cum impedimento dirimente non eſt duplex peccatum, tranſgreſſio ſcilicet iuris, & ſacrilegium propter nullitatem Sacramenti. Sanchez & 4. Contrarium tamen eſt probabile. Coninc & 2.*p.*3.*tr.* 4. *reſ.*297. & *p.*10.*tr.*16.*reſ.*82.

XLIII, Impedimenta matrimonii per Tridentinum ſublata, cenſeri etiam ſublata in Prouinciis vbi illud non eſt promulgatum, docet Malder. & 2. Sed huius reſolutionem puto à Pontifice, vel Sac. Congregatione petendam. *p.*6.*tr,*8.*reſ.*26.

Impedim. impedientia tantùm.

XLIV. Impedimenta criminum ſunt per diuturnam deſuetudinem ſublata. Erant autem hæc: I. vxoricidium. II. Presbytericidium. III. matrimonium cum moniali ſcienter initum. IV. Si quis ſuam prolem de ſacro fonte ſuſcepit in fraudem vsûs coniugalis. V. Si quis ob peccatum publicam pœnitentiam agere debuit. VI. Raptus ſponſæ alienæ. VII. Inceſtus cum conſanguineis coniugis adhuc viuentis. Sanchez & 5.*p,*3,*tr.*4.*reſ.*259.

XLV. Qui doctrinam christianam ignorant, non possunt à matrimonio arceri, etiam donec orationem Dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, & decalogum addiscant: etsi possint ad ea addiscenda excitari suauiter ad aliquod tempus differendo, Sanchez & 2. Nec contrarium probabile est, etsi id videatur docere Pontius.*p.4.tr.4.res.*85.

XLVI. Tempore interdicti potest contrahi matrimonium, & fieri denuntiationes, etiamsi contrahentes sint specialiter interdicti; quia in illo interdicto non comprehenditur matrimonium, nisi exprimatur. Sanchez & 3. Contrarium tamen probabiliter docet Suarez & 3. *par.3. tr.4.res.*267.

XLVII. Non peccat qui scienter contrahit cum excommunicato, nisi sit denuntiatus, aut notorius percussor clerici. Sanchez & Gutierez.*Ibid.res.*268.

XLVIII. Matrimonium Catholici cum hæreticâ; etiam cum periculo peruersionis est aliquando licitum ob grauem aliquam causam. Pontius; quia non est peccatum ex causâ vrgenti exponere se periculo spiritalis salutis. D. Thomas & 8.*Ibid.res.*269.

Matrimonium clandestinum

XLIX. Vrgente graui necessitate cum Parochus haberi non potest, matrimonium posse validè contrahi sine eius præsentiâ coram testibus, si haberi hi possint verbi gratia siquis morti vicinus vellet concubinam ducere ad legitimandam prolem, docet Sotus & 4. Sed hoc non audeo admittere vt probabile. Quando autem eâ ratione filius ex concubinâ succedet in Principatum qui aliàs deuoluetur ad Hæreticos, idem docet Amic. Quod iudicio Sac. Congregationis remitto. Potest tamen sine Parocho contrahi quando iis locis vel nullus est Parochus, vel ad illum non est tutus accessus, vt in Indiis, vel

partibus Hæreticorum : ex declaratione Cardinalium, & Clementis VIII. Aliàs matrimonium sine præsentiâ Parochi & testium ne vim quidem habet sponsaliũm : & si intercesserit iuramentum nihil est opus absolutione. Ledesm.& 3.*Ibid.res.*234.&258.& *p.5.tr.3.resol.*98.&*p.8.tr.1.res.*59.& *p.10.tr.13.res.*15.

L. Parochus absistens matrimonio non debet necessariò esse sacerdos. Pontius. Nec obstat etsi esset infamis vel criminosus,vel etiam intrusus, modò adsit error communis. Castropal. & 4. Idem est de eo cui licentia adsistendi conceditur,in quo sola requiritur qualitas sacerdotij. Præposit. Similiter testes non debent esse omni exceptione maiores , sed sufficiunt qualescumque, etiam infames, consanguinei , feminæ , vel infideles. Prępolit. & 3. Nec est necesse testes eos esse rogatos. Sanchez & 4. Aut etiam Parochum ad hoc esse vocatum:sed sufficit præsentia fortuita , modò sufficienter intelligat quid agatur , vt testari possit. Sanchez & 7. Etsi hoc neget Pontius & 8. *p.11.tr.3.res.*32.& 33.& *p.10.tr.13.res.*16.

LI. Validum est matrimonium etsi contrahentium consensus non intelligatur à Parocho & testibus nisi per interpretem : sicut hoc sufficit vt contrahentes sibi mutuo consensum exprimant. Sanchez & 6. Etsi id neget Pontius & Leand *p.10.tr.13.res.*17.

LII. Etsi Parochus & testes vi detineantur, nihil obest valori matrimonij:Imò etsi Parochus affectans non intellegere , auresque & oculos claudens nihil eorum quæ aguntur videat vel audiat ; satis est enim quod sciat illos velle contrahere matrimonium. Pontius & 2. Neque peccant mortaliter qui sic testes vi vel dolo adhibent , nisi violentia esset grauis : sicut semper grauiter peccant contra Religionem qui Parochum inuitum cogunt adsistere : imò & contra iustitiam venialiter vel mortaliter pro quantitate violentiæ. Et quamuis Parochus absque iustâ causâ nollet adsistere,non posset vi cogi;quia hoc non est priuatæ auctoritatis : posse tamen tunc dolosè aduocati.

Perez.*part*.11.*tract*.3.*res*.32.*&* 23.

LIII. Non eſt neceſſarium ad valorem matrimonij vt Parochus & teſtes videant contrahentes, ſufficit eos audire verba contractûs, quando norunt vocem contrahentium, Sanchez & 7.*p*.8.*tr*.7.*reſ*.68.

LIV. Etſi dum conſenſus exprimitur Parochus præſent eſſet animo diſtractus, neque aduerteret ad ea quæ facta fuerant, ſi reflectat ſtatim pòſt, dum contrahentes adhuc ſunt præſentes, ſufficiet ad valorem: ſecùs ſi ſolùm reflectat poſt quam diſceſſerunt; quia in priori caſu eſt moralis pręſentia vt teſtari poſſit: non autem in poſteriori; quia non eſt moraliter pręſens qui mente abeſt. Vnde non ſufficit in Parocho intentio virtualis (vt vult Henriquez) quia ex hac nullum poteſt ferri teſtimonium de regeſtâ ad quam nullo modo reflexiſti. Amic.*part*. 10.*tract*. 13.*reſol*. 20.

LV. Parochus non proprietarius, ſed ab Epiſcopo delegatus, & ad nutum amouibilis poteſt concedere licentiam adſiſtendi matrimonio: imò & Vicecuratus plenè delegatus à Parocho proprietario, non ſolùm in abſentiâ, ſed etiam in præſentiâ Parochi proprietarij; quia hoc non eſt ſubdelegare iuriſdictionem; cùm adſiſtentia illa non ſit actus iuriſdictionis. Hurtad. & 2. Quando tamen Parochus præſens concedit alicui licentiam miniſtrandi omnia Sacramenta, non includitur poteſtas adſiſtendi matrimonio: ſecûs ſi in abſentiâ relinquat ſubſtitutum cum tali licentiâ. Sanchez & Perez.*p*.11.*tr*.3.*reſ*.32.

LVI. Etſi Parocho interdictum ſit ab Epiſcopo ne alicui concedat eam licentiam, adhuc validè concedit Sanchez & 4. Idem eſt dum alicui conceditur licentia adſiſtendi modò præmittat denuntiationes, inquirat impedimenta, &c. quamdiu non additur decretum irritans. Sanchez & Coninc. *Ibid*.

LVII. Non prodeſt ea licentia conceſſa donec ſacerdos ſciat ſibi eſſe conceſſam: Nec ſufficit etſi Procuratori vel nuntio miſſo innoruerit eſſe conceſſam. Pontius &

2. Quamuis contrà doceat Sanchez & 2. Neque facilè credendum est contrahentibus talem licentiam esse concessam nisi sint personæ valdè fide dignæ. Sanchez. *Ibidem.*

LVIII. Nomine Ordinarii qui adsistere possit vel licentiam adsistendi concedere , intelligitur à Tridentino I. Archiepiscopus, vel Episcopus non tamen extra propriam diœcesim, nisi dum aliam visitat, (Suarez & 3.) vel quando causa licentiæ ab Episcopo negatæ ad ipsum per appellationem deuoluta est Sanchez & 3. II. Cardinalis respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli. Sanchez & 2. III. Legatus Pontificis in prouinciâ suæ legationis. Coninc & 2.IV.Capitulum Sede vacante. Gutierr.& 2. V,Vicarius generalis Episcopi,vel Capituli. Sanchez & 6. etiamsi sacerdos non sit. Barbos. & 2.Quamuis hoc requirat Nauar. & 8. Non autem Vicarius foraneus alicuius partis diœcesis.Sanchez & Cutierr.VI.Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subiectæ. Sanchez 3.VII.Denique omnes habentes iurisdictionem quasi Episcopalem respectu suorum subditorum. Sanchez & 2. Imò & Abbas commendatarius Abbatiæ habentis iura Episcopalia , vt docet Bossius. Sed videndum an huic non repugnet declaratio Cardinalium. *p.11.tr.3.res.35.*

LIX. Qui habitant in parochiâ vbi Tridentinum est promulgatum , si aliò proficiscantur vbi promulgatum non est , validè ibi contrahunt clandestinè , etsi illo fine eò proficiscerentur. Sanchez & 6. Sed suppositâ declaratione Cardinalium quam adfert Zypæus,& aliâ quadam confirmatâ per breue ab Vrbano VIII. non est recedendum à conttariâ sententiâ. Et saltem ex eo capite matrimonium semper manet dubium , & probabiliter inualidum : atque ita semper patet porta ad resiliendum. Dicastill. Qui tamen in terris infidelium habitant , possunt validè contrahere sine parocho ; cùm is ibi desit. Pontius. Idem est de locis vbi Concilium promulgatum est, sed expulsis Sacerdotibus Catholicis desunt proprij pa-

rochi. Layman & Bauny.*p.6.tr.7.res.29.& 30.& p.11.tr.3. res.34.& tr.8.res.56.*

LX. Etsi Tridentinum aliquo loco sit promulgatum, si tamen Hæretici ibi dominentur, vel saltem mixtim cum Catholicis permittantur viuere, vt Augustæ in Germaniâ, & alibi, censentur valida matrimonia Hæreticorum sine Parocho Catholico contracta, etsi facilè is possit haberi, idque ex tacita dispensatione Pontificis ob incommoda quæ aliàs inde sequerentur. Layman & 2. Sed contrarium resoluit Congregatio Cardinalium quoad Hollandiam nisi quando Parochus haberi non potest, & modò tunc seruetur forma Concilii quantum potest, adhibitis scilicet duobus testibus, Præposit.& 11.*part.11.tr.8. res.56.& tr.6.res.1.*

LXI. Sponsi rus profecti recreationis causâ, non possunt ibi matrimonium contrahere; quia non contraherent coram proprio Parocho, vel de Parochi licentiâ: Barbosa & 2. Quidam tamen putant sufficere quantumuis parui temporis habitationem vt contrahere possint vel coram Parocho illius loci, vel coram Parocho proprii domicilii. Pontius & 4. Sed hoc improbabile iudicant Castropal. & alii communiter. Sufficit tamen si maiore parte anni decernas eo loco commorari. Sanchez & *5.p.3.tr.4.res.231.& p.11.tr.3.res.34.& tr.5.res.10.*

LXII. Matrimonium in parochia sponsæ contractum coram Parocho sponsi, est validum Sanchez & 2. Neque peccat Parochus qui in aliena parochia coniungit suum parochianum. Sanchez & 4. Contrarium tamen est etiam probabile. Pontius & 4. Idemque est si sacerdos alius ex commissione Parochi adsistat extra parochiam committentis. Gutierr.*part.3.tract.4.resol.232.& part.11. tr. 3.res.34.*

LXIII. Suspensio triennalis à iure antiquo statuta in parochum assistentem matrimonio clandestino, sublata est per Tridentinum. Sanchez & Hurtad. *part. 5. tractat. 10.resol.33.*

LXIV. Quando à Parocho petitur licentia vt alius sacerdos assistat etsi ea obtineatur dolo vel fraude, valet licentia quoties dolus versatur circa causam impulsiuam, vt si falsò petatur nomine alicuius Magnatis pro certo sacerdote: secus si versaretur circa substantiam, vt si simularetur peti pro alio quàm verè petatur. Perez & 14. *p.9.tr.8.res.20.*

Denuntiationes.

LXV. Denuntiationes faciendæ sunt in vtriusque parochiâ & in quâ diutius versati sunt, & domicilium habuerunt. Sanchez & *5.p.3.tr.4.res.235.* Sunt autem faciendæ tribus diebus festiuis, non tamen continuis, sed duorum, vel trium dierum interuallo. Omittere autem vnam ex tribus denuntiationibus, non est peccatum mortale. Sanchez & 3. Etsi Pontius & Coninc negent eam esse materiam leuem. Sed Episcopus, eiusque Vicarius, si Episcopus sibi non reseruet, ordinariè dispensare possunt, ex iustâ causâ, Sanchez & 3. Etsi de vicario id neget Henriquez & Pontius. Quando verò contrahentes non sunt ex eâdem diœcesi, si Ordinarius vnius dispenset, possunt etiem omitti in alterius diœcesi. Sanchez & 3. Etsi Pontius contrarium iudicet ex vi Concilii: donec alia fiat eius declaratio à Sacrâ Congregatione. *Ibid.res.*236. 237. 238. *&* 239. Quando autem expedit matrimonium statim contrahi, nec adest qui in denuntiationibus dispenset, poterit sine his contrahi; quia leges Ecclesiasticæ non obligant cum tanto rigore. Sanchez & *6.p.9.tr.8.res.19.*

LXVI. Quando matrimonium contractum est sine denuntiationibus, non peccant mortaliter consummando antè quàm eæ præmittantur, quando certi sunt non subesse impedimentum. Sotus & 4. Licèt affirmet illud Sanchez. Non tenetur tamen eo casu coniux alteri reddere debitum *ibidem.*

LXVII. Neminem ex vi denuniationum teneri dete-

gere impedimentum occultum quod ipse solus nouit, nec potest probare: imò etiamsi detegat, ex eius solius testimonio non possit matrimonium ab Ordinario interdici, docet Pontius. Sed alii communiter contrarium docent. Sanchez & 19. Item ob dictum vnius testis sine aliis adminiculis denuntiantis impedimentum non posse Episcopum inhibere matrimonium, docet Pontius. *part. 3. tract. 4. resol. 221.*

LXVIII. Parochus excommunicatus non toleratus licet benedicens sponsos videatur peccare, quia exercet actum iurisdictionis: quia tamen res est parui momenti. non excedit culpam venialem. Sanchez & Villalob, *Ibid. ref. 233.*

Impedim. Cognationis & Affinitatis.

LXIX. Cognatio legalis probabiliter non dirimit matrimonium nisi quæ orta est ex adoptione perfectâ, siue arrogatione qua adoptatus transit in potestatem adoptantis. Sanchez & 10. Etsi contrarium sit probabile. Pontius & 6. Est etiam probabile non dirimere vltra secundum gradum lineæ rectę, sicut cognatio spiritalis. Lessius Neque parit impedimentum inter plures filios adoptiuos eiusdem adoptantis. Sanchez & 3. Licet hoc affirmet Ledesm. & 3. Imò nec esse inter filium adoptiuum & filiam illegitimam adoptantis, docet Rebell. & Nauarr. *p. 4. tr. 4. ref. 120. & 121. & p. 9. tr. 6. ref. 54.*

LXX. In primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ v.g. inter patrem & filiam, vel matrem & filium, est inualidum iure naturæ, vt docent omnes ferè Theologi: & frustra aliquid in contrarium inuenire connatur Caram. In extremâ tamen necessitate generis humani, vt si soli superessent Pater & filia licere inter eos matrimonium: docet Sanchez & *5. p. 8. tr. 1. ref. 71.*

LXXI. Non est iuris naturę impedimentum affinitatis etiam lineæ rectæ, vt inter priuignum & nouercam, vel

vitricum & priuignam, vel socerum & nurum, vel generum & socrum. Sanchez & 33. Neque vltra primum gradum consanguinitatis lineæ rectæ, v.g. inter auum & neptem: vel auiam & nepotem. Sanchez & 2. Neque in primo gradu lineæ transuersæ, vt inter fratrem & sororem. D. Thom. & 7. Multo minùs in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ. Quare occurrente necessitate posset Pontifex in his dispensare. *Ibid. res. 67. 69. 68. & 70. & p. 4. tr. 4. res. 93. & p. 7. tr. 12. res. 36.*

LXXII. Quantumcumque aliquis claustra pudoris frangat nisi commixtio seminum sequatur, ita vt etiam femina seminarit, non contrahitur affinitas, nec censetur consummatum matrimonium. Hurtad. & 9. Sed contrarium est probabilius: sufficere scilicet seminationem solius viri. Pontius & 3. Sicut & probabile est per copulam fornicariam non contrahi affinitatem iure naturali: quare si Christianus habuit copulam cum infideli, poterit deinde sibi matrimonio iungere illius sororem. Sanchez & *3. p. 3. tr. 4. res. 262. & tr. 5. res. 19. & in Addit. 3. p. res. 21. & p. 11. tr. 5. resol. 26.*

LXXIII. Si quis emittat semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis postmodùm casu illabatur in vas naturale, nulla resultat affinitas. Sicut nec si semen ope dæmonis deferatur in vterum femineum. Pontius. *part. 3. tract. 5. res. 19.*

Impedim. Honestatis & Criminis.

LXXIV. Ex matrimonio rato, & non consummato non oritur impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis Sanchez & 10. *p. 6. tr. 8. res. 25.* Ex sponsalibus autem mutuo consensu dissolutis, nullum oritur impedimentum publicæ honestatis. Pontius & 3. *part. 3. tractat. 4. resol. 222.*

LXXV. Impedimentum publicæ honestatis non oritur ex sponsalibus inualidis, etiam ex defectu consensus, vel

vel alio impedimento occulto. Coninc & 5. Etsi hoc affirmet Sanchez & 2. Ex sponsalibus verò conditionatis nullum oritur impedimentum donec impleta sit conditio. Ex matrimonio tamen conditionatè coram Parocho & testibus contracto, statim oritur: quia hoc habet vim sponsalium. Oparou. Quod si sponsalia mutuo consensu dissoluantur, cessat impedimentum honestatis. Castropal. & 9. Etsi hoc neget Sanchez & 7. *p.9. tr.6. res.52. & par.11. tract.5. res.12.*

LXXVI. Ex matrimonio inualido oritur impedimentum publicæ honestatis, nisi sit inualidum ex defectu consensus, Sanchez & 5. Nec contrarium probabile est ob declarationem Pij V. quidquid huic respondere conetur Texeda. Ex matrimonio tamen clandestino illud oriri negat Sanchez & Præposit. Affirmat Pontius & 3. eò quòd hoc non sit inualidum ex defectu consensus: quod solum excipitur. *p.9. tr.6. res.50. & 53.*

LXXVII. Adulterium cum promissione fictâ contrahendi post obitum viri, non est impedimentum; sed debet promissio seriò & ex animo fieri, esseque mutua & pura, aut saltem ante mortem purificata. Layman & 3. Quamuis fictam promessionem ad hoc sufficere; eò quòd æquè ex illâ oriatur occasio captandæ mortis coniugis, doceat Sanchez & 4. Acceptatur autem sufficienter ea promissio per taciturnitatem, Pontius & 4. Etsi etiam probabiliter hoc neget Sanchez. *part.3. tractat.4. resol.198. & part.9. tractat.7. resol.26.*

LXXVIII. Homicidium ab adultero vel adulterâ perpetratum ex intentione contrahendi inter se matrimonii, si illa intentio exteriùs non ostendatur, non inducit impedimentum, quia interna non subsunt Ecclesiæ. Pontius & 2. Etsi affirmet Castropal. Quod si quis occideret vxorem animo ineundi matrimonium cum vnâ ex filiabus Titii contrahet impedimentum cum qualibet illarum; quia omnes intenduntur licèt indeterminatè. Sanchez & 2. Quod tamen non caret difficultate. Castropal.

part.9.tractat.7.resolution.25.

LXXXIX. Adulterium cum promissione matrimonii, vel machinatio mortis si fiant ab ignorantibus inde oriri impedimentum dirimens non irritare matrimonium; eò quòd pœnæ non incurrantur ab inuincibiliter eas ignorantibus, docet Baucius ex Paludano. Sed contrarium est tenendum; quia impedimenta non tam sunt pœnæ quam inhabilitates, & conditiones anullantes actum contra factum. Lessius & *2.p.10.tr.13.res.51.*

Impedim. Disparis cultus & Raptus.

LXXX. Matrimonium fidelis cum infideli solo iure Ecclesiastico irritum est ideoque potest Pontifex dispensare, Hurtad. & 3. Cum Hæretico autem non est irritum; sed tantùm illicitum. Quamuis autem quibusdam locis ex legitimâ consuetudine hæc matrimonia, sine dispensatione, sint licita; hoc tamen numquam obtinet quoad personas Regum; nam horum matrimonia maioris sunt momenti. Hurtad. Quamuis hoc etiam affirmet. Lugo *part.8. tract.1.res.74.*

LXXXI. Quando quis rapuit virginem libidinis causâ, absque intentione contrahendi matrimonium, potest cum eâ validè contrahere; quia decretum Concilij Tridentini tantùm comprehendit raptum qui fit matrimonii causâ. Imò loquitur de eo raptu per quem vis infertur puellæ, non autem solis parentibus. Sanchez & 6: Item non comprehendit raptum quo femina rapuit virum. Sanchez & 6. Etsi contrarium probabiliter doceat Auersa & 2. Idem quoad raptum dicendum est de sponsalibus quod de matrimonio. *p.3.tr.4.res.261.& p.10.tr.16.res.83.*

Impedim. Impotentiæ.

LXXXII. Quando est improportio inter virum, & vxorem, quia vxor est nimis arcta, si ille defectus est na-

turalis ob extraordinariam arctitudinem, tenetur illa pati incisionem, modò non sit periculum ne inde sequatur mors vel infirmitas grauis; quia defectus ab ipsâ prouenit Perez & 5. Contrarium tamen est probabilius. Pontius & 9. nisi femina conscia peculiaris suæ arctitudinis contraxerit cum viro illam ignorante Castropal. Quæ tamen obligatio in praxi vix potest habere locum: quomodo enim femina scire potest se præ ceteris arctam esse, & arctitudinem illam à viro superari non posse? ideoque numquam in iure talis reseratio artificiosa claustri virginalis assignata est, sed sola triennalis cohabitatio. Castropal. Si verò defectus prouenit ex viro, quia membrum habet nimis improportionatum, vel minus rigidum, vxor non tenetur pati incisionem, etiamsi absque periculo fieri possit: quia cùm defectus sit viri ad ipsum pertinet vti remedio. Vnde si vir post trium annorum conatum non potuit claustra perrumpere, probabile est matrimonium esse dissoluendum. Si qui autem Canones videntur huic sententiæ aduersari, intelligendi sunt de defectu qui prouenit ex muliere, non autem ex viro. Pontius, Ledesm. Hurtad. *p.3.tr.4.ref.201.& in Addit.3.p.ref.3.& p.11.tr. 5.ref.11.*

LXXXIII. Vir conscius suæ impotentiæ temporalis si cum eam ignorante contrahat, peccare mortaliter, docet Texeda. Quod tamen negat Sanchez. Quando autem vir matrimonium cum impotentiâ absolutâ sciens contrahit; non tenetur illam habere vt sororem & alere; cùm matrimonium sit irritum. Sanchez & Leand. Etsi contrarium doceat Syluest. & 14.*p.11.tr.5.ref.11.*

LXXXIV. Triennium à iure præscriptum ad explorandam veritatem impotentiæ computandum est à die decreti Iudicis iuxta stylum Curiæ Romanæ. Castropal. & 4. Etsi multi velint computari à die intentatæ copulę. Coninc & 8. Quod si tamen ante decretum Iudicis triennalis cohabitatio præcessisset, relinquitur arbitrio Iudicis triennii tempus abbreuiare. Pontius & 2. In illis verò qui ante plenam pubertatem contraxerunt, computari debet

à tempore copulæ tentatæ post plenam pubertatem, hoc est post annum 18. viri; quia antè præsumi potest impotentia ex debilitate naturæ ob minorem ætatem posteà cessatura. Item debet triennium esse moraliter continuum, aut saltem tempus intermissum suppleri, nisi pauci solùm dies, iique interpolati deessent: imò etsi deessent tot dies qui simul efficerent sex menses, modò non sint continui. Sanchez. p. 11. tr. 5. ref. 8.

LXXXV. Quando matrimonium propter impotentiam solutum est in facie Ecclesiæ per errorem, & femina alteri nupsit, detecto posteà errore, & restaurato priori matrimonio, non potest femina à viro repelli quoad habitationem aut thorum propter copulam cum secundo marito; quia non peccauit per illam copullam, cum vtrique iudicio Ecclesiæ data fuerit facultas ad alias nuptias transeundi. Texeda. p. 11. tr. 5. ref. 11.

LXXXVI. Si vir post sententiam de impotentiâ sacros Ordines susceperit, & posteà deprehendatur illam non esse perpetuam, non poterit tamen ad vxorem redire propter votum castitatis in susceptione Ordinis emissum: si tamen illa virum repetat, restiuendus est: non poterit tamen debitum petere. Sanchez & 7. Sed si vxor pendente lite de impotentiâ fuisset adulterata, non tenetur ad illam redire: secus si post sententiam de impotentiâ fuisset fornicata: quia sic non deliquisset contra matrimonium. Dicastill. Quod si vxor nolit virum repetere, non tenetur ipsa votum castitatis emittere: quia hoc solùm requiritur quando vir ex consensu vxoris sacros Ordinis suscipit: in hoc autem casu suscepti sunt sine eius consensu. Sanchez. Sin autem eo casu vir fuisset Religionem professus, & mulier post professionem aliud matrimonium contraxisset, deberet in hoc secundo manere; priore matrimonio per professionem dissoluto, vt pote non consummato: secus si ante professionem matrimonium contraxisset; quia tunc hoc posterius esset inualidum. Dicastill. & 4. p. 11. tr. 5. ref. 9.

LXXXVII. Probabile eſt, impotentes poſſe cum impotentiâ parpetuâ validè inter ſe contrahere matrimonium in ordine ad caſtè viuendum. Pontius. Sed contraria ſententia communis eſt, & probabilior. *part. 4. tractat. 4. reſol. 75.*

Diſpenſatio impedim. matrim.

LXXXVIII. Poteſt Pontifex diſpenſare in ipsâ radice matrimonii etiam quoad ſæcularia & temporalia, ita ſcilicet diſpenſando in impedimento ac ſi hoc numquam fuiſſet, atque ita vt proles ex illo inualido matrimonio antè ſuſcepta ſuccedat etiam in præiudicium alterius prolis, eodem modo ac ſi eſſet nata ex matrimonio ab initio legitimè contracto. Sanchez & 2. cum Rotâ. Quomodo nulli Principes ſæculares poſſunt legitimare. Sed non poteſt hoc Pontifex ſine graui causâ cum ſit in præiudicium tertii. *p. 8. tr. 1. reſ. 75.*

LXXXIX. Poteſt Epiſcopus, inconſulto Summo Pontifice, diſpenſare cum pauperibus, qui non poſſunt ſuis ſumptibus Pontificem adire: quia non tenetur Epiſcopus in impetrandis eiuſmodi diſpenſationibus redditus ſuos conſumere. Sanchez & Salas. Etſi Vaſquez doceat teneri Epiſcopum rem ad Pontificem remittere ſupplendo ſumptus neceſſarios in ſubſidium pauperum. *p. 1. tr. 10. reſ. 37. & p. 8. tr. 3. reſ. 71.*

XC. Poteſt Epiſcopus diſpenſare pro foro conſcientiæ (quod ad forum etiam externum extendit Leand.) in impedimento dirimenti I. ſi impedimentum eſt occultum, nec poteſt ſine grauiori malo, vel infamiâ propalari. II. ſi matrimonium ab Eccleſiâ præſumitur validum quia in facie Eccleſiæ contractum eſt. III. ſi ſeparatio eſſet difficilis, vel quia probari non poteſt impedimentum, vel quia pars non tenetur illud propalare metu grauioris mali. IV. ſi difficilis eſt recurſus ad Pontificem propter paupertatem vel diſtantiam, vel alia legitima impedi-

menta:vel quia quamuis possit adiri Pontifex interim tamen cùm separari non possint sine graui scandalo, sunt in magno periculo incontinentiæ simul cohabitantes. Sanchez & 14. Idque siue vnum siue plura sint impedimenta. Sanchez & Pontius. *p.8.tr.3.res.78.&p.11 tr. 8.res.3.*

XCI. Eadem omnia vera esse quamuis matrimonium malâ fide contractum esset, docet Dicastill. & 5. Sed hoc non placet ; communiùs enim ad hoc requirunt bonam fidem saltem alterutrius. Vasquez & 11. Sed non est censenda mala fides etsi procedat ex latâ culpâ, & ignorantiâ crassâ, quia Tridentinum requirit vt scienter præsumatur : debentque scire dum contrahunt non tantùm impedimentum, sed etiam illud esse impedimentum dirimens matrimonium. Imò quando nulla alia media sufficerent ad magnam necessitatem euadendam, posset Episcopus etiam ante matrimonium contractum dispensare in impedimento dirimenti. Sanchez & 7. Et probabile est Episcopum in dictis casibus necessitatis posse dispensare, etiamsi adsit Legatus, aut Nuntius qui possint dispensare. Contrarium tamen est probabilius. Dicastill. *part.8. tract. 3.resol.79.&80.&part.2.tractat.16.res.37.&p.5.tr.14.res.18. & p.11.tr.8.res.3.*

XCII. Postquam matrimonium contractum est ex dispensatione subreptitiâ : non potest Episcopus suâ dispensatione priorem illam confirmare. Perez & Præposit. nec contrarium sustineri potest ab praxim & consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ : quamuis id affirmet Henriquez & 5. Quod tamen verum est quando subreptionis vitium est occultum, nec facilè potest adiri Pontifex, vel temetur scandalum,aut periculum peccati dum ad Pontificem recurreretur. Dicastill. Omnem autem quam circa hęc habet potestatem Episcopus, potest committere Vicario suo non solùm pro aliquo casu particulari,sed & pro omnibus futuris.Sanchez & 3.*p.9,tr.7.res.40.& 39. & p.8. tr.3.res.80.&p.11.tr.8.res.3.*

XCIII. Impedimentum occultum hîc dicitur quod

etsi quibusdam notum si ita vt probari possit, non tamen est publicum, vt est cum notum est non solùm in ciuitate, sed etiam in maiori parte viciniæ, Collegi, Monasterii &c. modò saltem decem personæ sint in quauis dictatum communitatum in quibus id publicum est. Sanchez & 5. Desinit autem esse occultum cum deductum est ad forum contentiosum, nisi in hoc reus sit absolutus. Sanchez & 2. Etsi falsis testibus se defendisset. Sanchez & 2. Quod sit tantùm fuisset semiplenè probatum, non esse occultum etiamsi tunc fuisset absolutus; quia adhuc remanet infamia. Suarez & 2. contra Sanchez. *p.8.tr.3.ref.*110

XCIV. Posse Regulares dispensare cum iis qui in primo etiam gradu consanguinitatis contraxerunt scienter vel ignoranter: idque ex priuilegio quod Martyr Episcopus Roffensis tradit à Leone X, concessum Augustinianis, docet Bruno. Sed tale priuilegium esse, aut vmquam fuisse, non est admittendum. *p.11.tr.2. ref.*27.

XCV. Causæ dispensandi hîc sunt extinctio litis: euitatio scandali, vel infamiæ: defectus dotis: defectus æqualis partis in eo loco: merita personæ: conseruatio illustris familiæ in eodem sanguine &c. Villalob. & 6. Quod si quæ repudiaret hereditatem vel legatum vt titulo paupertatis, & defectûs dotis obtineat dispensationem cum consanguineo, adhuc valebit dispensatio. Sanchez & Auersa Quod tamen negat Ochagau. Dicitur autem filia pauper & carere dote quando non habet ius iustitiæ ad aliqua bona quæ efficiant dotem competentem, etiamsi parentes habeat diuites. Sicut in regnis Nauarræ & Aragoniæ possunt parentes omnia sua bona relinquere quibusuis, relinquendo solùm filiis quinque florenos vel alias res parui momenti. Item pauper est cuius legitima non est sufficiens ad dotem competentem nisi à Patre ex bonis liberis augeatur, etsi spem moraliter certam habeat hæc à Patre obtinendi, quamdiu ad hoc non habet ius iustitiæ. Nauar. & Ochagau. *p.8.tr.3.ref.*93.&94.

XCVI. Etsi Tridentinum velit in secundo gradu non

dispensari nisi inter magnos Principes (hoc est titulares, Sanchez & ob publicam causam : solet tamen Pontifex pro benignitate suâ etiam cum inferioribus , & ex priuatâ causâ dispensare. Sanchez & 4. *Ibidem resol.* 92. *& tract.* 7. *resol.* 8.

XCVII. Si quis ante notitiam dispensationis concessæ matrimonium contraheret , etsi illa verè concessa esset, contraheret inualidè ; quia non est intentio dispensandi nisi eo modo quo licitè quis potest vti dispensatione. Amic *p.* 8. *tr.* 3. *res.* 88.

XCVIII. Quando dispensatur in aliquo impedimento matrimonii à Datariâ impositâ certâ pœnitentiâ , posse Episcopum ex iustâ causâ illam commutare , docet Homobon. & 2. Saltem si causa vrget, nec facilis est recursus ad Papam. Venerus. Ego tamen nihil affirmo *p.* 7. *tract.* 10. *res.* 9. *& p.* 9. *tr.* 9. *res.* 11.

Dispensatio subreptitia

XCIX. Quando contrahentes sunt in eodem gradu duplicato v.g. in tertio tam ex parte patris quam matris, satis esse exprimere vnicum ex quo nascitur consanguinitas vel affinitas , tacendo eius multiplicitatem docet Texeda. Sed contrarium tenet Molin. *part.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 60.

C. Posse peti dispensationem super vno impedimento matrimonii , tacito altero posteà dispensando , probabile est: nec iustè damnari posset qui id faceret. Henriquez & 11. Est tamen illa opinio contra praxim Romanæ Curiæ, ex quo infringitur eius probabilitas. *Ibid. res.* 25. *& p.* 1. *tr.* 10. *res.* 39. *& p.* 10. *tr.* 11. *res.* 44.

CI. Dispensatio super impedimento cognationis vel affinitatis , vel publicæ honestatis non est subreptitia, etiamsi non fiat mentio de copulâ habitâ inter eos ; quia si copula illa fuisset expressa, faciliorem reddidisset dispensationem. Quod verum est , etiamsi in rescripto dicatur , (*si*

copula non fuerit) dummodò ea copula non probetur in foro externo. Pontius & 19. *p.1.tr.10.ref.44.&p.5.tr.14.ref. 28.&p.8.tr.3.ref.81.&83.&p.9.tr.7. ref.* 37. Verùm quoad vtrumque forum non videtur recedendum à sententia affirmante copulam inter eiusmodi consanguineos vel affines habitam esse necessariò exprimendam, ne dispensatio sit subreptitia, propter stylum Curiæ Romanæ qui in hoc facit ius. Sanchez & 9.*p.4.tr.4.ref.*135.

CII. Clausulæ *dummodo copula non interueneri*, & *dummodo habita non sit spe facilioris dispensationis impetrandæ*, quãdo commissio est *pro foro* conscientiæ per litteras *Discreto viro &c.* irritam faciunt dispensationem si verè à parte rei copula fuit quantumuis occultè, vel si eâ spe habita est: si verò commissio est pro foro externo, etsi falsò negetur, & sit de ea suspicio, & infamia aliqua, quandiu tamen non plenè de ea constat Ordinario, valida erit dispensatio. Pontius & 5. Idem est in altero casu si non plenè constet eâ spe habitam esse. Imò docet Henriquez & 2. clausulam *dum copula non intercesserit* non apponi vt conditionem, sed vt modum, & onus in examine ab Ordinariis seruandum; cùm videatur nimis rigidum ob fornicationem occultam irritare dispensationem. Sed hoc alij communiter non probant. *p.8.tr.3.ref.*81.& *p.10.tr.11. ref.*44.& *p.11.tr.5.ref.*36.

CIII. Quando copula habita fuit vt faciliùs obtineretur dispensatio, probabile est hoc non esse necessariò explicandum, nisi illa spes fuerit exteriùs manifestata. Hurtad. & 4. Et hoc modo intelligenda est clausula: *dummodo copula habita non fuerit spe facilioris dispensationis.* Idemque est de matrimonio cum scientiâ impedimenti dirimentis contracto ex simili spe. Hurtad. & Perez. Sed vt vt hoc sit, non est saltem necessariò facienda mentio copulæ cum simili spe habitæ quando ea spes fuit vnius tantùm, Sanchez & 2. Aliud tamen est quando copula allegatur pro causâ petendæ dispensationis, & quòd inde timentur scandala &c. tunc enim exprimenda est illa intentio, fal-

tem si fuerit ex parte vtriusque. Pontius. *part.9.tract.7.res. 36.& p.8.tract.3.resol.82.& part.10.tractat.11.resol.44.& p.11. tract.5.resol.36.*

CIV. Cum additur clausula *dummodo copula non fuerit* : si copula habeatur post concessionem dispensationis per Pontificem, antè tamen quàm Ordinarius eam exequatur, erit valida dispensatio, nam illa verba in commissione: *si ita inueneris &c.* tantùm significant, si inueneris mihi verè fuisse narratum. ita Texada & 3 Sed tu cogita an probabiliter. *p.9.tr.7.res.36.*

CV. Si dispensatum est cum feminâ eò quòd aliàs ob defectum dotis maneret innupta, etsi non careat dote, si tamen aliàs maneret inupta vel quia deformis, vel quia grandæua, vel infamis de aliquo crimine &c. valebit dispensatio; quia ratio motiua Pontificis videtur esse ne cogatur manere innupta. Sanchez & 2. *part.* 10. *tractat.* 11. *resol.*42.

CVI. Si dispensetur cum consanguineâ ex causâ copulæ habitæ ex qua infamia secuta sit, vel scandala timeantur, valet dispensatio etsi copula habita non sit, modò reliqua sint vera, putà propter suspicionem copulæ ex nimiâ familiaritate. Sanchez & 8. Quod si eo casu copula habita sit, non impediet valorem dispensationis, etiamsi priùs quàm Ordinarius dispenset noua copula habeatur. Bonacin. & Portel *part.8.tractat.3.resol.65.& part.* 10.*tractat.*11.*resol.*43.

CVII. Si quis obtinuit dispensationem ad contrahendum cum consanguineâ, sed eâ minimè est vsus; posteà petens aliam dispensationem cum aliâ consanguinea, non tenetur in secunda dispensatione mentionem facere prioris. Neque inde sequitur duas illas dispensationes esse simul validas; nam per impetrationem posterioris impetrans renunciat priori. Sanchez & 2.*p.*1.*tr.* 10. *ref.* 40. Sed contrarium etiam probabiliter docet Suarez & 2. *p.*8.*tr.*3. *res.*55. Quod si post impetratam eiusmodi dispensationem, deinde contraheret matrimonium cum aliâ, non reuoca-

tur per hoc, aut reiicitur dispensatio : sed mortuâ eâ vxore poterit adhuc consanguineam illam ducere. Gordon. & 2. Quod verum est etsi Ordinarius vel Confessarius litteras dispensationis nondum essent executi. Perez. *Ibidem resol.74.&85.*

CVIII. Si sæpius petatur ab eodem dispensatio in impedimento crimins , in secunda petitione facienda est mentio prioris quando petitur pro eodem crimine v. g. in vxoricidio cum adulterio : non autem si petatur pro diuerso , vt si secundum sit ex adultero & fide data. Couarr, & 2.*Ibid.resol.*75.

Medicus.

I. MEdicus si medicamentum habet certum , tenetur ex caritate , & iustitia illud applicare : sin minùs potest sequi opinionem probabilem. Salas & 4. Quando autem æger est desperatus , potest adhibere etiam illud quod est probabiliùs nociturum , modò aliud non suppetat, & verè probabile sit profuturum. Sanchez & *6.part. 2.tract.13.resol.7.& part.5.tractat.3.resol.132. & part.7.tractat.5.resol.36.*

II. Medicamentum sympathicum quo vulnus læsi curetur, etiam in quauis distantia, per applicationem eius ad ensem , vel panum infectum sanguine vulneris , superstitiosum est, & effectus à Dæmone. Bonacin.& 2.etsi aliqui illud probent. *p.11.tr.4.ref.42.*

III. Si æger versetur in probabili mortis periculo , & monitus nolit confiteri , non est propterea post tertium diem à Medico deserendus. Imò quando creditur certò monitionem nihil profuturam ob ægri obstinationem , nec Medicus tenetur eum admonere , nec deserere : nam in hoc casu non obligat Constitutio Pij V. Sànchez & 6. *p.3.tr.4.ref.93. & p. 11.tr.1.ref.22.*

IV. Medicus stipendio siue publico , siue priuato conductus, fit irregularis si eius negligentia , vel ignorantia

infirmus moriatur; quia ratione stipendij tenetur ex iustitia. Quod verum est etsi mors sequatur ex eo quod ægrum deserat ideò quòd stipendium non soluatur; quia posset eum posteà cogere ad soluendum. Est tamen irregularitas illa dispensabilis per Episcopum. Castropal.& 2. *p.*10.*tr.*11*res.*20.

V. Non videtur superstitiosum quod in Belgio omnes nati in die Parasceues putantur suo contactu sanare à febribus: aut qui septimus masculus ex legitimo matrimonio natus est nulla femina prole intermedia, sanare strumosos. Del Rio & 2.*p.*1 1.*tr.*4.*res.*42.

Metus.

I. AN contractus ex metu leui factus valeat in conscientia, necne, in vtramque patrem probabiliter, hinc negat Sanchez & 2. inde affirmat Pontius & Medin. *p.*3.*tr.*5.*res.*117.

II. Solus metus reuerentialis, etiam sine minis,& verberibus, cadit in constantem virum, quod valet ad rescindendos contractus, qui vt plurimùm fiunt ab vxoribus, & filiis familias ex metu reuerentiali. Idem est de precibus importunis seorsim consideratis, & sine metu reuerentiali. Pontius. *Ibid. res.* 20.

III. Contractus liberalis donationis, aut promissionis ex metu graui celebratus iure naturali; & positiuo est inualidus. Idem dicendum de promissione latroni facta propter metum iniustum; de renuntiatione beneficii, vel absolutione ab excommunicatione &c. Contractus autem onerosi ex metu graui celebrati, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validi sunt iure naturæ. Probabile est etiam valere iure positiuo: datur tamen actio metûs causâ. Excipe contractum ludi, & alienationis rerum Ecclesiasticarum, qui metu facti non valent. Pontius. *Ibid. res.*118.&119.

IV. Qui malum aliquod minatur quod iustè potest

inferre, etsi animum non habeat inferendi, licitè retinet, quę tali metu extorquet; quia saltem habet ius inferendi, quod ius est pretio æstimabile, siue eo vti velit, siue non. Sanchez & 2.*p.4.tr.4.ref.*34.

Metus mortis.

I. IN obsidione ciuitatis, quando alius cibus non suppetit, metu mortis licet carnibus humanis vesci: quia quod non est intrinsecè malum, fit licitum ob vitæ conseruationem. Sanchez & 7. Sic liceret bibere sanguinem humanum ex venâ adolescentis extractum, ad fouendum vigorem corporis senilis, & senectutem prorogandam. *p.3.tr.6.ref.*48.

II. Metu mortis licet celebrare Missam sine altari, calice consecrato, aut vestibus sacris, vel etiam sumpto cibo: modò id non fiat in contemptum Religionis. Vasquez & 4. Item licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; sine intentione tamen consummandi. Suarez & 4. Item licet Sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto, Bonacin. & Nungn. Item conficere Sacramenta in materiâ dubia. Henriquez & 2. cùm enim hæc non sint intrinsecè mala, ob grauem metum à peccato excusantur. *Ibid. & ref.*83. *& p.5.tr.3.ref.*39.

Missæ auditio.

I. SVrdus & mutus tenetur Missam audire. Fagund. & 6.*p.5.tr.6.ref.* 8. Pueri verò tunc tenentur, quando habent vsum rationis sufficientem ad peccatum mortale. Sualez & 5. Etsi perfectiorem vsum requirat Marchant: qualis scilicet debet esse ad Sacramentum Eucharistiæ. *p.5.tr.*13.*ref.*77.

II. Qui habet priuilegium, in Oratorio domûs suæ Missam audiendi non tenetur ibi audire, quando est infirmus, vel alia de causâ non potest exire. Suarez & 7.

part.4.tract.4.resol.80.& part.9.tract.1.res.19.

III. Si quis die Dominico, in quem festum alicuius Sancti incidit, Missam non audiat; non est illa circumstantia necessariò aperienda, quia vnam tantùm habet malitiam. Idem dic de ieiunio, quod coincidit cum vigiliâ: & re sacra è loco sacro ablata. Vasquez & 8.*part.1.tractat.7.resol.22.*

IV. Qui audiunt Missam quæ nocte Natiuitatis DOMINI in Capellâ Pontificiâ dicitur ante mediam noctem satisfaciunt præcepto pro die Natiuitatis; quia Pontifex tunc pro illo loco diem sequentem anticipiat. Lugo. Vel permittit vt citiùs dici possit, sicut permittit recitationem matutini pridie; nam festum incipit â primis vesperis. Dicastill. Idem est quoad Senatum Venetum, & alios quî audiunt Missam quæ tunc in templo D. Marci ante mediam noctem dici solet à Primicerio, sed ieiuno.*p.7.tr.12.res.12.& p.10.tr.14.res.35.*

V. Qui sacrum illud sic anticipatum audiunt non satisfaciunt præcepto pro die Dominicâ quando festum Natiuitatis incidit in feriam secundam; quia illud sacrum tunc spectat ad diem Natiuitatis, & non ad Dominicam. Dicastill. Qui tamen audiret Missam quam sacerdos licitè, vel illicitè diceret tres vel quatuor horas post meridiem satisfaceret præcepto. Leand. *part.* 10. *tractat.* 12. *resol.22.*

VI. Qui mane audiuit sacrum ex deuotione etsi posteà eodem die promulgetur præceptum de eo audiendo, non tenetur aliud audire; quia præceptum solùm intendit ne sacrum eo die omittatur. Pallauic. Idem est de recitante horas mane antequàm ordinatus sit Subdiaconus vel emisserit professionem.*p.10.tract.15.res.4.& p.4.tr.4.res.218.& p.6.tr.7.res.38.*

VII. Qui audit sacrum animo non satisfaciendi præcepto, nihilominus satisfacit. Vasquez & 5. Idemque est de audiente sacrum ex voto. Sanchez & 3.*p.3.tr.6.res* 68.& 77.*& p.10.tr.15.res.4.*

VIII. Qui sacramentaliter confitetur tempore sacri die festo, satisfacere præcepto, docet Lessius & 2. Ego tamen hoc solùm admitto, quando sic confiteretur ab initio vsque ad Euangelium inclusiuè. Item satisfacit qui tunc audit confessiones quando hæ sunt de solis venialibus; quia in his non est opus tanta attentione quæ impediat attentionem ad Missam. *p.10.tr.14.ref.45.*

IX. Qui tempore præfactionis venit ad templum, nec potest aliud sacrum audire, non teneri illam partem audire, docet Sancius; quòd per illam non possit implere præceptum sed contrarium tenendum est cum Suarez & Sanchez; eò quòd illa præcipua sit sacri pars. *part. 3. tract. 6. resol. 69.*

X. Quando festum Annuntiationis incidit in feriam 6. Parasceues, non est obligatio audiendi Missam illius diei. Quia non est propriè sacrificium, cùm non fiat nouæ hostiæ consecratio. Suarez. & 8. *p.2.tr.14.ref.62.*

XI. Qui audit Missam sacerdotis excommunicati, vel suspensi &c. vitandi, non satisfacit præcepto. Trullench. Etsi hoc asserat Dicastill. Quando autem non sunt vitandi, etsi sint concubinarii, non est illicitum eorum Missam audire. Valent. & Sotus. *p.10.tr.11.ref.7.*

XII. Qui audit Missam die festo in oratorio priuato alicuius Magnatis, & non est de familiâ, non satisfacit præcepto: quia sic expresse sonant verba eiusmodi indultorum. Bonacin. & 5. Etsi contrarium probabile doceat Azor. & 3. Quod saltem verum est quoad oratoria Cardinalium; vel Episcoporum, vel Regularium, vel ex priuilegio Bullę Cruciatę, quia hoc non solet ita limitari. Qui tamen habent Bullam Cruciatæ; satisfaciunt in quouis oratorio Missam audiendo Bardi. & 2. *p.9.tr.1.ref.3. & 4. & p.6.tr.8.ref.40.*

XIII. Non possunt Episcopi pręcipere vt fideles diebus Dominicis, vel saltem aliquibus festis teneantur sacrum, aut concionem audire in parochiâ. Præposit. & 3. quia nihil possunt contra priuilegia Pontificum, & ex-

pressam declarationem Clementis VIII. Anno 1592. die 2. Decembris. *p.*10.*tr.*13.*ref.*25.

XIV. Qui domi v.g. è regione fenestræ, vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non est moraliter præsens, vt satisfaciat præcepto. Filliuc. & 2. Nisi fortè fenestra illa non multùm distaret ab Ecclesiâ, ita vt non impediret moralem præsentiam, vt si via publica intermedia non sit plusquam 30. passuum. Lugo & 3. Imò sufficere si quis ita corpore sit præsens vt quomodocumque cognoscere possit quid agatur, docet Dicastill. & 2. Sic etiam existentes post parietem Ecclesiæ posse Missam audire: aut si hæc dicatur in altâ turri, & aliqui foris stens, dummodo aliquo signo, aut alio quouis modo cognoscant quid sacerdos in Missâ agat; censeri sufficienter præsentes, docet Leand. *part.*4.*tract.*4.*resol.*154. *&* *part.*10.*tr.*14.*ref.*47.

XV. Qui audit Missam ab Euangelio exclusiuè, satisfacit præcepto. Lugo & 7. Nec necesse est Euangelium per te priuatim legas. Imò qui ab offertorio audiunt, durum censet Layman damnare peccati mortalis. de quo tu cogita *p.*4.*tr.*4.*resol.*196. *&* *part.*5.*tract.*5.*resol.*44. *&* *tractat.*14.*resol.*70.

XVI. Qui solo tempore consecrationis, vel sumptionis à Missa abesset, satisfacere potest præcepto, si reliqua audiat: quia non est certum in illa, an hac consistat essentia sacrificii. Sed non potest satisfacere, qui abesset tempore consecrationis simul & sumptionis. Lugo. *p.*5.*tr.*13.*ref.*61. Non censetur tamen abesse qui aliò vadit vt adferat aliquid necessarium ad Missam, modò non egrediatur extra Ecclesiam, Castropal. & 3. Imò probabiliter etsi extra Ecclesiam. Dicastill. & Leand. *part.*10. *tractat.*14. *resol.*46. *&* *tract.*11. *resol.*7.

XVII. Non satisfacere præcepto qui duas partes Missæ successiuè audit, ita vt diuidantur partes substantiales v.g. vt in vnâ parte sit consecratio, & in alterâ sumptio, docet Auersa. Sed communiter non distinguunt quales sint partes. *p.*8. *tr.*7. *ref.*89.

XVIII. Vi-

XVIII. Videtur satisfacere præcepto audiendi Missam qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio (quidquid multa inde absurda inferre conetur Caram.) quia Ecclesia tantùm præcipit vt Missa audiatur: duæ autem medietates Missæ constituunt vnam Missam. Azor & 12. Quemadmodùm ille satisfacit qui cùm debeat siue ex voto, siue ex pœnitentiâ duas Missas audire, eas simul audit; dum eodem tempore celebrantur. Sanchez & 3. Quod negat Lugo & Turrian. Sed hoc videtur pendere ab intentione vouentis, vel Confessarij. *p.2. tr.17.ref.18.& p.5.tr.14.ref.52.& 71.& p.8.tr.7.ref.89.& par. 10.tr.15.ref.3.& p.11.tr.1.ref.3.*

XIX. Excusatur ab audiendâ Missâ die festo qui ab Ecclesiâ distat ad vnam leucam, aut circiter, si pedibus debet iter conficere. Fagund. & 3. Quod nimis laxè ad mediam leucam extendit Ortiz. aut etiam ad tertiam partam Marchin. Quod tamen admitti posset quoad feminas delicatas, & alicuius auctoritatis, vel cum valdè pluit, aut ningit. Dicastill. Quod si equo conficeretur iter, requireretur saltem leuca & media: etsi etiam tunc vnam leucam sufficere velit Leand. Quod posset fortè habere locum quando difficilis esset equitatio ratione vel viæ, vel temporis, vel iumenti. *p.10.tr.11.ref.8.& tr.15.ref.35.*

XX. Mater vel nutrix quæ non potest alicui alteri infantem suum committere dum ipsa Missam audit, videtur excusari ab eâ audiendâ; quia satius est infantes ad templum non deferri, cùm plerumque & adstantes, & celebrantem perturbent. Coninc & 2. *p.10.tr.15.ref.36.*

Missæ celebratio.

I. Vsus Missarum siccatum sine consecratione, non est illicitus, vbi solitum est illas sic dici: secus vbi talis consuetudo non est. Tho. Hurtad. Alij verò simpliciter eas permittunt. Lezan. & *2.p.11.tr.6.ref.23*

II. Sacerdos cæcus validè potest consecrare, sed pec-

caret grauiter si id faceret sine dispensatione Pontificis. Coninc & 3.*p.5.tr.6.res.*17. Qui autem non est omninò cæcus, sed potest videre calicem & hostiam, si missam sufficienter memoriter tenet, potest celebrare. Præpos. & Pellizzar. Deberet tamen tali assistere sacerdos vel Diaconus ad colligendas particulas. Lugo. *part. 9. tractat.* 9. *resol.*30.

III. Probabile est Sacerdotem nullo impedimento prohibitum non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paschate, nec adsit scandalum, aut contemptus. Bonacin. & 3.*p.*2.*tr.*14.*res.*19.

IV. Sacerdos celebrans in mortali, non peccat tripliciter, indignè offerendo, consecrando, & sumendo Christi corpus; quia tres illi actus sunt sibi inuicem subordinati, Henriquez & 5. Sicut & sacerdos excommunicatus celebrans sciens se obstringi vinculo peccati & censuræ, non committit duplex peccatum. Vasquez. Idem est cum quis communicat, vel celebrat non ieiunus, vel spontè omittit confessionem quando hanc præmittere tenetur; quia etsi in illis casibus ex pluribus titulis sit peccatum mortale tamen vni tantùm opponuntur virtuti Religionis & reuerentiæ Sacramenti. Hurtad. & Azor. *part.* 2. *tractat.* 14.*resol.*24.*&* 22.*& part.*9.*tractat.*3.*resol.*32.*& part.*10.*tractat.*16.*resol.*28.

V. Sacrificium Missæ ex opere operato remittit peccata venialia. Nugnus *p.*3.*tr.*4.*res.*39.

VI. Probabilius est hoc sacrificium non posse offerri pro Infidelibus. Vasquez. & 11. Contrarium tamen est probabile. Suarez & 21. Sed non propterea posset sacerdos stipendium accipere ab Infideli vt pro eo Missam dicat, quia non potest accipere stipendium certum pro effectu, incerto. Dicastill. nisi stipendium offerens conscius esset illius incertitutidinis. *p.*10.*tr.*12.*res.*21.

VII. Parochus debet diebus Dominicis, & festis quibus populus tenetur audire Missam celebrare per se, vel per alium. Villalob. & 2. Non tenetur tamen pro populo

Missas applicare, ac proinde pote sine scrupulo stipendium pro illis Missis accipere. Hurtad. & 3.p.2.tr.14.*resol.* 26. Sed contrarium iam determinauit Sacra Congregatio. *p.4.tr.4.res.*232.

VIII. Sacerdos qui tenetur quotidie celebrare ratione beneficii, tenetur etiam Missam pro fundatore applicare; etsi non constet hunc id exegisse; nam exegisse præsumendus est. Bonacin. & 4. Contrarium tamen docet Marchin. Sed an probabiliter, alij iudicent, mihi enim non placet. *p.6.tractat.6.res.*13. Potest tamen in hebdomadâ vnam Missam omittere, non tamen eo die Missam pro alio celebrare accepto stipendio. Etsi contra sensum & praxim communem id affirmet Vidal. Imò quando in fundatione Capellaniæ fuisset tantùm habita ratio loci, v.g. volo vt quotidie dicatur Missa in tali Capellâ, tunc teneretur quotidie sine vllâ intermissione celebrare. Bonacin. & 10. Potest etiam aliquoties per annum, putà quater vel sexies, ex aliquâ necessitate pro se ipso celebrare, vel pro aliquo sibi coniuncto: id enim non videtur alienum à mente Fundatorum. Naldus & Homobon. Similiter potest pro aliquo particulari defuncto celebrare in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. De Leone. Neque in die Natiuitatis DOMINI tenetur tres Missas applicare Fundatori, sed vnam tantùm Fraxinell. *p.4.tr. 4. resol.* 86.*& p.2.tr.*14.*resol.*28.*& p.*5.*tr.*5.*res.*23.*& tract.*13.*res.*51. *& p.*10.*tr.*14.*res.*37.

IX. Sacerdos obligatus ad celebrandum in certo templo, vel altari ob commodum populi, vel peculiarem cultum illius loci, peccat mortaliter alibi celebrando, nisi paruitas materiæ excuset, si v.g. bis térve in anno in hoc altari non celebret. Quod si ex rationabili causâ omittat, nec veniale erit. Non tamen tenetur ad restitutionem nisi vel rationi loci stipendium maius acceperit (Dicastill.) vel defunctos aliquo suffragio fraudauerit: Vt si iussus esset celebrare in altari priuilegiato. Dicastill. & 10, Quamuis hoc etiam neget Tamburin. Quod si non posset eo

loco sacrum dici,non teneretur alio loco celebrare, quoties solùm intendebatur veneratio loci: secus si intendebatur fructus sacrificii.Lezana & *4.p.2.tr.14.res.29. & p.9. tr.2.res.13.& 15.& p.10.tr.12.res.23.*

X. Cum relinquitur Missa dicenda in quouis altari priuilegiato, intelligitur etiam de eo quod posteà erigitur. Pellizzar. Poteſtque sacerdos tunc satisfacere celebrando in alio altari cum numismate. v.g.D. Caroli Borromæi liberante animam è purgatorio.Garzias & 9.Quanuis contradicat Lugo & 5. Imò probabile est satisfacere simpliciter celebrando in alio altari, nisi maius propterea stipendium acciperet : aliàs si ordinaria est eleemosyna, non debet ad aliquid extraordinarium obligari. Garsias. Aliud esset si iuberetur celebrare in certo altari ad illud honorandum, vel ab commoditatem populi &c. *part. 9. tractat.2.resol.16.12.& 19.& part.4.tractat.4.resol.40.& par. 6.tractat.6.resob.12.*

Quæ Missa dicenda.

XI. In altari priuilegiato,nisi quis celebret Missam de *Requiem*,non suffragatur defunctis,nec satisfacit indulto, licet in indulto id non exprimatur.Ita sacra Congregatio, *p.4.tract.4.res.233.* Qui autem obligatur dicere Missas S. Gregorii,non tenetur eas dicere sine interruptione, vel omnes de *Requiem*. Bonacin.& *2.p.2.tr.14.res.32.*

XII. Ex decreto Sacræ Congregationis Missa de feriâ priuilegiatâ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis cantanda est sub mortali post Nonam, quando eo die fit officium de festo. Garzias & 3. Etsi obligationem illam esse sub mortali neget Tamburin. & Castald. Sed Ecclesiæ Regularium non censentur Collegiatæ. Villalob. &2. Item tenentur Prælati illarum Ecclesiarum procurare vt in iis quotidie saltem vna Missa cantetur.Laym.& 3. Negant tamen Victoria & Tamburin. eius omissionem esse mortalem.*part.2.tractat.14.resolution.76. & part. 6. tractat.*

8.*resol.*11.*& part.*10.*tractat.*12.*resol.*40.

XIII. Sacerdos qui die Dominico, vel alio festo celebrat aliam Missam votiuam, non peccat nisi venialiter. Suarez & 3.*p.*2.*tr.*14.*res.*30. Imò quando ita ab aliis exigitur posse etiam in festo duplici, modò non sit Christi Domini, dici Missam votiuam, vel de *Requiem*, docet Nigro & 1. eò quòd rubrica tantùm sit directiua: Vnde & in hebdomadâ sanctâ posse dici Missas votiuas, docet Quintanad. Sed contrarium dicendum est ex decreto S. Congregationis; cùm tunc etiam de duplici dici non possit. Gauant. Posse autem Regulares in quibusuis votiuis dicere *Gloria in excelsis*, ex priuilegio Sixti IV. docet Bruno. Quando autem dicenda est Missa votiua de Sancto aliquo, vel festo, assumenda est illa quæ pro illo festo posita est in missali, pro *Natiuitas* vel *festiuitas*, dicendo *commemoratio* vel *memoria*, & omittendo *hodie* vbi occurrit. Castald. & Alcozer. Missæ autem de festis mobilibus non possunt aliis diebus dici, quamuis hoc petatur à dante stipendium: ideòque de illis habentur aliæ votiuæ.*part.*3.*tractat.*6.*resol.* 101. *&* 102. *& part.*9.*tract.*2.*resol.*29. *& tract.*8.*resol.*53.*& part.*11.*tr.*2.*res.*3.

XIV. Qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virgine potest tamen illis diebus dicere aliam in Missali præscriptam. Fagundez & 9. *p.* 2. *tract.*14.*r.s.*30.*&* 31. Quod verum est, etsi pro dicendâ illâ Missâ stipendium accepisset. Nauuarra.*p.*3.*tr.*6.*res.*62.

Quoties dicenda.

XV. Feria V. hebdomadæ sanctæ non est prohibitum sacerdotibus celebrare. Lugo & 7. Probabiliùs tamen non possunt post finitam Missam solemnem, & reconditum Christi corpus; quia tunc incipit officium Parasceues. Vasquez & 7. Etsi Dicastill. & Præpositus hoc solùm admittant pro eodem illo templo, putentque in Oratoriis priuatis etiam tunc posse celebrari, quamuis in omnibus

Oppidi illius templis iam esset reconditum. Quod si in illum diem incideret festum Annuntiationis B. Virginis, deberent plures Missæ dici (idemque est si incidat in diem sabbathi sancti. Ledesm. & 4.) vt populus præcepto satisfaciat. Dicenda est autem tunc Missa diei currentis. *p.11. tr.5.ref.31.& p.2.tr.14.ref.21.*

XVI. Parochus duabus Ecclesiis præfectus non potest die Iouis Sancto in vtraque Ecclesiâ sepulchrum erigere, sed tantùm in principaliori; quia non posset in vtrâque perficere officium Parasceues, cùm per primam sumptionē particulæ in vino non maneat ieiunus. Suarez & 2. Quod si per errorem id fecisset, & in vtrâque Ecclesiâ Sacramentum reseruasset, deberet vel in secundâ Sacramentum non sumere, sed asseruare: vel in primâ deberet particulam sumere sine vino vt maneat ieiunus. Suarez & 2.*p.10.tr.16.ref.23.& p.11.tr.5.ref.33.*

XVII. Sabbatho sancto licitum est omnibus sacerdotibus celebrare priuatim; quia id nullo iure prohibetur. Suarez & 13. Neque necesse est expectare donec Missa solemnis sit inchoata. Lugo & 6. Etsi multi id affirment. Suarez & 6. Possetque tunc dici Missa vel de sancto eo die occurrente, vel aliqua votiua, vel etiam Missa illius diei cum introitu Missæ Resurrectionis. Hurtad. & 6. Sed nunc iudico probabilius debere dici Missam de Sabbatho sancto sine introitu, & cum vesperis, eodem modo sicut dicitur Missa solemnis. Lugo & 2.*p.4.tr.4.resol.237.& p.9. tr.7.ref.24.& p.11.tr.5.ref.32.& tr.8.ref.66*

XVIII. Etsi plures sunt casus in quibus permittitur sacerdoti sæpius in die celebrare, plerique tamen in desuetudinem abierunt ob multitudinem nunc sacerdotum, præterquam cum quis duabus Ecclesiis præficitur, & in nocte Natiuitatis DOMINI. Suarez & 9. Vel vbi penuria est sacerdotum vt in Indiis, Angliâ, vel inter Infideles in Africâ, vel cum magna fidelium multitudo deberet aliàs sacro carere: secus si exigua tantùm v. g. decem vel viginti. Suarez & 3. Vt autem sæpius quam bis celebretur gra-

uior requiritur causa : etsi quoad hoc non distinguat. Castropal. Posset tamen Pontifex dispensare vt sæpius eodem die celebrare liceat : sicut in regno Valentiæ permissum est bis celebrare die 2. Nouemb. Lugo Neque tamen tenetur sacerdos quiuis, imò nec Parochus illo die Natiuitatis DOMINI : tres Missas celebrare, sed potest aliquam è tribus pro arbitrio dicere. Villalob. & 3. Possuntque omnes tres missæ celebrari ante auroram. Suarez & 37. Etsi multi contrarium doceant. Nauar. & 12.*p.2.tr.14.res.56.39.* *&* 55.*&p.4.tr.4.res.*236.*& p.8.tr.1.res.*87.*&p.10..tr.12.resol.* 57.*&p.11.tr.5.res.*33.*& tr.4.res.*43. Non possunt tamen eo die sacerdotes sicut ter celebrare, ita & ter communicare sine Missâ, vel semel celebrare, & semel communicare: Ne Cardinalis quidem qui eo die Pontifici ministrat vt Diaconus, & de eius manu communicat, Lugo. Quod malè affirmat Colum. *part.8.tractat.1.resol.*87.*& part.11.tract.* *4.res.*43.

XIX. Quando sacerdos habet facultatem bis de die celebrandi v.g. ob duplicem parochiam, poterit hoc facere etiam diebus feriatis si frequens sit populus. Suarez & 8. Quidquid hoc improbabile dicat Nugnus. In primâ tamen Missa non potest sumere ablutionem vt maneat ieiunus. Eodem modo quando Parochus vicini oppidi est ægrotus vel absens, posset alius ibi secundò celebrare, qui iam in sua Ecclesia celebrasset modò esset ieiunus. Dicastill. Æquè autem potest necessitas permittere vt ter vel sæpius celebretur, si toties eadem recurrat, sicut permittit vt bis. Suarez. *p.10.tr.16.res.*23.

XX. Etsi posset sacerdos celebrare non ieiunus, vel etiam bis eodem die ad dandum viaticum infirmo : non posset tamen eâ de causa bis eodem die celebrare quando in prima Missa sumpsit ablutionem : quia tunc vtrumque illud impedimentum concurrit. Lugo & 3. De quo amen dubitat Francisc. Lugo. *p.11.tr.7.res.*21.

Quomodo dicenda Missa.

XXI. Dicere Missam non lotis manibus veniale peccatum est ex irreuerentia Granad & 4. Non autem etsi quis eas non lauet post Missam;quia hoc non præcipitur in rubricis,sicut prius *p.10.tr.12.res.19.*

XXII. Sacerdos ob infirmam valetudinem non potest celebrare operto capite sine licentia Episcopi, vel Prælati pro Regularibus. Henriquez & 4. Si tamen faceret seclusо scandalo & contemptu non peccaret mortaliter. Ledesm. *p.2.tr.14.res.58.*

XXIII. Sacerdos cùm sacris vestibus se induit, si omittat orationes tunc dicendas non peccat mortaliter: quia non est præceptum. Layman & 13.*p.2.tract.14.res.41.* Neque si non obseruet rubricam vnam aut alteram Missalis.Secus si nullam seruaret,aut in rebus substantialibus Sacrificii)delinqueret. Fagund.*Ibid.res.55.* Hinc si quis aliis diebus dicat Missam de Assumptione. Natiuitate, &c. B. Virginis non peccat mortaliter.*p.4.tr.4.res.39.*

XXIV. In casu necessitatis potest celebrari cum stolâ, manipulo, aut cingulo non benedictis,aut etiam sine aliquo ex iis.Suarez & 4. Imò etsi citra necessitatem sine aliquo ex iis celebraret quis, non peccaret mortaliter ob leuitatem materiæ Henriquez & 6. Quod tamen etiam probabiliter affirmat Suarez & 6.*p.2.tr.14.res.57.* & 68. & *p.5.tr.5.res.62.*

XXV. Vrgente graui necessitate potest sine ministro celebrari. Villalob. & 3. v.g. ad dandum viaticum infirmo. Lessius & 7. Vel nè populus aut ipse sacerdos Missa careat die festo. Præposit. & 3. Neque tamen ob talem necessitatem fœmina potest ad ministrandum admitti. Suarez & 9.nisi fortè vt ex loco remoto respondeat, sed non accedat ad altare vrceolos ministrando. Lugo & 3. *p.12.tr.14.res.43.*&*44.*&*p.10.tr.15.res.26.*

XXVI. Sacerdos si in Missa maiori quæ canitur, non

legat submissa voce Epistolam, & Euangelium, non peccat. Quia rubrica non est præceptiua, sed directiua. Sanchez & 10. Idem de *Gloria*, & *Credo*, & Propheriis in Missa solemni docet Pellizzar. & Quintanad. Neque esse mortale si in Missa mortuorum omittantur sequentia *Dies iræ* &c. docet Bordon. Sed de his duobus tu cogita. *part. 2. tract. 14. resol. 42. & p. 5. tract. 13. resol. 95. & p. 9. tract. 6. res. 19. & tr. 8. res. 53.*

XXVII. Generalis, & Prouincialis dum Missam cantant possunt sedere ad partem Euangelii, sicut facit Episcopus. Dum verò sacerdos lauat manus debet totum psalmum cum *Gloria Patri* &c. dicere in cornu Epistolæ. *p. 10. tr. 13. res. 34.*

XXVIII. Non potest sacerdos inchoatam Missam vsque ad oblationem exclusiuè abrumpere ob aduentum personæ illustris v. g. Cardinalis, Episcopi, Proregis, Marchionis &c. & iterum incipere ab initio, etsi dies festus sit, & nullus alius adsit sacerdos qui celebret. Granad. & 5. Contrarium tamen est probabile. Castropal & 10. Erit tamen hoc mortale si vel vltra oblationem progressus fuerit, vel si id fiat ratione personarum communis conditionis. *p. 11. tr. 5. res. 45. & p. 10. tr. 12. res. 11.*

XXIX. Sacerdos primam Missam celebrans potest se in medio altari ad populum conuertere, & oblationes accipere. Ita Congregatio Cardinalium *part. 2. tractat. 14. resol. 50.*

XXX. Potest Sacerdos oblatione iam facta, allatam paruam hostiam ad communicandum laicum consecrare, modò afferatur non seriùs quàm paulò post oblationem. Gauant. & Posseuin. Imò etsi post præfationem. Marchin. & Megal. Item probabile est posse. Sacerdotem deficientibus particulis, hostiæ suæ partem alteri porrigere. Syluest. & *6. p. 2. tr. 14. res. 71. & 37. & p. 3. tr. 4. res. 34. & p. 5. tr. 3. res. 54. & p. 6. tr. 6. res. 7.* Imò etsi id fiat sine vlla causa, non erit tamen mortale. Causæ verò sufficientes sunt ne communicaturus cogatur diu expectare donec aliud sacrum

fiat, vel in sequentem diem communionem differre, vel etiam ne ipse sacerdos debeat diu expectare donec adferatur alia minor hostia. Dicastill.*p.*10.*tr.*11.*res.*70.

XXXI. Præceptum miscendi aquam cùm vino in calice probabiliter solum est humanum, ideoque posset in eo Pontifex vrgente causâ dispensare. Hurtad. & 2.*p.* 8.*tr.* 1. *res.*22. Qui autem in eo misceret aquam rosaceam, aut aliam artificialem, etsi validè consecraret, peccaret mortaliter, (D. Thom. & Molin.) etiam in casu necessitatis. (Persic.) Etsi tunc id neget Paludan. Imò & mortale esse miscere aquam calidam affirmat Fagund. & Persic. Posset tamen hoc sine peccato fieri quando in aliquâ regione valde frigidâ esset ea consuetudo ne vinum congeletur. *p.*6. *tr.*7.*res.*18.

XXXII. Non est quòd Sacerdos sit nimiùm anxius circa infusionem aquæ in calicem; nam licet plures guttas infundat, aqua quæ ante consecrationem non est in vinum conuersa, immediatè in Christi sanguinem conuertitur. Coninc & 8. Quantumuis autem parum infundi debet; si omittatur non potest censeri materia parua, propter mysterium, & significationem. Lugo, *p.*3.*tr.*4.*res.* 49. & *p.*5. *tr.*5.*res.*56.

XXXIII. Non peccat mortaliter qui in Canone omittit vnum aliquem, vel alterum Sanctorum. Suarez & 4. Imò nec qui tria aut quatuor verba. Garzias. Quod malè ad octo nomina extendit Bernal. Item non est mortale omittere ea quæ tempore v. g. paschali interponuntur in *Communicantes*, aut in actione *Hanc igitur*. Vnde neque qui ex inconsideratione ea omisit tenetur postea repetere, sed pergendum est vlteriùs. Similiter non est mortale si omittatur *Gloria* vel *Credo*. Filliuc. & Quintanad. Neque si post Epistolam omittatur Graduale: secus si ipsa Epistola, vel Euangelium; quia etsi sæpe minoris sint quantitatis quam iam dicta, sunt tamen pars magis principalis. Dicastill. Eadem est ratio de additione v.g. si quis in Missa paruam aliquam orationem addat ex deuotione, quam

tamen non recitet altâ voce coram populo. Hurtad. *p. 2. tr.14.res.49.& 59.& p.5.tr.5.res.45.& 63.& p.9.tr.8.res.53.& p.10.tr.16.res.57. & tr.15.res.42.*

XXXIV. Sacerdos regularis si in Canone pro nomine Episcopi ponat nomen sui Generalis, peccat mortaliter, quia Missale est ad vnguem abseruandum. Ex declarat. Cardinalium.*p.2.tr.14.res.40.*

XXXV. Sacerdotem, qui per notabile tempus in Canone voluntariè distrahitur, peccare mortaliter, docet Tamburin. De quo tu cogita. Incipit autem Canon à *Te igitur.* Suarez & 8. Etsi alij probabiliter velint solum inchoari à *Communicantes.* Alij etiam à *Qui pridie.*Sotus & 8. Finitur autem in consumptione Sacramenti. Suarez. Vel ad *Libera nos quæsumus* &c.Gauant.Vel etiam ad orationem Dominicam.Tamburin.*p.10.tr.11.res.6.*

XXXVI. Ante consecrationem dum sacerdos extendit manus supra calicem, dicens *Hanc igitur* &c.tenendi sunt pollices in formam crucis, non subtus, sed supra manus. Reyna & Alcozer. *p.3.tr.6.res.104.*

XXXVII. Sacerdotes recens ordinati dum simul cum Episcopo consecrant, debent habere intentionem conditionatam consecrandi si simul cum Episcopo verba absoluant,non autem si præueniant. In consecratione verò calicis debent habere intentionem sub duplici conditione I.si in priori actione verè consecrauerint panem;non possunt enim vnam materiam sine alterâ consecrare. & II. si simul cum Episcopo absoluant. Dicastill. Meliùs tamen videntur habere generalem intentionem proferendi verba iuxta mentem Ecclesiæ : fortè enim verba illa non debent ab iis dici formaliter, & cum intentione consecrandi,sed tantùm recitatiuè in signum potestatis sibi concessæ. Layman & Auersa.Et cum hac intentione videntur ea debere etiam pronunciare quamuis audirent aliquem è suo numero iam omnia pronuntiasse.Hæc autem consuetudo concelebrandi licita & laudabilis est. Auersa. Quidquid dicat Durand.& 3. Et sic olim presbyteri Cardinales

solebant simul cum Pontifice concelebrare : & in Ecclesiâ Græcâ solet alius sacerdos simul cum Episcopo celebrare. Lessius & 4. Et eadem est ratio de Episcopo dum in sui consecratione 'conlebrat cum Episcopo consecrante. *p.3.tr.4.res.50.&p.5.tr.14.res.82.& p.8.tr.1.res.44.&p.12.tr.1.res.89.90.& 91.*

XXXVIII. Si hostie minores consecrandæ ponantur in corporali inscio sacerdote,non consecrantur defectu intentionis, quæ non fertur in incognitum. Coninc & 3. Quamuis Nugnus putet intentionem debitam semper esse consecrandi omnem materiam præsentem. De quo alij iudicent. Quod si e.e hostiæ ponantur in cornu altaris,vel extra corporale , non sunt consecratæ , etsi Sacerdos habuerit antè intentionem eas simul consecrandi. Suarez & 2. Sed contrarium est etiam probabile. Præpos. &2.*p.2.tr.17.res.19.&p.3.tr.6.res.103.&p.5.tr.14.resol.19.& p.9.tr.8.res.64.*

XXXIX. Si sacerdos pyxidem plenam particulis post offertorium reponat in tabernaculo , hocque sit clausum tempore consecrationis,etsi habeat actualem intentionem eas particulas consecrandi,non tamen consecrantur; quia non sunt sufficienter præsentes. Coninc & 8. An tamen contrarium probabiliter dici non posset;vt docet Leand.tu cogita.*part.7.tractat.*10.*res.7. & part.9.tractat.8.resol.65. & p.10.tr.16.res.41.*

XL. Materia post tergum vel parietem tunc solùm erit consecrabilis quando manu , vel signo aliquo demonstrabitur.Suarez & 4.Aut si dispositis speculis actu conspiceretur.Bernald.Idem est si sub linteo quidem sit , sed tamen hoc se habeat per modum continentis : aliàs non. Leand.&.2.*p.10.tr.16.res.41.*

XLI. Si multis hostiis consecratis misceatur vna non consecrata , non poterit hęc deinde consecra ri absolutè, sed poterit tamen sub conditione , volendo consecrare quidquid ibi est non consecratum. Et sic debere fieri probabilius est.Layman & 2. contra Lugo volentem eo casu

potius binas semper ex iis hostiis distribui. *part. 9. tractat. 8. resol.* 64.

XLII. Consecratio sub vtraque specie in Missa probabiliter non est de iure Diuino : vnde posset in hoc Pontifex ob publicam vtilitatem dispensare. Fagund. & 4. *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 23.

XLIII. Si solum vinum consecratum, est & non hostia, siue ex malitiâ sacerdotis, siue quia non fuit triticea, sufficiet solam hostiam consecrare ; quia ordo vtriusque consecrationis non est de essentiâ sacrificij. Dicastill. Etsi Suarez & 2. velint eo casu vtramque consecrationem debere repeti. Quod si defectus esset in vtraque materiâ, tunc eo deprehenso in sumptione non debere consecrationem in aliâ materia aptâ suppleri ; eò quòd tunc sacrificium, quod nullum eo casu fuit, perfici nec debeat nec possit, ideoque tunc obliget præceptum non sumendi violato ieiunio, docet Suarez. Quod refellit ex quorundam sententiâ Præposit. Sicut docent sacerdotem posse pergere etsi ante consecrationem recordetur se non esse ieiunum Quod si defectus materiæ aduerteretur ante sumptionem, deberet vtraque de nouo consecrari ; quia sicut non licet aliquid falsum fingere in hoc ministerio, ita nec perseuerare in fictione inchoatâ. Suarez & Præposit. *part.* 10. *tr.* 12. *resol.* 13.

XLIV. Si post consecratam hostiam immineret sacerdoti periculum vitæ si pergeret consecrare calicem (quod tamen vix potest contingere, cùm citissimè possit consecrare & sumere) posset id omittere ; nam illud periculum videtur excusare ne perficiatur sacrificium. Præposit. Imò si solus panis fuisset consecratus vel ex errore, vel quia aqua erat in calice loco vini, & non posset aliud vinum haberi sine notâ & offensione adstantis populi v. g. quia mittendus esset per mediam turbam qui vinum adferret, posset sacerdos pergere sine consecratione vini. Hurtad. & 5. Quod tamen negat Præposit. & 2. cùm facilè possit occurri illi offensioni monendo illos. *Ibid. & res.* 14.

XLV. Si Papa ob tremorem manus dexteræ non posset eleuare calicem, nec frangere hostiam, & particulam miscere cum speciebus vini posset in his dispensare,& illa per assistentem sacerdotem facere, & sic celebrare;quia illa omnia non pertinent ad essentiam sacrificij. Suarez & 24. Causa autem dispensandi sufficiens est dignitas personę. Arriag. & Pręposit non tamen propterea teneretur dispensare etiam ad seruandum præceptum Diuinum aliquoties celebrandi. Dicastill.& 7.*p*.12.*tr*.3.*res*.3.

XLVI. Sacerdos non potest minores hostias post consecrationem ponere extra aram, & multò minùs dare alieri distribuendas, nisi post communionem in Missa, sicut non posset ex suâ hostiâ alteri dare partem ante finem sacrificij,omnes enim illæ hostię cum maiori sunt vnum sacrificium.Lugo & Leand. Etsi Dicastill. etiam probabiliter vtrumque illud neget esse necessarium. quamuis sit decentius.*part*.5.*tractat*.13.*resol*.72. *&* *part*. 10. *tractat*. 15. *resol*.41.

XLVII. Sacerdos non potest hostiam à se consecratam deponere in sacrarium, & sumere aliquam ex præconsecratis;quia ad integritatem sacrificii spectat sumptio hostiæ tunc consecratę. Lugo & 5.*p*.5.*tr*.13.*res*.96.Posset tamen ex iustâ causâ celebrare cum hostiâ minori qualis solet dare laicis, quando non posset haberi maior. Marchant.*p*.5.*tr*.13.*res*.80.*&* *p*.6.*tr*.7.*res*.17.

XLXIII. Si sacerdos sumpto iam Christi corpore videt se per imprudentiam calicem cum sola aqua consecrasse,sufficit vt infundat vinum,& incipiens ab illis verbis *simili modo*, calicem consecret.Scotus & 3.Etsi nouam etiam hostiam tunc consecrandam, incipiendo ab illis verbis *Qui pridie*, probabiliter doceat D. Thom.& 2. *p*.2. *tr*.14.*res*.70.

XLIX. Etsi sacerdos moreretur post consecrationem, probabile est alium sacerdotem non teneri sub mortali illud sacrificium perficere. Sotus & 3. Etsi communiùs & probabiliùs contrarium doceant DD. Quod si mortuus

esset post consecrationem hostiæ, non esset noua hostia consecranda, sed solus calix. D. Thom. Etsi contrarium etiam probabile sit. Sin autem nesciretur quando mortuus esset deberet vtraque consecratio fieri sub conditione super materia inuecta in altari. Setra *p.9.tr.6.res.*18. Quod si de hostia sola dubitetur, aliam iterùm consecrandã, & relictã ab altero sacerdote sumendam post sumptionem vtriusque speciei posteriùs consecrate, docet Syluest. & 3. Sed hoc & frustrà fieret, & illicitè; nam sic non tam perficiet sacrificium alterius, quam nouum offeret, quod non potest facere incipiendo tantùm à consecratione, & non ab initio Missæ. Dicastill. *p.*10.*tr.*12.*res.*12.

L. Si sacerdos deficeret post sumptam hostiam deberet alius sacerdos perficere sumendo calicem. Dicastill. Etsi alii velint vtramque consecrationem repeti & sumi vna cùm calice relicto. D. Thomas. Vel etiam solum panem de nouo consecrari. Henriquez *p.*10.*tr.*12.*res.*15.

LI. Si non inueniretur alius sacerdos qui sacrificium perficeret, non posset differri in sequentem diem, & tunc perfici: sed hostia illa tunc danda esset communicantibus. Auersa & 2. Etsi contrarium doceat Henriquez & 3.*p.*10. *tr.*11.*res.*4.

Altaris apparatus.

LII. Mappas seu tobaleas insternendas altari debere esse benedictas, docet Lugo & 5. Negat Suarez & 21. Cuius resolutionem ad Sac. Congregationem remitto. Item sufficere duas tantùm mappas docet Suarez & 7. Sed hoc admittendum non est post correctionem Missalis à Clemente VIII. nisi quis intelligere velit ad solam decentiam præscribi tres. Sed modò quis vnam adhiberet præter corporale, non esset mortale: sicut esset si nullam supponeret. In necessitate autem celebrandi v.g. die festo, vel vt sacerdos pauper eleemosynam obtineat &c. nullum erit peccatum, si vna sit cum corporali. Leand. & 3, Sicut et-

iam Posse tunc adhiberi non benedicta v. g. sudarium si mundum est,& posteà rursus adhiberi ad vsus consuetos. Fagund. & 11.*p*.10.*tr*.11.*res*.5.

LIII. Celebrare sine cruce in altari non est mortale. Leand. Quando autem in altari effigies crucis, vel Crucifixi depicta est in tabellâ, vel pariete, non esse necessariam aliam crucem docet Tamburin. Sed contrarius est Gauant.*p*.10.*tr*.15.*res*.28.

LIV. Non peccat mortaliter celebrans sine Missali, modò confidat se integre omnia recitaturum. Layman & 2. Neque si celebret in necessitate cum vno lumine ex oleo vel adipe, modo scandalum absit. Azor & 6. (Etsi mortale illud esse doceat Suarez & 7.) Vnde nec veniale erit si minister extinguat candelam à parte Epistolæ ante finitum Euangelium S. Ioannis. Quidquid hoc affirmet Nigro. Sine lumine autem sacrificare numquam licet, (Lugo)adeò vt si extingueretur ante consecrationem, nec haberi posset aliud,relinquenda esset Missa, etsi necesse esset consecrare ad dandum viaticum moribundo. Fagund.*p*.2.*tr*.14.*res*.46.45.*&* 67.*& p*.9.*tr*.6.*res*.34.*& par*. 10. *tr*.12.*res*.20.

Quo loco celebranda.

LV. Vt celebretur in altari in quo Episcopus eo die celebrauit, etsi conueniat licentiam ab eo petere, si tamen hoc non fiat,nullum erit peccatum; tum quia *can.in altari.vlt.de consecr.dist*.2.solùm agit deMissa solenni:tum quia vsu & consuetudine abrogatus est. Layman & 5.*part*.10.*tr*. 12.*res*.24.

LVI. In nauibus non licere celebrare, ne ad dandum quidem viaticum infirmo, vel vt sacrum diebus festiuis audiant vectores, communiùs docet Suarez & 28. Contrarium tamen est probabile, saltem cùm licentiâ Episcopi,quando est tranquillitas magna, ita vt non sit periculum effusionis calicis. Granad. & 11.*p*.5.*tr*.3.*res*.40. Sed

Congreg.

Congreg. Cardinalium respondit debere Episcopos hoc prohibere. Nisi hoc intelligatur, ne celebrent sine sua licentiâ. *p.9.tr.1.res.45.*

LVII. Extra casum necessitatis non potest quis citra peccatum mortale celebrare extra Ecclesiam consecratam, aut benedictam, aut Oratorium ab Ordinario designatum. Lugo & 13. Quamuis id neget esse mortale Sotus & 2. si tamen fiat non incurritur propterea aliqua pœna suspensionis, vel interdicti ipso iure. Suarez & 2.*p.2.tr.* 14.*res.*38.*&* *p.*11.*tr.*4.*res.*2.

LVIII. Potest Episcopus permittere vt celebretur extra Ecclesiam in certis casibus: vt I. pro exercitu vel classe quando aliàs non possent sacrum audire: vel etiam pro magno numero personarum, vt est in nauibus Indicis Lusitanorum. Fagund. II. in castris, sed diebus solùm festis. Lugo. Vel pro Generali exercitûs. Henriquez. III. vt in cubiculo perillustris personæ ægrotæ semel aut bis celebretur vt sumat viaticum. Fagund. & 3. IV. vt celebretur ad corpus defuncti viri illustris idem licere docet Garcias. Quod tamen difficultate, non caret; cùm in eo casu non appareat magna necessitas, quam tamen requirit. Felix Papa *in ca.* 1.2.*&* 11.*de consecrat. dist.*1. V. vt tempore pestis celebretur in publicis viis, vel priuatis domibus, quando quis morbo, vel aliter, detinetur per mensem vt exire non possit. Pasqualig. Sed hic etiam casus videtur difficulter posse admitti Denique in casu necessitatis posse Ordinarium concedere facultatem vt in priuatis domibus semel atque iterum celebretur non obstante decreto Pauli V. docet Fagund. & Quintanad. eò quòd hoc solùm agat de concessione Oratorij & altaris stabilis, dum decernit hanc ad solum Pontificem spectare. Imò in casu magnæ & certæ necessitatis posse ita celebrari sine licentiâ Episcopi, docet Sà & 4. Sed contrarium verius est, & saltem securius: nisi fortè ea licentia peti non posset; & infirmo in extremâ necessitate aliter succurri non posset: Nugnus *p.9.tr.1.res.*43.44.45.*&* 46.

Quo tempore celebranda.

LIX. Poteſt ſacerdos ſine ſcrupulo facere Sacrum ante matutini officii recitationem;quia preces matutinæ, & ſacrificium Miſſę nullam habent connexionem, neque vllum ordinem.Barboſa & 24.*p.*2.*tr.*14.*reſ.*36.

LX. Poteſt Miſſa celebrari ſeſqui horâ, vel etiam duabus horis ante Solis ortum, & conſequenter Religioſi,vel per priuilegium Bullæ tribus horis. Suarez & 12. Verùm ex alio priuilegio Alexandri VI. poſſunt horâ ſecundâ poſt mediam noctem celebrare. Lugo & 5. Neque hoc reuocatum eſt per Tridentinum, aut Bullam Pij V. Lugo & 6. Ad dandum verò viaticum moribundo licet etiam media nocte ſacrum facere. Lugo & 7. Vel etiam horâ tertiâ poſt meridiem. Hurtad. & Leand. Neque ad hæc opus eſt licentia Epiſcopi. Præpoſit.Idem poſſet quiuis alius ſacerdos ad dandum viaticum infirmo periclitanti. Vaſquez & 4.*Ibid.reſ.*33.*&* *p.*6.*tr.*8.*reſ.*40.*&p.*9.*tr.*1.*reſol.*30.*&* *p.*10.*tr.* 12.*reſ.*25.*&* 26.*&* *p.*11.*tr.*7.*reſ.*21. Imò vniuerſim illa Regularibus permittuntur per priuilegium Eugenij IV. ſaltem ex aliqua cauſa v.g.itineris faciendi. Dicaſtill. & 2,*p.* 11.*tr.*2.*reſ.*2.

LXI. Sacrum poteſt inchoari aliquanto poſt meridiem quia res hæc eſt moralis, & non lege, ſed conſuetudine determinata,ideoque non habet terminum indiuiſibilem. Præpoſit.Quod infra tertiam horæ partem coarctat Azor. Ad mediam horam extendit Layman & Homobon. Ad tres quadrantes, Bonacin. & dummodo minùs ſit quam integra hara,Syluius. Imò poſſe inchoari horâ primâ poſt meridiem docet Leand. & 2. Quod ſaltem licet ſi feſto die ratione itineris tamdiu quis ſit impeditus.Suarez & 3. Vel ſi concurſus populi aut peregrinorum id exigat:Quin etiam vſque ad tertiam poſſet tunc differri ſaltem ex diſpenſatione Epiſcopi. Religioſi verò ex ſuis priuilegiis poſſunt celebrare vſque ad Nonam incluſiuè, Lugo & 4. hoc eſt tempore æqui noctii vſque ad tres horas poſt me-

tidiem. Aliàs Nona in solstitio æstiuo extenditur ad tres quadrantes vlterius : in hiemali verò solùm vsque ad secundam cùm quadrante. Nec ea priuilegia reuocata sunt per Tridentinum aut decretum Pij V. *p.2.tr.14.res.* 34. *&* *p.4.tr.4.res.*105.*& par.5.tract.5.res.*58.*& tractat.*13.*resol.*7.*&* *part.*10.*tractat.*12.*resol.*22.*& tractat.*15.*resol.*27.*& par.*11.*tr.* 1.*res.*10. *& tr.*2.*res.*2.

Stipendium pro Missa.

LXII. Sacerdotem qui tantum probabiliter est legitimè ordinatus, non posse Missam celebrare, aut pro eâ stipendium accipere, nisi iterum sub conditione ordinetur, docet Lugo & 2. v.g. si quis non tetigit physicè patenam, sed solum calicem &c. *p.*10.*tr.*16.*res.*88.

LXIII. Episcopi vi Concilij Tridentini non possunt Missas in fundatione appositas reducere ad minorem numerum. Garsias & 9. Possunt tamen Missas alias, antè Concilium, non autem post illud, impositas reducere. Bonacin. & 5. Hæc autem reductio vbi decretum Concilij est receptum, facienda est in Synodo, vbi non est receptum, minimè. Abbates verò & Generales Religionum non possunt absque Capitulo minuere numerum Missarum. Barbos. & 3. Porro hæc facultas moderandi Missas comprehendit etiam anniuersaria, & officia pro defunctis. Garsias & 5. Nec quoad hoc obstat prohibitio Vrbani VIII. (Meroll.) etsi alij id affirment. Olim licuit Regularibus dispensante Generali, vnius Missæ celebratione cum nouem collectis, satisfacere pro nouem Missis : sed nunc non licet, sacrâ Congregatione id vetante. *part.*2.*tr.* 14.*resol.*1.2.3.4.5.*&*6.*& part.*6.*tract.*6.*res.*10.*& tr.*7.*res.*40. *& p.*11.*tr.*2.*res.*4.

LXIV. Deficientibus ob varios casus redditibus assignatis pro celebratione Missarum, posse Regulares propriâ auctoritate eas reducere ad minorem numerum vsque eò vt singulis respondeat iustum stipendium : sicut si omnes redditus defecissent possent planè cessare à celebratione, docet Bordon. & 2. Sed propter decreta Vrba-

ni VIII. etiam in illo casu recurrendum est ad Pontificem quoad Missas & anniuersaria acceptata post Tridentinũ. Lezan. & 4. *p.10.tr.16.res.65.*

LXV. Concessit Vrbanus VIII. post sua decreta, cuidam Monasterio Minimorum, vt legata perpetua Missarum nimis tenuia, reduci possint ad 50. scutos monetæ Romanæ per annum pro qualibet Missâ quotidianâ: declarans Missas sic reductas æquè Fundatoribus prodesse, ac si realiter, & cum effectu omnes celebrarentur. Quo priuilegio & aliæ eiusdem Ordinis domus, & aliæ Religiones per communicationem gaudent. Marchin. & 6. Sed contrarium est tenendum; quia secundùm praxim Religionum gratiæ concessæ per Breuia particularia à Sede Apostolicâ alicui Domui, vel Conuentui non solent communicari aliis siue eiusdem, siue diuersæ Religionis Domibus. Lezan. Et præsertim obstat stylus Curiæ Romanæ. *p.6.tr.6.res.11.& p.10.tr.16.res.67.*

LXVI. Similiter etsi FF. Minoribus ab eodem Vrbano VIII. concessum sit, vt ob reductionem Missarum quotidianarum non teneantur recurrere ad Pontificem, tenentur tamen recurrere ob alias non quotidianas: & præterea concessio illa solùm fuit quoad reductionem faciendam in primo Capitulo, non autem quoad reductiones posteà faciendas. Tamburin. *p.10.tr.16.res.67.*

LXVII. Regulares ex pecuniâ relictâ cum onere perpetuò celebrandi Missam, non possunt fundare censum super Monasterio, aut bonis eiusdem: sed emenda est noua proprietas fructifera Monasterio. Lezan. & 4. contra Peyrin. Posset tamen per illam extingui census impositus super aliqua bona fructifera Monasterij; quia sic Monasterio accrescerent illi fructus qui in solutionem censûs expendebantur. Alij tamen simplices census per illam extingui non possent; quia hæc esset tantum æris alieni solutio, non autem inuestitio illius pecuniæ. Bordon. & 3. Sed quamuis esset onus celebrandi 100. annos, non contineretur sub illâ prohibitione; quia non esset perpe-

tuum.Pellizzar. & 3. Non posset tamen tunc sic expendi illa pecunia quin saltem pro toto tempore quo durabit onus annuos fructus reddat. Auersa & Tamburin. Sicut & posset per illam emi nouus census.Lezan.*p.9.tr.6.res.26. & p.10. tr.16.res.72.*

LXVIII. Missa conuentualis potest applicari alicui qui stipendium dedit. Leon. & 2. Vti & Sacerdotes ordinati quando celebrant cum Episcopo possunt illud sacrificium alteri applicare; sunt enim illius totius causa. Mæstar.& 2. & fructum totum ex operę operato recipiunt. Marchin. satisfactionem tamen,cùm ea finita sit, non posse à singulis applicari v.g. diuersis animabus, sed à solo Episcopo si hic verè consecret, & non impediatur à concelebrantibus,docet Bernal. Et eadem est ratio de Episcopo concelebrante in sui consecratione. *p.5.tr.13.res.51.& tr.14.resol. 112. & p.11.tr.8.res.67.p.12.tr.1.res.92.*

LXIX. Si is qui petit Missam, non det stipendium iustum ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, potest Sacerdos à diuersis tot parua accipere, quæ iustæ eleemosynæ æquiualeant, & vnum tantùm pro omnibus sacrificium offerre.Suarez & 8.Sed nunc contrarium docet Congregatio Cardinalium apud Bonacin. Quod tamen explicare conatur Vidal. Sed quando aliquis reliquit stipendium pro certo numero Missarum, si augetur stipendium Sacerdotibus præstandum, tenetur heres illam eleemosynam supplere.Barbosa & 3.*p.2.tr.14.res.7.& 17.& p.5 tr.13. res.52. & p.10.tr.14. res.38.* Et si contingat heredem hunc mori, tenebitur heres ipsius ad idem onus, sicut ad soluenda quæuis legata pia. Rota,*p.9.tr.8.res.68.*Quod si non suppleatur, non teneri plures Missas dicere quam stipendio sic aucto respondeant docet Boldon. & Auersa. Sed huius resolutio potiùs ad Sacram Congregationem videtur remittenda.*p.7.tr.12.res.22.*

LXX. Sacerdos dum accepto stipendio pro aliquo celebrat, non tenetur eis applicare fructum ex opere operantis;vel orationes,aliaque quæ in Missa sunt. Coninc & 2.

Potest etiam partem sacrificii sibi conuenientem alteri applicare, & pro eâ stipendium accipere atque ita duplex. Molfes.& 2. etiam post decreta Vrbani VIII.S.Faust. & 3. Quod saltem admittit Filliuc. vt accipiatur tamquam pro tertiâ parte sacrificii. Sed contrarium est omnino tenendum; tum quia effectus ille incertus est, cùm dubium sit & an habeat effectum quoad satisfactionem, & an possit alteri applicari, & quia non competit celebranti si est in peccato mortali: tum præcipuè propter decreta Vrbani VIII. secundùm quæ tenetur totum fructum applicare illi à quo stipendium accipit quantumuis exiguum. Lugo & 4. Quidquid dicat Tamburin. *p.2.tr.14.res.14. & p.5.tr.14.res.80.& 45.& p.6.tr.6.res.8.&p.10.tr.12.res.21.& tr.16.resol.71.&p.11.tr.7.res.27.&tr.8.res.67.*

LXXI. Posse Sacerdotem vnius Missæ fructum satisfactorium applicare vni, & alteri impetratorium, & sic duplex stipendium accipere, docet Marchin. Sed contrarium est absolutè tenendum. Bonacin.& 3. *part. 6. tractat. 6.resol.9.*

LXXII. Sacerdos qui tenetur in aliquâ Ecclesiâ celebrare, pro cultu illius Ecclesiæ, vel commoditate populi tatùm, absque obligatione applicandi sacrificium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere; quia cum stipendium detur pro labore, qui est pretio æstimabilis, vna Missa non meretur nisi vnicum stipendium. Ita varia responsa Sac. Congregationis apud Gauantum & alios. Contrarium tamen non est improbabile, etiam post decreta Vrbani VIII. Lugo & 8. *p.2.tr.14. resol 80.& p.4.tr.4.res.16.& p.11.tr.7.res.27.& tr.8.res.67.* Propter idem decretum Cardinalium non potest Sacerdos pro vnâ Missa tot stipendia accipere, quot sufficiant ad eius sustentationem; quia pro solâ Missa non debetur sustentatio. Suarez & 13. Etsi non pauci contrarium doceant. Nugnus & 13. Præsertim si sacerdos sit in graui necessitate, de quo casu non agunt decreta Cardinalium Lessius &16. Neque item diebus festiuis potest duplex sti-

pendium accipere, vt statuitur eodem illo decreto, etsi contrarium doceat Homobon. *p.*2.*tr.*14.*ref.*8. *&* 9.*&* *p.*11. *tr.*1.*ref.*24.*&* *tr.*7.*ref.*27.*&* *tr.*8.*ref.*67.

LXXIII. Sacerdos pauper qui hodie non accepit eleemosynam pro Missâ, non potest illam applicare primo daturo stipendium. Suarez & 11, Id enim repugnat Ecclesiæ consuetudini, damnaturque decreto Cardinalium ex mandato Clementis VIII. Quamuis id affirmet Henriquez & 6. Quando tamen ex fundatione alicuius Capellæ statæ Missæ sunt singulis hebdomadis celebrandæ, potest Sacerdos antecedente hebdomadâ illas celebrare. Reginald. & 3.*p.*2.*tr.*14.*ref.*15.*&* 16.

LXXIV. A Sacrâ Congregatione, & decreto Vrbani VIII. prohibetur, ne Sacerdos qui certam eleemosynam accepit pro celebrandâ Missâ, eamdem alteri celebrandam committat, parte eleemosynæ sibi retentâ. Quod verum est etsi solùm vt executor testamenti eas Missas dicendas curaret. Fagund. & 2. Quidquid doceant Pellizzar. & Tamburin. Hoc tamen non extenditur ad Capellas, quæ habent pingue stipendium; neque enim datur tantùm pro Missis dicendis. *p.*2.*tr.*14.*ref.*10.*&* 11.*&p.*6.*tr.*8.*ref.*10.*&* *p.* 10.*tr.*16.*ref.*68.*&*69.

LXXV. Qui ab amico maius accepit stipendium, si intuitu amicitiæ accepit, potest per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio: Sin accepit præcisè & simpliciter pro Missa, nihil sibi debet retinere: nisi Sacerdos cuius operâ vsus est, spontè id condonet: sicut potest quis stipendium sibi retinere si sacrum ab altero gratis fieri procuret. Sed in praxi rarò præsumenda est liberalis donatio; quia plerumque fit ex metu ne Missæ vel tunc, vel aliâs non committantur celebrandæ. Lugo & 2. *p.*2.*tr.*14. *ref.*12.*&* 13. *&p.*10.*tr.*16.*ref.* 68.

LXXVI. Qui ignorans, vel ex opinione probabili celebrat contra illa decreta Vrbani VIII. *de celebrat. Missar.* non teneri reficere Missas, vel stipendia restituere: imò qui è maiori stipendio, partem sibi retineret non peccaturum

nisi venialiter, & sine obligatione restitutionis; eò quòd verba prohibitionis non sint ita grauia, neque etiam materia sit valde grauis, docet Bordon. Quod tamen non est facilè admittendum, Vnde in vtroque contrarium docet Auersa affirmans teneri ad restitutionem ratione rei acceptæ. *p.8.tr.7.res.75.*

LXXVII. Sacerdos qui pro Missa dicenda accepisset stipendium quod sufficeret ad materiam grauem in genere iustitiæ, teneretur sub mortali Missam illam dicere, vel stipendium restituere: secus si stipendium non esset sufficiens ad materiam grauem furti. Dicastill. *part.10. tractat 15.resol.43.*

LXXVIII. Etsi is qui curat dici Missas damnum prius iniustè intulerit, non potest tamen fieri compensatio omittendo Missas Tamburin, nisi constaret ad solam eiusdem vtilitatem eas peti. Etsi absolutè talem compensationem permittat Pellizzar. & 2. *part. 10. tractat. 16. resol.66.*

LXXIX. Sacerdos differens ad longum tempus celebrationem Missarum quas suscepit peccat mortaliter. Bonacin. & 2. Potest tamen simul se obligare ad 5. vel 60. quia hoc potest censeri modicum tempus requisitum à Sac.Congregatione.Villalob. & 3. Quod Leand. extendit ad tres menses: & Peyrin. improbabiliter ad tres annos. *part.2. trad.14.resol.25.& part.9.tractat.6. res.55.& par.11. tract.7.res.27.*

Applicatio sacrificij.

LXXX. Sacerdos qui à pluribus stipendium accepit pro Missâ dicendâ tenetur sigillatim & distinctè singulas dicere pro singulis. Leone. Contrarium tamen est probabile, posse scilicet illas applicare coniunctim v.g. si à quatuor personis stipendium acceperit, satisfacere si quatuor Missas dicat singulas pro omnibus quatuor, vt ita singulæ pro ratâ prosint omnibus. Bonacin. & Auersa. *part.11. tract.7.res.27.*

LXXXI. Cum plures simul sacerdotes consecrant, ad singulos pertinet applicatio sacrificii: quando autem sacerdos deficit post consecrationem hostiæ, & alter succedit, applicatio pertinet ad illum qui sacrificium perficit. Vasquez. Etsi conueniat hunc se conformare intentioni præcedentis sacerdotis, Coninc. & Castropal *part.11.tract.6.resol.39.*

LXXXII. Quando sacrificium applicatur defunctis, applicandum est non solùm quoad satisfactionem, sed etiam quoad impetrationem vt Deus inspiret aliis bona opera quæ pro illâ Animâ applicent. Granad. *part.11.tract.6.resol.40.*

LXXXIII. Si sacerdos applicet sacrificium pro Animâ in purgatorio quam Deus vult, nulli prodest; quia cùm sic Deus non determinetur, manet indifferens. Aliud est si referatur ad scientiam Dei v.g. pro eâ quam Deus videt maximè indigere, vel cui videt sacerdotem debere, vel posse vtilissimè applicare &c. Tamburin. & 2. *part.11. tractat.6. resol.39.*

LXXXIV. Si sacerdos applicet alicui existenti in peccato mortali, etsi tunc prodesse ei non possit, prodest tamen posteà, cum in gratiam Dei redit. Granad. & Henriquez. Quod tamen alij communiter negant. Suarez & 3. Sed si sacerdos obliuiscatur alicui alteri illud applicare, censetur implicitè velle sibi applicari. Lessius & 2. Imò semper habet aliquem effectum in omnibus iustis pertinentibus ad Ecclesiam, pro quibus in genere offertur si sint in statu gratiæ. Granad. *p.11.tr.6.res.40.*

LXXXV. Nihil est necesse applicationem Missæ fieri actualiter, aut virtualiter tempore sacrificii: sufficit si pridie Sacerdos applicauerit, dummodò intentio non fuerit posteà reuocata. Suarez & 6. Etsi contrarium doceat Vasquez & *4.p.2.tr.14.res.47. & p.5.tr.14.res.65. & pat.11.tractat.6.res.39.*

LXXXVI. Posse sacerdotem, qui antè oblitus fuit etiam post consecrationem applicare fructum sacrificii illi

à quo stipendium accepit, docet Tamburin. Sed contrarium planè est tenendum; quia sic applicaret fructum valdè incertum, cùm communiùs doceant in solâ consecratione essentiam sacrificii consistere.*p.*10.*tr.*12.*res.*27.Posset tamen applicatio adhuc fieri post consecrationem solius hostiæ; quia tunc nondum est perfectum sacrificium: & consequenter potest tunc mutari intentio etsi eò vsque voluisset celebrare pro alio. Dicastill. *part.* 11. *tractat.* 6. *resol.*39.

LXXXVII. Si Sacerdos Regularis applicet Missas contra intentionem Superioris, peccat quidem contra votum.si superior intendat obligare sub mortali quod communiter non fit: valere tamen applicationem affirmat Henriquez & 5. Negat Scotus & 4.*part.*2.*tr.* 14.*res.*72. & *p.*11.*tr.*6.*res.*39..

LXXXVIII. Qui pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissione, posse vnicâ pluribus satisfacere, docet Hurtad, & 5. ex eo quòd fructus ex opere operato æqualis obueniat singulis, ac si vni tantùm applicaretur: Imò etsi vni deberet ex stipendio accepto, docet Marchin. & 3. Vnde si Religiosi aliqui ex vi Regulæ suæ teneantur pro Defunctis sui Ordinis Missas aliquas applicare, possunt easdem applicare illis qui stipendium dederunt; quia sacerdoti solùm prohibetur idem sacrificium offerre pro multis quibus ex iustitiâ, ratione stipendij accepti tenetur. Idemque est si teneantur aliqui illas dicere ex beneuolentiâ & gratitudine erga amicos,fundatores, benefactores, aut regna, vel communitatem &c. vel etiamsi alicui ex beneuolentiâ illud gratis obtulerint. Dicastill. & 5. Certum tamen est non ideò licere pro vnâ Missa accipere plura stipendia. *p.* 4.*tr.*4. *resol.* 196.& *part.*5.*tr.*14.*res.*81.& *p.*6.*tr.*6.*res.*9. & *p.*10.*tr.*15.*res.* 43.&*p.*11.*tr.*7.*res.*27.

Monasterium. Moniales.

I. Regulares non possunt erigere noua monasteria sine consensu Episcopi diœcesani, iuxta decreta trium Pontificum Clementis VIII. Gregorii XV. & Vrbani VIII. etiam quando monasterium solùm transfertur in alium locum retento, vel non retento primo loco. Bordon. In eorum autem erectione etiam nunc seruandum est spatium 140. cannarum. *p.31.tr.2.ref.25.* Hanc tamen licentiam, etiam quoad Monialium monasteria, non potest concedere Capitulum Sede vacante ita Sacr. Congregatio. Et priùs quàm Episcopus eam concedat audiri debent aliorum Conuentuum Procuratores, & alii interesse habentes, iuxta decretum Clementis VIII. *p.8.tr.4.ref.68.*

II. Parentes qui cogunt filias impuberes intrare Monasterium, vt ibi educentur, non incurrunt excommunicationem Concilii Tridentini; quia parentes habent ius naturale offerendi liberos Religioni, & liberi tenentur obedire parentibus, neque possunt ante annos pubertatis inde exire. At si puberes cogantur intrare, id est, post annum ætatis 12. qui cogunt, incidunt in excommunicationem etiamsi non iubeant illas ingredi vt habitum suscipiant, neque vt professionem emittant, sed solùm vt ibi maneant quoad detur occasio nubendi. Nauat. & 7. Etsi etiam probabiliter posterius hoc neget Suarez & Bonacin. *p.2.tr.15.ref.56.&p.4.tr.4.ref.42.*

III. Monialis quæ voluitur cum rotâ ad eam partem ad quam sæculares accedunt, non violat clausuram ob paruitatem materiæ. Bonacin. At si extra limen ianuæ vtrumque pedem efferat, etiamsi tantùm ad vnum vel duos palmos, sufficiens est ad culpam lethalem, & ad censuras incurrendas; secus autem si alterum pedem intra limen retineat. Sanchez & 2. Idemque est de externis Monasterium ingredientibus. *p.3.tr.2.ref.51* At si ingressus esset solùm ad duos pedes, & breuis moræ, vel si sic egrederetur

monialis, censeri posset leuis violatio clausuræ, & venialis, Naldus & 3.*p.5.tr.5.ref.* 22. Quod Bordon. extendit ad tres, vel quatuor passus si statim regrediatur, hoc est si non maneat vltra vnum aut alterum *Credo*. Quòd si Monialis ascenderet super tegulas monasterii non violaret clausuram. Sanchez & 4. Etsi contrarium doceat Lugo & Bordon. Eodem modo non violaret eam etsi insideret supra murum monasterii, quocumque animo id faceret; aut etsi sic cum ipsâ simul eidem muro insideret externus. Suarez & 2.*p.5.tr.13.ref.*88.*&* *p.*11.*tr.*8.*ref.* 25.

IV. Feminæ prohibentur sub mortali, & excommunicatione ingredi in Monasteria virorum, ex Bullâ Pij V. Bonacin. Etsi id neget Suarez & Layman. Sed quæ in casibus permissis ingressæ sunt in aliqua loca monasterij etiamsi deinde ad vlteriora loca progrediantur, non incurrunt eam censuram; quia lata est tantùm in præsumentes ingredi, illæ autem solùm illicitè immorantur: non autem illicitè ingrediuntur. Bonacin.*p.4.tr.4.ref.*179. Posse tamen ingredi tempore processionis vel si in aliquâ capellâ intra claustrum dicitur Missa, vel Vesperæ, vel officium alicuius defuncti, docet Texeda. Vel cum datur habitus Nouitio; quia tunc solet haberi pia exhortatio. & & recitari preces, quæ veniunt nomine Diuinorum Officiorum, de quibus loquitur Bull. Pellizz. & Portel. Sed tu cogita. *p.*7. *tr.* 12. *ref.*6.*&p.*9.*tr.*7.*ref.*51.

V. Ingredientes Monasteria Monialium non prætextu licentiarum, sed absque vllâ licentiâ, etiam ad malum finem, non incurrunt excommunicationem Gregori XIII. quia ille casus non continetur in Bullâ. Sanchez & 9. Neque Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij, prætextu licentiarum, etiam ob malum finem; quia Bulla loquitur de Abbatibus, & Abbatissis: nulla autem de Monialibus fit mentio. Sanchez & 2.*part.*2. *tractat.* 16. *resol.*30.31.*&* 32.

VI. Licentia ingrediendi Monasteria Monialium habenda est scripto, præterquam in casibus ordinariis; quoad

Medicos, Chirurgos, &c. quibus Abbatissa potest dare licentiam verbo. Suarez & Sanchez Quamuis generatim id negent Homob. & Belloch: *p.3.tr.2.res.*129.

VII. Quando conceditur priuilegium ingrediendi monasteria Monialium cum tribus matronis eligendis quæ variari non possint nisi in casu mortis earum, non potest hic casus extendi ad alios similes v.g. cum aliqua illarum ægrotat; vel non vult comitari. Bordon. Etsi sic extendat Pellizar. Item cum in eâdem concessione additur vt tribus solùm vicibus in totum possint ingredi, si in concessione nominantur quatuor monasteria, posse tamen singula semel ingredi, docet Bordon. contra Pellizzar. qui vult ex illis quatuor posse solùm eligi tria quæ ingrediantur. *p.10.tr.14.res.* 29.

VIII. Non licet Episcopis permittere mulieribus ob suspicionem adulterij, vel rixas cum viris, vt in Monasterium se recipiant securitatis causâ, etsi periculum vitæ timerent. Portel & Rodriquez. Quidquid id permittat Azor. *p.3.tr.2.res.*130.

IX. Decretum Pij V. quo fit potestas Monialibus exeundi è Monasterio propter lepram, vel epidimiam seu pestem, potest extendi ad alios morbos illis similes. Quare potest illis concedi licentia exeundi, vt medeantur morbo à quo aliàs earum salus periclitaretur. Suarez & 8. *Ibid.*105. *&* *p.2.tr.15.res.* 23. Quamuis contraria sententia probabilior sit & communior. Sanchez & 6. *part.5. tract.* 3.*resol.*137.

X. Moniales subiectæ Regularibus vt egrediantur debent habere licentiam non solùm à Prælato Ordinis, sed etiam ab Episcopo, vel eius Vicario. Suarez & 6. Quidquid contradicat Rodriquez & 2. Aliàs possent tam ipsæ, quam Superiores qui exeundi licentiam dederunt, ab Episcopo puniri. Barbos.& 2.*p.*11.*tr.*2.*res.*24.

XI. confessarius Regularis, qui cum licentiâ accersitur, ad audiendam confessionem Monialis infirmæ, potest ingredi cum socio; hoc enim postulat decentia. Sanchez

& Mirand. Etsi contra sentiat Bonacin. Sed debet statim à confessione egredi. Sanchez. Erit tamen materia parua, si postea per quadrantem horæ immoretur, vt curiositatis causâ inuisat officinas, vel ex simili fine non malo. (Villalob.) Quamuis autem immoraretur diutiùs etiam ob finem malum, non tamen incurreret excommunicationem Gregorij XIII. quia lata est contra ingredientes fine licentiâ. Sanchez.*part.3.tractat.2.resol.51.* & *67.* & *p.4.tract.4.resol.90.*

XII. Decretum Pontificis, vel Cardinalis contra Regulares accedentes ad loquendum cum Monialibus, vbi est vsu receptum vltra pœnas appositas, obligat etiam sub mortali. Salas & 13. Etsi id neget Bordon & 2. quandò abest praua intentio, & probabile periculum peccati; quia in huius præsumptione fundatur lex prohibens accessum ad Moniales, quæ proinde cessat illis cessantibus. Sed hoc nullatenus est admittendum. Excusat tamen paruitas materiæ si aliqua tantùm verba dicantur vrbanitatis causâ, aut si quis dum ex licentiâ loquitur cum certâ Moniali loqueretur simul cùm aliis ex officio præsentibus. Pellizzar. & 2. Item si quis solùm per interpositam personam loquatur cum Moniali. *p.1.tr.10.ref.22.* & *p.3.tr.2.ref.104.* & *p.10.tr.13.ref.26.* & *tr.14.ref.52.*

XIII. Prohibitio colloquendi cum Monialibus extenditur etiam ad Conuersas, quæ ad clausuram tenentur Ianuar. Etsi hoc neget Vidal. *p.10.tr.14.ref.51.*

XIV. Licentia ingrediendi monasteria Monialium Regularibus subiectarum concedenda est ab earum Prælatis, & non ab Episcopo, iuxta Bullam Pij V. Suarez & 20. Iuxta declarationem tamen Cardinalium verbo facto cum Sanctissimo, requiritur etiam licentiâ Episcopi, non tamen pro ipsis Prælatis, sed pro Confessariis, & aliis. *p.10.tr.16.ref.43.*

XV. Licentia quàm Ordinarij iuxta decretum Vrbani VIII. concedunt Regularibus colloquendi cum Monialibus consanguineis, non extenditur ad eorum socios

quamuis id affirmet Pellizzar. & 5. Et si contingat habentem licentiam non posse accedere die signatâ, poterit aliâ quauis pro qua non est peculiaris difficultas, Pellizzar. Imò etsi sine causâ mutetur dies, non erit mortale. Bordon. Quod si colloquium sit cum Monialibus subiectis Regularibus, præter licentiam Episcopi requiritur etiam Superioris Regularis. Lezan. Sed non potest illa licentia concedi, etiam pro feriâ quartâ quatuor temporum (quamuis hoc affirmet Bordon.) quia mens legislatoris est, vt in diebus ieiuniorum qui orationi dicati sunt, ab illis colloquiis abstineatur. Quatenus autem decretum illud requirit vt colloquia illa fiant tempore limitato, & præsente Confessario earum, vel aliis auscultatricibus, non videtur vsu receptum, vel obligare sub mortali. Pellizzar. & Santorus. *part. 9. tractat. 7. resol. 33. 35. & 34. & p. 8. tr. 7. res. 60. & p. 10. tr. 14. res. 50.*

XVI. Licentiam illam non tenetur Ordinarius consanguineis concedere, nisi quando necessariò debent accedere negotii alicuius causâ, & non solius visitationis. Bordon. Pro Nouitiis autem potest ea licentia concedi vltra casus præscriptos adinstar sæcularium. Portel. & Squillant. *p. 10. tr. 14. res. 50.*

XVII. Facultas colloquendi cum Monialibus indefinitè concessa non extinguitur primâ vice, etsi hoc affirmet Meroll. sed durat donec reuocetur. Ianuar. *p. 10. tr. 14. res. 54.* Neque est necesse eam facultatem habere scripto. *p. 3. tr. 2. res. 48.*

XVIII. Regulares accedentes ad Moniales ad explicandum aliquem casum conscientiæ, non incidere in pœnas decreti Sacræ Congregationis docet Pellizzar. & 3. Sed etsi ex auctoritate horum DD. excusari possint à peccato in foro conscientiæ; in foro tamen externo puniri possent ab Episcopo. *part 9. tractat. 7. res. 54. & part. 3. tract. 2. resol. 104.*

XIX. Regularis accedens ad Monasterium Monialium sine licentiâ, non incurrit excommunicationem ab

Episcopo latam; propter priuilegium quo Regulares eximuntur ab excommunicatione Episcopi. Suarez & 2. Alij tamen volunt eam incurri; eò quòd Episcopus in hoc procedat vt delegatus Sedis Apostolicæ. Ianuar. & 4.p.3. *tr.2.res.103.& p.10.tr.14.res.53.*

XX. Excommunicatio ab Episcopo lata contra accedentes ad monasteria Monialium an liget accedentes ad monasteria exempta? disputatur. Ligare, si feratur contra accedentes: quòd hoc fiat in territorio: non ligare, si feratur contra loquentes cum Monialibus; quod hoc fiat in loco exempto, docet Bonacin. & Bariol. Sed absolutè non ligari, docent probabiliter Leone & Vidal. Contrarium tamen est probabilius. Barbos. & 10.*part.5. tr.9. res.71.& part.10.tr.14 res.48.*

XXI. Incurrit in excommunicationem qui sine licentiâ Ordinarij loquitur cum Moniali, hac nihil respondente. Meroll. (Etsi contrarium doceat Vidal. & Ianuar.) non autem qui tacitus audit Monialem sibi loquentem. Item incurrit eam qui solis nutibus & signis, (Graffius) non tamen qui per interpretem loqueretur eâ linguâ quam ipsa non intelligeret. Pellizzar. & 3. Denique generatim ab eâ excipiuntur I. pueri ante annum 14. completum. II. Episcopi non tamen Canonici Ecclesiæ cathedralis, vt vult Vidal. III. colloquentes cum Nouitia, vel Abbatissa, hæ enim in odiosis non veniunt nomine Monialium. IV. loquentes per internuntium, vel epistolam. V. si collocutio sit de rebus indifferentibus per spatium vnius *Miserere*, vel paulò ampliùs, ratione paruitatis materiæ excusat ab excommunicatione. VI. si quis loquatur ex domo viciná monasterio cum Moniali existente in claustro; quia lata est in accedentes ad monasteria. VII. aduenæ & peregrini non incurrunt eam censuram Episcopi etsi colloquantur cum Monialibus Episcopo subiectis: Contrarium autem est quoad exemptas; nam quoad has in ordine ad clausuram, & consequenter ad collocutiones, Episcopus procedit vt delegatus Summi Pontificis *p.3.tr.2.res. 48. & p.10. tr. 14.*

tr.14.res. 49. 51. & 53. Docet etiam Sanctorus Regularem posse sine licentia loqui cum matre, vel filiâ Moniali; eò quòd hic casus sit nimiùm exceptus, & in quem nulla cadat suspicio. De quo tu cogita. *p.8.tr.7.res.60.*

XXII. Introducentes feminas in monasterium, incurrunt in excommunicationem & pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa; non tamen absque Iudicis sententiâ. Sanchez.*p.3.tr.2.res.66.*

XXIII. Episcopi vel eorum Vicarij speciale ad hoc mandatum habentes possunt pro clausuræ visitatione ingredi septa monasterii Regularibus subiecti, sepositâ etiam suspicione violatæ clausurę. Barbos.& Garzia ex declaratione Sacr. Congregationis. Etsi contrarium doceat Bruno.*p.11.tr.2.res.15.*

XXIV. Potest Episcopus vigore Concilii Tridentini absoluere ab excommunicatione eum, qui Monasterium ingressus cum sacrâ virgine peccauit. Sanchez & 5. Et à suspensione quam incurrunt Regulares admittentes ad sua monasteria feminas, dummodo ea sint occulta. *p.2.tr.16.res.33.& p.7.tr.2.res.22.*

Vide *Regulares.*

Mutuum.

I. Filius familias qui sine licentiâ patris, sub cuius potestate est, mutuum accepit in pecuniâ, non tenetur hoc restituere: secus si in aliis rebus accepit v. g. in frumento; vel si habet peculium castrense, aut quasi castrense; vel si in rem patris versum sit mutuum; vel si accepit ad sumptus necessarios, quos ipse pater fecisset; vel si creditor putauit eum esse emancipatum, quia pro tali se gerebat: Aliàs in vtroque foro non tenetur. Molin & 6. Etsi pecuniæ versæ sint in ipsius vtilitatem. L[illegible]ar. Nisi iurauerit se soluturum. Lessius. Etsi hoc etiam neget VVading & 4. Neque potest filius illo priuilegio cedere. Lessius.*p.8.tr.7.res.7.& p.9.tr.9.res.13.*

II. Qui dat mutuum : potest pascici cum mutuatario vt statim sibi lucrum reddat ex illo mutuo , his duobus modis. I. mutuando v.g. 100. aureos eâ lege , vt statim mutuatarius reddat 9. ratione lucri cessantis ex 91. quos ipse retinet : quod facere potest sine vsurâ; quia nihil est aliud quàm mutuare 91. cum interesse , & alios 9. sine interesse, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum interesse prouenìens ex 91. quos mutuatarius accepit mutuos. Lessius. Aliud esse sit lucrum cessans soluendum esset ex ipsâ pecuniâ mutuata pro qua illa compensatio exigeretur ; tunc enim exigeret lucrum cessans ex 100. cùm non cessaret nisi ex 91. quod est iniustum. Lessius & 6. II. modus est, si mutuans non accipiat illud lucrum cessans ex ipsâ pecuniæ summa; sed in oleo, frumento, vino, &c. Salas & Azor. *p.2.tr.15.res.50.& p.11.tr.7.res.25.*

III. Potest mutuans aliquid exigere propter verum periculum amittendi debiti : quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuantis : idem est de venditore ad creditum. Salas & 3. *p.1.tr.8.res.37.* Quod si mutuanti notabile aliquod damnum emergat ex mutuo , antequam mutuatarius sit in morâ soluendi , non tenetur hic illud damnum resarcire; quia non accepit mutuum cum hoc onere. Lessius & 3. *Ibid.res.71.*

IV. Non licet mutuanti percipere lucrum cessans ex mutuo si aliunde compensatur alio lucro quo mutuans careret, si non mutuaret. Molina & 2. *Jbid.res.34.*

V. Potest quis in mutuo pacisci de certa aliqua summa pro lucro incerto quidem, sed tamen probabili quo se priuat v.g. ex negotiatione. VVading. & 3. Non potest tamen exigere tantum quantum sperabat; quia minoris valet spes, quam res. Vt autem sciatur quantum possit exigi ratione lucri cessantis, hæc statui potest regula : vt qui mutuat tantum remittat ex lucro cessante , quantum ipse daret alteri qui ipsum redderet securum de toto lucrum sperato, in seipsum suscipiens quidquid est periculi v.g. si quis speraret 15. pro 100. & libenter daret 5. pro assecura-

tione,debet tantùm accipere 10.pro lucro cessante. Lessius & 2.p.11.tr.7.res.24.& 25.& p.1.tr.8.res.64.

VI. Possum exigere lucrum cessans etsi ipse nondum decreueram negotiari, sed dubius etam, quia priuo me ista potestate negotiandi. Lugo.p.11.tr.7.res.24.

VII. Ex lucro certo vel probabiliter sperato non tenetur mutuans deducere æstimationem laboris quem debuisset impendere lucro illi acquirendo; nam sæpe hic æquiualet lucro acquirendo v. g. in agricolis. Molin. & 3. Etsi contrarium doceat Tolet.& 6.p.11.tr.7.res.25.

VIII. Mutuator tenetur fructus ex pignore perceptos computare in diminutionem sortis, nisi ratione lucri cessantis, aut alio iusto titulo possit eos sibi retinere. Molin. & 6. Quod verum est etiam cum modici sunt fructus, & ex pignore quod Dominus colere non intendebat Molin. & 4. Quod immeritò negant Sotus & Sà. Excipe I. cùm res emphyteutica, vel feudum oppignorantur Domino directe, ex *cap.1.de feudis*. II. cum gener percipit fructus ex pignore dato pro dote nondum solutâ ex *cap. salubriter. de vsur.* III. si pignus accipiatur per emptionem cum pacto de retrouendendo. *p.11.tr.7.res.26.*

IX. Quando Reges in Reipub. necessitate pecuniam à subditis accipiunt dando in pignus aliquam ciuitatem: non solent fructus inde percepti computari in sortem; siue quia ciuitas illa tunc venditur cum pacto de retrouendendo: siue quia ibi admiscetur translatio dominii vtilis, vnde impropriè illa dicuntur pignora. VVading, *Ibid.*

X. Si quis mutuas dedit alteri pecunias cum obligatione non repetendi ante biennium, posse aliquid accipere ratione illius obligationis non repetendi, affirmat Ledesm. & 4.& non improbabile dicit Trullench. Sed contrarium est tenendum. *p.1.tr.8.res.48.& p.5.tr.13.resol.50.& p.8.tr.7.res.63.& p.11.tr.1.res.25.*

XI. Qui nouit valorem pecuniæ breui minuendum, potest illam alteri mutuare cum pacto, vt eam sibi restituat iuxta valorem quem tunc habebit. Bonacin. & Re-

ginald. *part.* 1. *tractat.* 8. *resolution* 25.

XII. Factâ mutatione monetæ eo tempore quo quis habuit mutuum, debet hoc reddi secundum æstimationem quæ est eo tempore quo redditur, ita vt incrementum monetæ debitoris lucro; decrementum verò eiusdem damno cedat. Couarr. & 9. contra Bartol. & 9. Neque necesse est vt eiusdem generis nummos reddat, sed pro aureis simpliciter datis, potest reddere argenteos, quia restitutio fit secundùm valorem, non secundùm speciem. Menocg. & 8. Etsi id neget Couarr. & 5. *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 18. & 19.

XIII. Quando mercator non vult mutuare, sed creditò merces offert, & vendit summo pretio, vt emptor eas vendat cui voluerit, potest ille ipse mercator eas statim redimere pecuniâ numeratâ, prætio medio, vel infimo, modò non intercesserit pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo, & modò intra limites iusti pretij consistat. Lessius & 7. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 33. & 58.

XIV. Qui sumpsit mutuum sub vsuris, non potest posteà partem illius mutui alteri mutuare cum pacto soluendi sibi partem proportionatam illarum vsurarum. Castropal. & 2. Contrarium tamen probabiliter docet Molin. & 4. *p.* 11. *tr.* 7. *res.* 24.

Vide *Vsura*.

N.

NOVITIVS.

I. SI quis breui tempore in sæculo manens sua debita soluere possit, putà, intra biennium, tenetur differre ingressum in religionem: sin minùs potest statim ingredi non obstante Bullâ Sixti V. Quòd si post ingressum aliqua hereditas, legatum vel donatio illi obueniat, tenetur Monasterium creditoribus satisfacere, non tamen Religiosus laborare, vt inde iis satisfiat. Sanchez & 3. *part.* 3.

tractat.2.resol.41.& part.4.tractat.4. resol.82.

II. Puellas destinatas Religioni posse admitti in Monasteria ante annos discretionis. Docet Portel. Negat Azor & Rodriquez ante annos pubertatis posse admitti *p.3. tract.2.res.131.*

III. Puella duodennis potest suscipere habitum religiosum. Azor & 3, Sed ante professionem,et iam monasterij exempti,debet Episcopi vnum examen subire sub mortali tam receptæ,quàm recipientis,non tamen duo , vnum ante susceptionem habitus , & alterum ante professionem, etsi Tridentinum ita exigat;quia vsu & consuetudine aliter receptum est.Sanchez & 2. *Ibid.res.47.*

IV. Nouitium sequestrare à Religione vt examinetur eius voluntas , spectat ad auctoritatem ecclesiasticam , ad quod debet præcedere iusta causa v. g. quod constet ipsum fuisse deceptum, vel leuiter motum cuius probatio incumbit iis qui egressum eius vrgent.Fagund. *part.11.tractat.5.res.20.*

V. Potest admitti Nouitius omissis informationibus, si notus est.Et quamuis admittatur ignotus , non incurruntur pœnæ Bullæ Sixti. V. quoad forum internum , si Nouitius careat illis defectibus. Pellizzar.& *3.p.3. tract.2. res.82.& 83.& p.9.tr.8.res.54.* Sed informationes illæ non spectant ad Nouitios laicos,siue Conuersos. Bordon. Sumi tamen debent etiam de Religiosis militaribus cum Religionem claustralem ingredi volunt. Bordon. & Vecchius.Quæ vera sunt iuxta decretum Clementis VIII. etsi Nouitius non sit maior 16. annorum. Quod decretum tamen solùm est pro Italiâ,& Insulis adiacentibus.Secundùm quod etiam sufficit eas sumere ante professionem, modò in ingressu iurarit Nouitius se illis defectibus carere Sed ex decreto Sixti V. sumendæ sunt ante ingressum modò sint maiores 16. annis. Pellizzar. Quando autem aliquis venit ex remotissimis regionibus , ita vt informationes sumi non possint,sufficit eius iuramentum , Lezan. *&,4.p.9.tr.8.res.54.*

VI. Professum qui loquitur cum Nouitio contra Magistri voluntatem peccare mortaliter, docet Peyrin. Sed sine aliquo fundamento. *Ibid.tr.7.res.1.*

VII. Non potest Prælatus Regularis excommunicare Nouitium; quia non potest suo præcepto illum obligare: etsi contrarium doceat Bordon. Potest tamen pœnam aliquem pro delicto imponere, eiusque executionem præcipere sub excommunicatione. Item quando Pontifex aliquid sub pœnâ excommunicationis statuisset, posset Prælatus eam fulminare contra Nouitium delinquentem. Sanchez & 3.*p.9.tr.8.res.59.*

VIII. Quilibet Confessarius etiam sæcularis ab Episcopo approbatus, potest absoluere Nouitium regularem, etiam à peccatis in Religione reseruatis; quia Nouitii sunt veluti sæculares. Decretum autem Clementis VIII. contrarium statuentis non est sumendum per modum præcepti, sed per modum regulæ & consilii. Azor & 16. Neque hinc sequitur omnia decreta Pontificem posse sic explicari; vt infert Caram. cùm quædam sint verè præceptiua. Gaudent tamen Nouitii omnibus priuilegiis Religioni concessis. Suarez & 5.*p.3.tr.2.res.4.&73.& p.4.tr.4.res.5.& p.11.tr.1.res.15.*

IX. Non interrumpitur annus Nouitiatûs per egressionem è monasterio cum licentiâ Superioris, etiam per maiorem partem anni. Sanchez. Imò etsi toto probationis anno extra Conuentum apud sæcularem mansisset. Azor. Etiamsi licentia illa illicitè data esset à Superiore. Suarez. Imò & sine licentiâ, si retento habitu perterritus seueritate, vel iracundiâ Superioris abditè exeat causâ se celandi, modò habeat animum redeundi. Galuan. Quamuis in his contrarium doceat Nauar. & consequenter professionem ex qualibet eiusmodi absentiâ esse inualidam. Quod si quis dimisso habitu exeat, vel cum animo non redeundi, censebitur interruptus nouitiatus, etsi eodem die pœniteat. Suarez & 4. Vnde requiritur continuatio physica & non tantùm moralis, qualis est si per vnam

vel duas horas interrumpatur Pellicion. Etsi hoc neget Lessius & 6. Priuilegium autem Minoribus concessum vt nouitiatus interruptus possit continuari, reuocatum est per Tridentinum *sess.* 25. *de Regular. c.* 25. Villalob. & 2. *par.* 3. *tract.* 2. *res.* 84. & 89. & *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 19. & *p.* 7. *tr.* 11. *res.* 38. & *p.* 9. *tract.* 9. *res.* 67.

X. Nouitius qui redit ad sæculum non tenetur ad expensas quas in eo alendo monasterium fecit; quia redditus, & eleemosynæ monasterii sunt etiam ad alendos Nouitios. Sanchez & 17. *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 16.

XI. Nouitius recedens à Religione non reincidit in censuras, & irregularitates, à quibus in Religione fuit absolutus. Suarez & 2. *Ibid. res.* 44.

XII. Absque iustâ causâ retrahens aliquem à Religione peccat mortaliter Nauar. Etsi id neget Filliuc. nisi in raro casu. Qui autem vi, vel fraude id faceret, teneretur Religioni restituere quanti valebat spes commodi quod ex eius professione sperabatur: nisi tamen tempestiuè fraudem aperuerit, & sic alterùm suæ restituerit libertati. Lessius. Qui verò professum sine vi vel fraude à Religione auertit, ad nihil tenetur Religioni. Malder. & 4. *part.* 11. *tract.* 3. *res.* 22.

XIII. Nouitius etiam FF. Minorum, aut Capucinorum potest in suo testamento sibi reseruare electionem puellarum quibus suus heres soluere debet quotannis certam pecuniam, cum licentiâ tamen Superioris. Potest item Religiosus suum testamentum ante professionem factum declarare, si est dubium. Reginald. & 4. *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 74. & 75.

XIV. Si quis ingressurus Nouitiatum aliquid donauit ante habitûs susceptionem, factum tenet; quia nondum erat Nouitius. Concilium autem Tridentinum *sess.* 25. *c.* 16. solùm vetat, ne Nouitius donet Sanchez & 5. *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 55. & *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 87.

XV. Donatio causa mortis facta à Nouitio tempore nouitiatûs valida est, non obstante decreto Tridentini

sess.25.c.16.de reform. sicut & testamentum; quia hæc non est renuntiatio. Homobon. & Vecchius. Idem est de donatione remuneratoriâ. Fagund. *p.8.tr.6.res.86.& 121.*

XVI. Quando Pontifex dispensat cum Nouitio vt ante finitum annum nouitiatûs emittatur professio, potest etiam tunc bimestri ante illam professionem bonis renuntiare. Meroll. Etsi contra sentiat Sanchez. Licentiam autem illam renuntiandi bonis intra illud bimestre potest concedere Capitulum Sede vacante, sicut potest Episcopus. Sanchez & *2.p.8.tr3.res.23.& tr.4.res.53.*

XVII. Vt valida sit, professio complendus est annus nouitiatus de momento ad momentum, vti & annus decimus sextus. Suarez & 20. Quamuis sufficere vt vltimus dies sit inchoatus, doceat Henriquez & 2. Et Caram. quamuis desint 5. vel 6. horæ; eò quòd omnia præcepta Ecclesiæ non mathematicè: sed moraliter intelligantur. Sed non est discedendum à contrariâ sententiâ Imò si annus compleatur 24. Februarii anno bissextili, non poterit emitti nisi 25. Februarii eo punćto diei quo antè susceperat habitum die 24. quia vtraque illa dies pro vnâ habetur in iure. Molin. & *3.p.3.tr.2.res.57.& p.5.tr.5.resol.18.& p.7.tr.11.res.15.& p.9.tr.9.res.67.* Est tamen probabile diem illum intercalarem computandum non esse, tam in ordine ad ætatem Ordinandorum, quam ad professionem, quæ proinde emitti posset eodem illo die 24. Februarii. Barbos. & *3.p.10.tr.11.res.67.*

XVIII. Potest Nouitius in articulo mortis quouis tempore anni nouitiatûs, etiam solùm inchoati per aliquot dies, admitti ad professionem modò habeat 16. annos; & si moriatur, monasterium ab intestato succedit in bona ipsius; quia non decedit Nouitius. Sanchez & 5. Vnde nec debet posteà de nouo profiteri si conualescat. Etsi in his omnibus contraria sententia sit communior. *p.3. tr.2.res.17.& p.5.tr.3.res.139.& p.7.tr.12.res.3.*

XIX. Quando Coniux primo bimestri ante consummatum matrimonium transit ad Religionem, non requiri-

integrum annum nouitiatûs, sed posse intra illud bimestre professionem emittere, docet Nauarr. Et probabile dicit, etiam vbi Tridentinum est receptum, Præpos. Sed communiter contrarium docent. *p.4.tr.4.res.133.*

XX. Quando quis transit de vnâ Religione ad alteram, non requiri integrum annum nouitiatûs, sed hoc relinqui arbitrio contrahentium, nec aliquid circa hoc statutum esse è Concilio Tridentino docet Caram. Sed praxis est contraria, & communiter DD. Sanchez & 2. Quod verum est etiamsi transitus fiat ad Religionem laxiorem: imò & respectu eiusdem Religionis, vt si Capucini transeant ad Zoccholantes strictioris obseruantiæ. *part. 7. tr. 11. resol. 25.*

XXI. Valet professio eius qui partem anni nouitiatûs egit vt laicus, & eundem perfecit vt Clericus; quia sufficit quod per annum vixerit in Religione sub obedientiâ Prælati. Lezan. & 4. Item non obstat si nouitiatus factus sit partim in vno Conuentu, partim in alio eiusdem Ordinis; quia per illum transitum non interrumpitur: nisi id fieret sine licentiâ. Contrarium affirmat. Syluius. Sed si in secundo non fuisset nisi per tres vel quatuor menses, deberet ad professionem requiri consensus vtriusque monasterij: secùs si æqualiter in vtroque mansisset. Pellizzar. & Bordon. *p.9.tr.6.res.12. & tr.7.res.44.*

XXII. Professio aliquot mensibus post annum nouitiatûs emissa, est valida. Possuntque Superiores post annum expletum, differre professionem iustam ob causam. Rodriquez & Riccius. *p.3.tr.2.res.128.*

XXIII. Simplex Religiosus potest de licentiâ Superioris alium admittere ad professionem. Villalob. & 2. *Ibidem resol.70.*

XXIV. Professio Nouitij admissa contra prohibitionem Generalis, vel Episcopi, valida fuit, modò nec adfuerit decretum irritans: nec dictæ professionis reseruatio Sanchez & 8. quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Imò quamuis Generalis prohibens vteretur

verbo *non possit*, & tamen Prior professionem illam admitteret, non est certum eam fore inualidam; quia non est vniuersaliter verum verbum *non possit* inducere nullitatem actûs.*p.10.tr.12.res.6.& 7.*

Nuptiæ.

I. SAbbatho integro ante primam Dominicam Aduentûs nuptiarum solemnitas non est prohibita; sed prohibitio incipit à mediâ nocte, (etsi Sanchez & 2. velint incipere à primis vesperis Dominicæ.) qui à mediâ nocte incipit prima Dominicâ Aduentûs; vt fer. 4. Cinerum incipit etiam à mediâ nocte. Pontius & 4.*p. 3.tr.4.resol.202.& in Addit.3.p.res.26.*

II. Non videtur peccatum mortale tempore Aduentûs & Quadragesimæ traducere sponsam solenniter in domum sponsi,& celebrare conuiuia;sic enim consuetudine receptum est, conniuentibus Prælatis. Sanchez & Villalob. Etsi id neget Pontius.*p.3.tr.4.res.266.*

III. Si coniuges ante benedictionem matrimonium consummnent, ne venialiter quidem peccant.Layman & 2. Si verò ante denuntiationes factas contrahant, peccant mortaliter, vti & Parochus tali matrimonio assistens. Sanchez & 2. Non tamen est irritum. Villalob. & 7.At si denuntiationes ante nuptias factæ non fuerunt, faciendæ sunt ante consummationem matrimonij, nisi Episcopo videantur prætermittendæ. Layman. *Ibidem resol.* 240. *&* 241.

IV. Vt mulier transire possit ad secundas nuptias, non sufficit præsumptio vero similis de morte viri: si tamen persuasio esset valdè probabilis,& iustissima credendi causa,non peccaret,si bonâ fide ad secundas nuptias transiret, quia in moralibus sufficit probabilissima, licet non omninò certa opinio.Layman. *part.3.tr.4.res.214.*

V. Cæremoniæ in secundis nuptiis adhiberi non possunt temporibus ab Ecclesiâ prohibitis; quia pertinent ad

solemnitatem nuptialem, licet non adhibeatur benedictio nuptialis, quæ sine mortali omitti potest. Pontius. *Ibidem resol.265.*

VI. Mater transiens ad secundas nuptias tutelam filiorum amittit, non tamen ante consummationem secundi matrimonii, per quam nuptiæ solum perfectæ sunt. Imò etsi maritus eam reliquisset tutricem etiam in casu secundarum nuptiarum expresso, deberet tamen à Iudice tutela ipsi auferri. Castropal. Etsi vtrumque hoc neget Sanchez. Eodem modo debet per Iudicem amoueri ab educatione liberorum: quia eadem in vtroque est præsumptio iuris de iniquâ administratione, vel educatione. Castropal. Non tamen priuatur educatione liberorum ipso iure ante sententiam. *p.10.tr.13. ref.12.*

VII. Pater tenetur dotare filiam etiamsi aliunde diues sit v.g. ex bonis maternis, vel aduentitiis. Fragos. & 5. (etsi multi contrarium doceant. Bartol. & 4.) quod verum est etiam quoad filiam emancipatam. Castropal. & 3. Etsi nupserit Patre inconsulto. Bald. & 3. Imò etsi nupserit indigno. Ripa & 3.*p.11.tr.4.ref.24.*

VIII. Pater filiæ naturali aut spuriæ tenetur dotem constituere iuxta quantitatem alimentorum ad quæ iure naturali tenetur. Barbos. & 5. Non tamen si aliunde habeat, aut arte vel viribus polleat quibus ea comparare possit. Barbos. & 2. Quod si maiorem dotem dederit, poterit eam stante matrimonio repetere. Palacios. Dos autem data non transit ad heredes filiæ spuriæ, sed hoc mortuâ ad Patrem, si res extet, reuerti debet. Rebell. *Ibidem resol.25.*

IX. Auus paternus tenetur dotare neptem si Pater id non possit, saltem si illa in ipsius sit potestate, etsi ipsa diues sit. Castropal. Præ illo tamen tenebitur ad hoc mater si diues sit. Frater etiam tenetur dotare sororem ex eodem patre; etsi non ex eâdem matre: si aliunde dotem non habeat: vterinam verò sororem iuxta qualitatem alimentorum. Castropal. Non tamen si mater eius aut auus

paternus, aut maternus possint illud præstare. Castropal. & Rebell. Patruus autem non tenetur dotare sobrinas, imò nec alimenta præstare. Rebell. & 2. *Ibid. resf.* 26

X. Mater etsi per se loquendo filias dotare non teneatur, tenebitur tamen si earum pudicitia periclitetur, & aliunde dotem non habeant, Molin. & Rebell. Item si mater sit hæretica, & filia catholica, tenebitur hanc dotare vsque ad legitimam portionem, etsi vel ex Patre, vel aliunde dotem habeat, idque in fauorem Religionis. *l. Cognominis. C. de Hæretic.* Filius verò numquam tenetur dotare Matrem secundò nubere volentem; quia hoc cedit in iniuriam filij, & patris eiusdem. Rebell, & 5. *Ibid. resf.* 27.

XI. Dona quę à consanguineis dantur in nuptiis, si dentur vtrique sponso, fiunt communia: si vni solùm, huic soli acquiruntur, etsi donans esset vtriusque consanguineus. Quod si consanguineus sponsi donet sponsę, acquiretur sponso cuius intuitu datur, nisi sponsæ concederetur etiam dominium dati Molin. & 3. *Ibid. resf.* 28.

XII. Dona quę sponsus mittit sponsę, si ita exigua sint, vt si stante matrimonio darentur, censerentur donata & non commodata, etiam tunc absolutè donata censentur, secùs si ita pretiosa sint vt si stante matrimonio donarentur, censerentur solùm concedi ad vsum. Sanchez & Castropal. Quod si sponsa mittat etiam munera sponso animo donandi, tunc etiam censebitur hic sua absolutè donare, tamquam remuneratoriè. Sanchez. Idem est si in aliquo loco consuetudo sit vt illa absolutè donentur. *Ibidem resf.* 29.

XIII. Vestes & ornamenta quę in nuptiis à sponso dantur, præsumi debent collata in tempus matrimonii, & sic non debent censeri sponsalitia largitas, sed donari sponsę non vt sponsę, sed vt vxori. Gutierr. & 2. Sed in hoc pręcipuè consuetudo regionis est attendenda. *Ibid. resf.* 30.

O.

OBEDIENTIA.

I. NOn poteſt Generalis Ordinis Religioſi aliquem eximere ab ordinariâ iuriſdictione ſui Prælati localis: quia ſic eſſet ſubditus, & non ſubditus. Bordon. & 6. Etſi contrarium doceat Pellizzar. *p.9.tr.9.reſ.*38.

II. In varietate opinionum inter Superiorem & ſubditum, tenetur ſubditus obedire, niſi euidenter cognoſcat illicitum eſſe quod præcipitur. Vaſquez & 7. Contrarium tamen eſt probabile, numquam teneri, quando probabiliter iudicat illicitum eſſe, vel extra Superioris iuriſdictionem: quia non tenetur obedire, quando probabile eſt ipſum non eſſe obligatum. Sancius & Caſtropal. Quod ſi ſub opinione probabili eſſet Superiorem non eſſe legitimum non teneretur ſubditus obedire; quia tunc poſſeſſio Superioris eſt dubia. Vaſquez & 5. Quod tamen etiam probabiliter affirmat Sanchez. *p.2.tr.*13.*reſ.*10.*&* *p.*4. *tr.* 4. *reſ.*31. Quod ſi dubium ſit, an res præcepta ſit licita teneri ſubditum obedire docet Sanchez & 3. Negat Vaſquez. Quod ſaltem locum habet, quando quis obediendo timeret ſibi, vel alteri graue damnum. Quòd ſi dubium verſatur circa Superioris poteſtatem, non tenetur ſubditus obedire, etſi ille ſit in poſſeſſione ſuperioritatis. Vaſquez & Salas contra Sanchez. *p.4.tr.3.reſ.9.&* 8.

III. Concurrentibus duobus præceptis contrariis, ſi conſtare non poteſt magis de obligatione vnius quàm alterius, poteſt eligi obſeruatio alterutrius. Granad. *Ibid. reſol.*70.

IV. Non poteſt Superior etiam Generalis religionis præcipere ſubdito vt acceptet Epiſcopatum: quia illa non eſt materia obedientiæ religioſæ. Suarez & 5. *part.*6. *tract.* 8. *reſol.*33.

V. Poteſt ſuperior in re graui ſolùm ſub veniali obli-

gare.Suarez & 4. Etsi id neget Vasquez & 5. Idemque est de voto aut pœnitentiâ Sacramentali. Sanchez. Non tamen contrà potest superior in re leui obligare sub mortali,quantumuis intendat.Potest tamen præceptum in re leui obligare sub mortali ratione circumstantiarum quæ intenduntur.Suarez & 8. Quòd si in re absolutè leui imponatur præceptum sub mortali ; obligabit saltem sub veniali.Suarez & 2.*part.3.tractat.6.resol.91.& part.5.tract.5.res.47.& 48.*

VI. Omittere rem leuem præceptam ex contemptu formali, non est mortale : atque ideò nec inobedientia formalis in re leui est peccatum mortale.Lessius & 4. etsi contrarium doceat Suarez.) Idque etiam quoad legislatorem Diuinum. Sed hoc meritò negat Sanchez.*part.* 3. *tr.* 6.*resol.*72.

VII. Religiosus non obediens Prælato præcipienti sub obedientiâ, non peccat dupliciter contra obedientiam, & Religionem ; quia est vna tantùm malitia.Ledesm. *p.*1. *tr.*7.*res.*16.& *p.*3.*tr.*4.*res.*67.

Odium.

I. ALlocutio, & conuersatio non debentur omnibus ; sed tantùm inter se coniunctis. Salutatio anticipata nulli debetur, nisi iis qui dignitate præcellunt:Resalutatio, & responsio omnibus debentur ex virtute affabilitatis,præsertim conciuibus;illas autem omittere non est regulariter peccatum mortale nisi ratione scandali. Vnde infertur non esse certum, peccare mortaliter eum qui occurrentibus pluribus, inter quos est inimicius, salutat omnes ipso excepto ; quia potest illum prætermittere in significationem acceptæ iniuriæ ; non tamen in odium, aut vindictam.Lorca. *p.*2.*tr.*15.*res.*62.

II. Non salutare inimicum non est mortale,cum ita fit vt non appareat signum odii, vt si amicos etiam aliquos non salutet, aut cum iudicari potest non ex odio, sed ex

ingenti dolore ob acceptam iniuriam prouenire. Item licet optare mortem inimici vt vel ipsi melius sit,v.g.si non est conuertendus in melius : vel etiam vt mihi, vt si iniustè me est vexaturus,nec aliter possim illud euitare,Hurtad.Hæc tamen periculosa sunt.*p.5.tr.13.resf.89.*

III. Optare alicui mortem vt eius hereditate potiaris, non est mortale,neque odium : idemque est si quis de illâ gaudeat. Castropal. Vel etiam si quis sibi mortem optet vt liberetur à graui malo temporali.Sanchez & *2.p.3.tr.6.resf.84.& p.5.tr.14.resf.92.*

IV. Maledictio seu imprecatio alicuius mali non est mortalis nisi fiat ex animo , & plenâ deliberatione , & sit grauis mali Ex quo ferè excusantur quę ex irâ, aut prauâ consuetudine fiunt.Azor,*p.3.tr.6.resf.13.*

V. Vulneratus ab altero,vel offensus non potest absolui,nisi odium,& rancorem remittat , & signa eius externa : non tamen tenetur actionem iniuriarum remittere. Lessius & *6.p.5.tr.3.resf.103.*

VI. Etsi reus v. g. homicida offerat parti sufficientem satisfactionem , potest nihil ominus hæc reum deferre ad Iudicem : sicut etiam etsi Iudex pœnam capitis reo condonaret supposito consensu actoris, posset tamen hic exigere executionem sententiæ.Sed in vtroque hoc casu maximum est periculum ne affectus odii , & vindictæ interueniat.Arriag.*p.10.tr.16.resf.44.*

Officium.

I. OFficia sæcularia ex naturâ rei vendi possunt , cum his tamen circumstantiis. I. vt vendantur saltem dignis.II.vt pretio moderato.III. vt id fiat ob Reipublicæ necessitatem,vel vtilitatem. Lessius & *10.p.3.tr.5.resf.108.* Sed hoc soli Principi supremo licet , non autem substitutis , vt Proregibus. Et generatim omnis talis venditio multùm nocet Reipub. quia sic æquè indigni ea accipiunt atque digni: & qui emerunt plerumque eius exer-

citium vendunt, & suam potiùs quam Reipub. intendunt vtilitatem, etiam contra ius pauperum diuiti fauentes &c. Fragos. & 1.*p.6.tr.6.res.3.*

II. Qui habet licentiam à Rege transferendi officium in alium, potest cum expressâ, vel tacitâ eiusdem Regis licentiâ illud vendere. La Cruz. Qui tamen sine licentiâ venderet, non teneretur ad restitutionem pretii, modò habuerit licentiam illud transferendi. Ledesm. & Sotus *p.3.tr.5.res.*109.

III. Qui conuocantur ad electionem Magistratuum, & Officialium alicuius Reipublicæ, debent ante omnia præstare iuramentum de bonâ electione faciendâ, quod iuramentum obligat sub mortali. Qui autem eligunt indignos, non solùm peccant mortaliter, sed tenentur ad damna inde secuta. Couarr. & 4. Cùm verò plures sunt electi, & eorum nomina coniiciuntur in vrnam, vt ex illis vnus assumatur, si Prætor vnum pro alio legat, aut vnam chartulam aliis paulò grandiorem faciat, vt illam possit dignoscere, peccat mortaliter, propter iniuriam quam facit aliis, qui habent æquale ius ad illam dignitatem. Suarez.*p.2.tr.15.res.67.*

IV. Tenetur non tantùm talis Magistratus, sed etiam Princeps non solùm ad beneficia, & officia ecclesiastica, sed etiam ad sæcularia eligere digniores; nam cum tali onere, & implicito pacto permittitur ipsis electio. Lessius & 19. Sed contrarium est probabile. Vasquez & 4. Multò magis tenentur Proreges, & similes, pro officiis illis digniores Regi proponere. Valent. & 20. Neque pecuniam pro eo possunt accipere. *Ibid. & p.4.tract.4.res.172. & p.6. tr.6.res.2.*

V. Qui ex officio publico debent rem frumentariam Ciuitatis curare, debent frumenta emere eo tempore quo viliùs venduntur; quia tenentur ex iustitiâ rem Ciuitatis agere vtiliter. Neque possunt ea ciuibus posteà viliùs vẽdere quàm emerint: quia hoc cedit in damnum Reipub. Salas & 6.*p.2.tract.15.res.66.*

VI. Gu-

VI. Gubernatores & alii Officiales statûs Ecclesiastici habentes iurisdictionem temporalem, si à subditis accipiant munera præter esculenta quæ intra biduum consumi possint, incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam; & tenentur idem restituere, ante omnem sententiam, illi qui dedit, & prætereà alterum tantum dare pauperibus: sed hoc posterius probabiliter solùm post sententiam declaratoriam. Castrop. Etsi sententiam non requirat. Thesaur. *p.9.tr.8.res.42.*

Opinio probabilis.

I. QVamuis opinionem speculatiuè probabilem semper etiam esse talem practicè, negat Ouiedo & 3. Affirmat Sancius & 15. qui hinc infert Aduocatum posse in praxi tutò amplecti opiniones Antonii Fabri, Duareni, Cuiacij & similium iurisconsultorum. Quod an probabile sit, aliis considerandum relinquo. *part.8.tractat.1.resol.91.& part.9.tractat.6.resol.21.& part.2.tr.13.res.5.& 12.& p.10.tr.11.res.47.*

II. Licet relictâ opinione probabiliori, & tutiori: sequi probabilem & minùs tutam; quia prudenter agit qui ex opinione probabili operatur. Sanchez & 32.*p.2.tr.13.res.1.* Quare sic ministrantes Sacramenta non peccant contra reuerentiam Sacramenti, sed aliquando contra caritatem, *Ibid.res.2.*

III. Potest quis sequi tanquam probabilem, opinionem vnius Doctoris probi & docti, maximè si adducat aliquam rationem probabilem, & non sit contra opinionem communem. Sanchez & 11. Non tamen si ab aliis præsertim recentioribus reiiciatur Bresser. & 2. Neque eo ipso quo inuenitur impressa in aliquo Auctore etiam neoterico censeri potest probabilis: neque approbatio libri, approbat omnes eius opiniones. Marchant. *part.4. tr.4.res.30.& p.7.tr.1.res.23.& p.9.tr.7.res.60.*

IV. Non licet semper variare sequendo modo vnum,

modo alterum horologium tanquam sententiam probabilem;nam alias possent sic eludi multa præcepta v. g. si die ieiunii auditâ horâ 12. noctis inciperet quis comedere carnes, & posteà secundùm aliud horologium tardius, vellet se habere ieiunum & postridie communicare. Lugo. Quando tamen id bona fide esset factum, quia verè quis putasset diem esse finitam, & posteà audiret aliud horologium, vnde probabile fieret sequenti illo die non comedisse, posset communicare,ita vt tunc semper liceat variare sententiam probabilem quando eo non obstante seruatur probabiliter quodlibet præceptum occurrens, & nullum eluditur, sic posset quis in inceptione diei ieiunij sequi horologium tardius, & in finiendo eodem die sequi alterum celerius.Dicastill.*p.*10.*tr.*15.*ref.*29.

V. Præferenda est sententia fauorabilis suscipienti, sententiæ quæ fauorabilis est Sacramento, etiam in articulo mortis;quia Sacramenta sunt instituta in fauorem fidelium.Henriquez & 16.*p.*2.*tr.*13.*ref.*13.

VI. In his quæ pertinent ad fauorem, & vtilitatem interrogantis potest Doctor respondere iuxta aliorum probabilem opinionem,contra suam, vt illum eximat v.g.ab obligatione restituendi. Imò quando de benigniore sententiâ interrogatur, tenetur eam declarare. Sanchez & 2. *Ibid.ref.*14.

VII. Opinio probabilis, non iuuat ad lucrandas indulgentias, vel iubilæum si oppositum fortè sit verum: quia tunc non præstatur à parte rei opus præscriptum: sufficit tamen ad hoc vt quis tunc absoluatur à reseruatis.S.Faust. *p.*5.*tr.*12.*ref.*32. Est tamen probabile idem sufficere etiam ad lucrandas indulgentias: quia talis præsumi potest intentio Pontificis,sicut præsumitur talis quoad iurisdictionem.Leand.& 3. Contrarium tamen est probabilius. Bonacin.& 1.*p.*10.*tr.*11.*ref.*34.

Oratorium priuatum.

I. PEr Bullam Cruciatæ non conceditur facultas habendi oratorium priuatum. Garsias & Trullench: Quidquid affirmet Castrop. & 2. Imò neque Commissarius Bullæ potest eam licentiam concedere; sed solus Papa. Garsias & 2. *p.9. tr.1.ref.23.& 24.*

II. Per decretum Pauli V. sublata sunt etiam oratoria quæ sunt in aulis publicis Palatij ciuitatis, vbi Senatores conueniunt: Possuntque Episcopi punire in iis celebrantes post prohibitionem suam. Non comprehenduntur tamen eo decreto Capellæ carcerum publicorum. Ex decreto Congregationis Cardinalium. *Ibid. ref.35.*

III. Qui habet priuilegium oratorij in domo suâ, non potest eo ipso illud habere in villâ rurali, dum eò se confert, quia quod conceditur pro vno loco, non conceditur pro duobus. Meroll. & Bardi. Licet contrarium doceat Pasqualig. *Ibid. ref.22.& p.11.tr.5.ref.34.*

IV. Si in domo amplâ sint duæ familiæ quarum vterque Dominus obtinuisset priuilegium Oratorij, qui posteriùs impetrasset, impetrasset inualidè, propter clausulam: *dummodo in eâdem domo non sit alia licentia celebrandi* &c. nisi forte domus esset ita magna, & partes distinctæ, vt duæ domus moraliter censeri possent. Tamburin. & Bardi. Si tamen aliquis cohabitans Cardinali eam licentiam peteret, valeret; quia clausula illa intelligitur de duplici licentiâ ex concessione Pontificis: licentia autem Cardinalis est de iure communi. Lugo. *part. 11.tractat.5. resol.35.*

V. Clausula in concessione apponi solita *sine præiudicio iurium parochialium*, intelligitur de iure quod competit Parochis quoad administrationem Sacramentorum nempe vt in Paschate communicent in Parochiâ, & similia quæ Parochiæ debentur de iure. Quintanad. & Molfes. *p. 9. tr. 1. ref.15.*

Oo ij

VI. In oratoriis priuatæ domûs quæ tamen habent ingressum publicum omnibus patentem, potest Episcopus concedere vt celebretur: quia talia non comprehenduntur decreto Tridentini. *sess.* 22. *decret.de celebr.Miss.* Lezan. & 4. *Ibid. ref.* 21.

VII. Quamuis ex vi Concilij Tridentini possent adhuc Episcopi permittere in oratoriis priuatis celebrari quæ soli cultui Diuino sunt deputata: (Suarez & 9.) Nunc tamen id non possunt ob decretum Vrbani VIII. An. 1626. *Ibid. ref.* 42.

VIII. Approbatio loci pro oratorio habendo ex vi Bullæ Cruciatæ tempore interdicti, potest fieri per quemuis Episcopum, Castrop. & 4. Quando autem oratorium conceditur per breue Pontificium debet approbari locus ab Episcopo diœcesano. Pellizzar. Quod si Episcopus nolit approbare locum qui arbitrio boni viri decens est & idoneus, poterit in eo celebrari sine illius licentia. LaCruz & 3. Consultius tamen est abstinere, & Episcopum cogere per Superiorem. Censetur autem locus decenter ornatus, quando habet ea omnia quæ in rubricis Missalis requiruntur ad debitè celebrandum, vt sunt ornatus loci, præparatio altaris, & vestium ac vasorum, cum ornamentis aptis tempori. Nouar. *Ibid.resol.* 26. 10. *&* 11. *&* *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 76.

IX. Si priuilegiatus migret ad aliam domum in qua simile etiam est oratorium, non est opus nouâ approbatione Episcopi. Quintanad. Neque vmquam ad similia oratoria opus est aliquâ Episcopi benedictione. *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 12.

X. Qui habuit licentiam à Pontifice celebrandi in oratorio domus suæ Panormi, potest vti eodem priuilegio, si transferat domicilium Messanam; quia illud non est priuilegium locale, sed personale, vnde & finitur morte eius cui concessum est. Nouar. & 6. Quamuis etiam ad heredes transire velit Pellizzar, si concessio facta sit solitis illis verbis: *ac de Ordinarij ipsius licentiâ eius arbitrio duraturâ*, tunc

enim durat donec legitimè reuocetur. *Ibid.resol.7.& 17.& p.4.tr.4.res.208. & p.6.tr.8.res.11.*

VI. Quamuis in eiusmodi concessionibus vetentur plura sacra eodem die fieri in tali oratorio licebit hoc tamen per Bullam Cruciatæ. Bardi. Licentia verò vel approbatio ad celebrandum quæ in iisdem requiritur, sufficienter habetur per generalem approbationem celebrandi Missam. Pellizzar. *p.9.tr.1.res.5. & 16.*

XII. Nomine *familiæ* cui permittitur cum Domino in tali oratorio sacrum audire, non veniunt qui distinctim viuunt vt plures familiæ; etsi in eâdem domo. Neque nomine *hospitum* intelliguntur qui in eodem loco habitantes inuitantur ad prandium, sed soli exteri in eâ domo hospitantes. Bardi. Etsi in vtroque contrarius sit Pellizzar. in festis tamen maioribus quæ excipi solent, si quis ibi sacrum audiat, non satisfaciet præcepto. Garsias. Sed per Pascha & Pentecosten intelliguntur soli primi dies. Lezan. & 3. *Ibid.res.6. & 13.*

XIII. Nomine *domesticorum* qui per Bullam Cruciatæ possunt cum Domino in Oratorio audire Missam tempore interdicti, intelliguntur qui cum aliquâ subiectione in eâdem domo habitant. Sanchez & 3. Imò & qui extra domum habitant, si expensis Domini alantur. Castrop. Nomine verò *consanguineorum* intelliguntur omnes vsque ad quartum gradum tam lineæ rectæ quàm collateralis. Castrop. *Ibid.res.27.& 28.& p.5.tr.10.res.76.*

XIV. Quando licet in Oratoriis priuatis celebrare tempore interdicti, potest id fieri etiam absente domino coram eius familiaribus, vel domesticis. Castrop. & 4. Et quamuis in priuilegio excipiantur aliquot festiuitates maiores quibus ibi celebrare non liceat, per Bullam tamen Cruciatæ tollitur exceptio. Rodriquez & 4. Sed considerandum an huic non refragetur declaratio Cardinalium. *part.4.tractat.4.resol.13.& 76.& part.9.tractat.1.resol.12.& 14.*

XV. Quando Regulares celebrant in priuatis orato-

riis, possunt aliis ministrare Eucharistiam, non obstante prohibitione Episcopi. Suarez & 6. Suadendum est tamen ne his contradicentibus id faciant Lezan. & 3. Item potest sacerdos sæcularis in illis oratoriis ministrare Eucharistiam omnibus habentibus Bullam Cruciatæ. Castropal. Imò non improbabiliter quibusuis etiam aliis. Vasquez. *p.4.tr.4.res.14.&p.9.tr.1.res.8.& 9.*

XVI. Oratoria eiusmodi non gaudent priuilegio immunitatis Ecclesiæ; quia nec sunt loca sacra, nec immutabiliter dicata Diuino cultui. Sanchez & 3. *part.9.tract.1.resol.18.*

Ordinis Sacramentum.

I. ORdines minores esse verè Sacramenta affirmat D. Thom. & 7. Quod multi Canonistæ non improbabiliter ad primam etiam tonsuram extendunt. Sed negat vtrumque Vasquez & 4. Et secundùm hos potest Pontifex irritare illorum collationem factam ab Episcopis excommunicatis, vel suspensis. *p.8.tr.1.res.41.*

II. In ordinatione sacerdotis sufficit si tangatur calix cum patenâ, licèt non tangatur hostia, sicut non tangitur vinum Sotus & 10. Vel etiam si solus calix tangatur, etsi non tangatur patena superposita. Coninc & 10. Vel etiam sola patena, vel sòla hostiâ, Quintanad. Saltem sufficere etiamsi hostia ab Episcopo porrigeretur extra patenam, docet Præposit. sicut Christus Apostolis tradidit. Neque esse mortale, non tangere hostiam immediatè, docet Leand. Imò ad valorem Ordinationis non requiritur contactus realis & physicus: Layman & 6.) Sed satis est si ordinandus extensione manuum ostendat se ea ab ordinante acceptare. Vasquez & 7. Vnde posset in aliis Pontifex dispensare: etsi vix possit iusta causa dispensandi occurrere, Marchin. Sed quamuis reordinandus sit sub conditione qui solùm secundùm probabilem opinionem validè est ordinatus; non tamen qui calicem & patenam te-

tigisset, etsi non hostiam; quia talis ordinatio est satis certa Dicastill. & 3. De necessitate tamen præcepti tenetur saltem calicem & patenam tangere. Coninc, *p.2.tr.16.res.3.* *&p.3.tr.4.res.185.&p.6.tr.8.res.19.&p.8.tr.1.res.40.&p.10. tr.16.res.88. & tr.13.res.50. & p.12.tr.1.res.19.*

III. In Ordinatione non sufficit instrumenta tradi per Archidiaconum, vt vult Sà: sed debent immediatè tradi ab Episcopo ordinante. Suarez & 11. Debentque calix & patèna esse consecrata. Dicastill. & 4. Est tamen probabile hoc non esse de necessitate Sacramenti. Sanchez & 7. Vnde saltem sacerdotium sic susceptum deberet sub conditione iterari: sicut etiam si calix fuisset sine vino: vel si calix & patenta non fuissent immediatè tacta. *part.10.tracta. 15.resol.20 &tractat.11.resol.9.&tractat.13.resol.50.& part. 12.tr.1.res.47.*

IV. Quandocumque est vtrimque probabilis opinio de validâ susceptione Ordinis sacerdotalis aut Episcopalis, debet talis iterum sub conditione ordinari, ne omnes actus reddantur incerti. v.g. si Episcopus ordinans à paucioribus quam à tribus Episcopis est consecratus &c. Aliud est in Ordinibus inferioribus. Granad. & *5.part.5.tractat.13.resol.47.&tr.14.resol.64.& p.10.tr.13.res.50.& p.12. tr.1.res.47.*

V. Materia Ordinum non est determinatè instituta à Christo, sed solùm in genere vt conferrentur per aliquod signum sensibile. Lugo & 16. Ideoque potest Pontifex permittere vt Græci ordinent suos sine traditione instrumentorum & multa in consecratione Episcopi diuersa habeant. *p.6.tr.8.res.18.& p.8.tr.1.res.42.&p.10.tr.11.res.65.& p.12.tr.1.res.78.*

VI. Trâditur Sacerdoti initiando calix cum vino, & patena cum hostiâ; si tamen desit altera specierum, non est ordo iterandus ex necessitate: si enim potest vnam speciem consecrare poterit & aliam; quia hæc potestas non datur diuisim. Henriquez & *4.p.3.tr.4.res.* 186. Sed probabilius est contrarium. Turrian. & 7. Vnde si quis esset ita

ordinatus, deberet, saltem sub conditione, iterum ordinari. *p* 4.*tr*.4.*ref*.119.*&* *p*.6.*tr*.8. *ref*. 22.

VII. Ordinatio Sacerdotis constat ex duabus partialibus materiis: scilicet traditione calicis,& patenæ, per quam confertur potestas sacrificandi, & impositione manuum vnà cum verbis: *Accipe Spiritum sanctum*,&c. per quam datur potestas absoluendi, Vasquez & 6. Contrarium tamen probabiliter docet Valent. & 5. posteriora scilicet illa *Accipe Spiritum* S.&c. non esse de essentiâ ordinationis Sacerdotis, sed etsi omitterentur, tamen per priorem ordinationem habiturum etiam potestatem ad absoluendum, quantum est ex vi Ordinis. *part*. 3. *tract*. 4.*ref*.187.*&* *par*.9. *tract*.6.*ref*. 9.

VIII. Materia ordinis Diaconatûs est traditio libri Euangelij cum impositione manuum, Bellarmin. & 5. Subdiaconatûs verò traditio Calicis vacui, licet non consecrati,& patenæ item vacuæ superpositæ. Coninc & 7. *p*. 3. *tr*.4.*ref*.188.*&* 189. Posse verò Pontificem solo verbo ordinare Diaconos, vel etiam sacerdotes dicendo v. g. *esto sacerdos*, docent quidem Canonistæ. Sed absurdè. *patr*.8.*tract*. 1.*ref*.28.

Qui possint ordinari.

IX. Femina incapax est Sacramenti Ordinis. D, Thomas & 15. Posset tamen Pontifex dispensare vt primâ tonsura validè initiaretur; quia ea est ex solâ institutione Ecclesiæ. Idem dicendum de minoribus Ordinibus si hi non sint Sacramenta ex institutione Christi, sed solùm ab Ecclesiâ. Hurtad. quod non audeo vt improbabile damnare. *Ibid.ref*.39.*&* *p*.12.*tr*.1.*ref*.54.

X. Mulier in virum conuersa (quod sæpius factum est) etsi absolutè capax sit Ordinum, cùm iam vir sit, non potest tamen ad eos promoueri sine dispensatione Papæ ob maximam indecentiam. Lezan. & 2. Etsi contrarium docent Leand. Idem est de hermaphrodito in quo præualet se-

xus virilis. Suarez & 8. Quod si talis iam ordinatus sacerdos, vel Episcopus deficeret ita vt præualeret sexus femineus, inualidè exerceret actus sui Ordinis. Lugo. Etsi contrarium doceat Dicastill. *part.10.tract.13.ref.36.& par. 12. tr.1.ref.112.*

XI. Omnes Ordines, etiam Episcopatus validè conferri possunt infanti, vel amenti. Vasquez & 14. Etsi de Episcopatu id neget D. Thomas & 7. nisi fortè hi intelligant quoad iurisdictionem quæ sine vsu rationis accipi non potest. *p.8.tr.1.ref.32.& p.12.tr.1.ref.48.* Vt autem licitè quis ordinetur v. g. sacerdos sufficit primum diem anni 25. esse inchoatum, & sic de aliis Ordinibus: Imò etsi tantùm inchoaretur sub vesperam probabile est, posse illo die ante meridiem ordinari; quia vespera dici traditur ad mane, & facit vnum diem quo talis inchoat annum 25. Sanchez & 4. Quando autem ad ætatem requisitam deficiunt solum duo vel tres dies, posse Episcopum dispensare, eò quòd sit res parua, docet Zanard Sed tu cogita. *p. 2. tr. 16.ref. 27. & p.5.tr.5.ref. 17. & p. 9. tr. 9.ref.50,*

XII. Surdaster, vel qui vnâ aure est surdus nullo iure ab Ordinibus arcetur. Bonacin. & 4. Item Regularis etsi Latinam linguam minùs intelligat, potest ordinari etiam Sacerdos; quia illi non ordinantur ad curam animarum. Villalob. & 5. Qui autem solùm nosset legere vernaculè, posset initiari primâ tonsurâ. Sanchez & *2.p.2.tr.17.ref.20, & tract.16. ref.29.par.3.tr.2.ref.86. & p. 4.tr.2.ref.74.&. p. 5.tr.14.ref. 27.*

XIII, Quando Episcopus ordinat suum familiarem alienæ diœcesis, posse etiam cum eo dispensare in interstitiis, docet La Cruz & *4.p.3.tr.4.ref.* 190. Sed est declaratio Cardinalium contrarium statuens. Garsia & 6. cui propterea standum est. Posset tamen Episcopus beneficii in illis dispensare: sicut & in illegitimitate ad minores Ordines: quia ratione beneficij sufficienter fit subditus quoad illa tanquam annexa Ordinibus. *p.8.tr.2.ref.35. & 25.* Vt autem Episcopus cum aliquo dispenset in interstitiis re-

quiritur vtilitas, & necessitas Ecclesiæ, vt est cùm quis habet beneficium, vel Capellaniam cum obligatione celebrandi: item cùm quis in litteris, aut virtute magnos fecit progressus; talis enim vtilis futurus est Ecclesiæ. Castropal. & 4. Etsi Dicastill. non improbabiliter doceat quoad tonsuram & minorem Ordines id permitti libero arbitrio Episcopi, modò nihil cogat rationabiliter negare: Quoad alios verò Ordines sacros etiam Diaconatum, & sacerdotium, sufficere disiunctiuè necessitatem, vel vtilitatem. *p.4.tr.4.res.209. & p.6.tr.8.resol.23. & part.10.tract. 11.resol.10.*

VIV. Qui suscipit primam tonsuram, vel minores Ordines, cum intentione non adscendendi ad maiores, sed tantùm vt gaudeat priuilegio fori, & exemptionis à tributis, non peccat mortaliter, Sanchez & 15. *p.2.tr.16.resol. 20.& p.10.tr.16.res.61.*

XV. Etsi Episcopus in ordinatione, dum arcet impeditos, dicat se non intendere illos ordinare, nihilominus censendi sunt ordinati; hocque tantùm intelligitur de iis quos tales esse congnoscit. Præpos. Etsi contrarium sentiat Lugo. *p.5.tr.13.res.66.*

Quando conferendi Ordines.

XVI. Potest Episcopus conferre ex iustâ causâ maiores Ordines die Dominicâ sequenti sabbathum quo solent conferri, dummodo ieiunium sabbathi continuet vsque ad Dominicam. Henriquez & Villalob. *p.2.tr.16.resol. 28.* Quando verò Ordines permittuntur ex priuilegio conferri quibuslibet diebus festis, intelliguntur quælibet festa duplicia in Ecclesiâ, etsi non in populo. Præpos. & 6. Vel etiam semiduplicia. Villalob. & Rodriq. *1.p.5.tr.13.resol. 97. & p.9.tr.8.res.28.*

XVII. Potest Episcopus tribus vel quatuor conferre minores Ordines quolibet Dominico vel festo die. Henriquez, & 14. Etiamsi non sit festum de præcepto, sed tan-

tùm duplex in Ecclesiâ. Fagund. & 6. Sed ad duos solùm ordinandos id restringit San Iosph : & ad tres Leand. Prima autem tonsura quouis die, horâ, & loco dari potest. Neque illicitum est eodem die quatuor minores Ordines, & vnum sacrum suscipere, vbi vigeret talis consuetudo ante Tridentinum Villalob. & 4. Imò & seclusâ consuetudine id probabiliter licet. Vasquez & 8. Etsi plures negent. Sanchez & 17. *p.2.tr.16.res.28.&p.5.tr.10.res.36.& p.9.tr.6.res.58.&p.10.tr.11.res.66.*

Reordinatio.

XVIII. Quando defectus aliquis in Ordinatione fuit commissus etiam circa substantialia, non est necessariò tota Ordinatio iteranda, sed solùm supplendum quod omissum est, quando scilicet Sacramentum habet duas cæremonias essentiales distinctas quarum vna non pendet ab altera, vt in sacerdotio est impositio manuum, & traditio calicis & patenæ. Quæ suppletio etsi facienda sit ab eodem ministro, quando id fieri potest, hoc tamen non est absolutè necessarium. Henriquez & 4. Item fieri debet illis solùm temporibus quibus Ordines secundùm ius possunt conferri. Sanchez & 7. Etsi Granad. velit quolibet anni tempore posse suppleri; eò quòd solennitates Ordinationis non spectent ad suppletionem : vnde & quosdam excusare etsi hæc ab Episcopo fieret sine vestibus sacris. Cuius sententiam non audeo dicere improbabilem *p.12.tr.1.resol.50.&p.5.tr.14.res.63.* Imò posse omnes simul sub conditione iterari. docet Quintanad. *part. 9. tractat.8.resol.29.*

Vbi conferri possint Ordines.

XIX.] Potest Episcopus extra diœcesim suis subditis conferre primam tonsuram ; quia non est Ordo. Azor & 4. *p.4.tr.4.res.* 143. Quod si vel sciens vel ex affectata igno-

rantia eam conferat non subdito sine licentia, incurrit in pœnam suspensionis latam in *cap.eos.de tem.ordin.in6.* Barbos.& 4.*p.3 tr.4.res.*194.

XX. Qui habet dimissorias cum hac restrictione, vt possit ordinari à quocumque Episcopo in propria diœcesi ordinante, potest etiam sub ratihabitione ordinari ab Episcopo in aliena diœcesi de licentia Ordinarij Ordines conferente. Ledesm. *Ibid. res.*191.

XXI. Episcopus inuitatus ad conferendos Ordines in aliena diœcesi, an poterit tunc etiam ordinare alienos habentes dimissorias suorum Episcoporum, sine noua licentia Ordinarij illius loci; alij aiunt: Tolet.& 4.alij negant. Barbos.& Mirand.*p.4.tr.4.res.*144.

XXII. Episcopus qui ex concessione alienum subditum ordinat, potest etiam dispensare in impedimentis eius v. g. irregularitate; quia censetur simul concedi illud sine quo Ordines conferri non possunt. Auila & Henriq. Quamuis id neget Sanchez.*p.8.tr.3.res.*35.

Pœna malè ordinatorum.

XXIII. In constitutione Pij II. circa susceptionem Ordinum ante tempus, vel sine dimissoriis & licentiis necessariis, non comprehendi Regulares docet Sanctorus. Sed stante praxi Sacr. Pœnitentiariæ non est recedendum ab affirmatinâ sententiâ, quæ etiam communis est DD. *p.8.tr.7.res.*59. Sed quamuis aliquis ordinaretur Episcopus nondum expleto anno 30. non incurreret suspensionem in illâ constitutione latam contra ordinatos ante tempus; quia hæc tantùm fertur in promotos ante debitam ætatem ad reliquos Ordines sacros, non autem ad Episcopatum. Suarez & 5.*p.12. tr.1.res.*49.

XXIV. Puer quinquennis ab Episcopo initiatus primâ tonsurâ non incurrit suspensionem. Castropal. Neque fit inhabilis ad alios Ordines; cùm nullibi in iure hoc statuatur: sed Episcopus illam conferens puero ante septe-

stium suspenditur per annum à collatione tonsuræ. Castropal. & Leand. *p.11.tract.6.ref.8.*

XXV. Qui malâ fide suscipere Ordines ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis, vel extra legitima tempora præsumpserit, incidit in suspensionem: & si celebret, in irregularitatem ex constitutione Pij II. Auila & 2.*p.3.tr.4.ref.192.* Etsi Armilla & 2.negent illam constitutionem Pij II. esse vsu receptam. Saltem illam tantùm intelligi de Ordine sacro, non autem de minoribus docet. Nauarr. & 5. Sed contrarium est probabilius ex Tridentino *sess.23.c.8.de reform.* Non tamen incurrit qui id fecit ex ignorantiâ etiam crassâ, modò non sit affectata: neque irregularitatem, si bonâ fide ante legitimam ætatem ordinatus, adueniente posteà malâ fide celebret: peccat tamen mortaliter: sed potest exercere alios Ordines ritè susceptos. Henriquez & 2. Et vbi ætatem legitimam attigit, potest sine vllà dispensatione celebrare, vel exercere actum Ordinis bonâ fide suscepti. (Suarez & 4.) secùs si malâ fide suscepisset. Suarez & 3. Quamuis in vtroque casu id doceat Sotus & 2. Potest tamen Episcopus, & cum suis Superior Regularis, in eâ suspensione dispensare. Suarez & 2. Idemque est de irregularitate ob id contractâ. *Ibid.ref.182.& p.5.tr.10.ref.30.32.35.34.& 31.& p.11. tr. 4.ref.7.& tract.5.ref.2.*

XXVI. Clericus qui subdiaconatum suscepit cum falsis dimissoriis, siue suspensionem contraxerit, siue etiam irregularitatem, poterit tamen, quandiu delictum est occultum, dispensari ab Episcopo (Auila) vel per Bullam Cruciatæ (Castropal.& 7.) vel per priuilegia Regularium. Layman. & 4. nam talis irregularitas esset censura, & pœna Ecclesiastica, & ideo tollibilis. Lezan. & 14. *part. 11, tractat. 6. ref. 4.*

XXVII. Qui non seruatis interstitiis Ordines sacros etiam duos vno die suscipit, etsi peccat, non est tamen ipso facto suspensus. Suarez & Villalob. Neque ordinatus per saltum suspensus est ab Ordine malè suscepto, sed sus-

pendendus. Acugna. Plerique tamen contrarium docent; Nauar.& 16.Et potest Episcopus cum eo dispensare vt suscipiat Ordinem omissum, vt ministret in Ordine malè susceptо, & vt ad superiores adscendat, modò tamen ante dispensationem non ministrauerit in Ordine malè suscepto:quia tunc esset irregularis. Suarez & 6. Neque posset tunc Episcopus dispensare vt in eo posteà ministret, etiam post susceptum Ordinem prætermissum. Suarez & 9. Quamuis id affirmet Acugna. Qui tamen non susceptâ primâ tonsura suscepit minores Ordines non teneri eam posteà suscipere,affirmat de Fabris. Negat Syluius.*p. 5. tr. 10.ref.36.40.27.& 29.& p.6.tr.8.ref.29.*

XXVIII. Ordinatus cum patrimonio ficto,vt pote donato ea conditione, vt post Ordines susceptos restituatur donanti, peccat quidem mortaliter : non tamen incurrit suspensionem, neque tenetur ad restitutionem,(Tolet.& 10.)quia illa promissio de restituendo patrimonio est irrita,neque vllam inducit obligationem. Villalob.& 5.Contrarium tamen est probabile. Auila & 2. Eodem modo non incurret pœnas Subdiaconus qui ad alios Ordines adscendit titulo patrimonij cui tamen iam renuntiauit, nam & illa renuntiatio est nulla etiam in foro conscientiæ.Sanchez.*p.3.tr.14.ref.184.& p.2.tr.16.ref.5.& p.4. tr.4. ref.52.& p.8.tr.6.ref.135.*

Titulus Ordinandorum.

XXIX. Sufficit ad titulum patrimonij census redimibilis. Castrop. & 7. Sed si redimatur, obligari debet al. Episcopo ad alium censum ex ea pecunia constituendum. Item sufficit si ab alio donetur, sub conditione vt cesset simul atque ipsi sufficienter erit aliunde prospectum. In actu tamen quo posteà renuntiatur, debet interuenire Episcopus vt iudicet an sufficienter illi prospectum sit. Et vniuersim cautè omnia illa patrimonia ab alio data, sunt admittenda ob multa incommoda quæ sæpe illa reddunt.

inania. Neque potest aliquis vmquam ordinari ad titulum siue patrimonij, siue beneficij de futuro, sed debet esse de præsenti, & quidem pacificè possessus iuxta Tridentinum *sess. 21. c. 2. de reformat. p. 9. tr. 8. res. 25.*

XXX. Non potest Clericus alienare patrimonium super quo ordinatus est sine licentia Episcopi, etiamsi aliunde acquisiuit beneficium, vel alia bona sufficientia ad victum. Præpos. & 4. Contrarium tamen est probabile. Azor & 5. Quod si illud alienet antè quam habeat vnde possit viuere, inualidus erit contractus. Molin. & 4. Etsi contrarium etiam probabile sit. Suarez & Ledesm. Bona tamen illa patrimonialia ad quorum titulum quis ordinatur, non per hoc fiunt bona Ecclesiastica: Sed gaudent priuilegio fori; quia sunt personæ Ecclesiasticæ. Imò non esse ea computanda inter bona legitimæ probabiliter docet Barbos. & 25. Etsi contrarium sit probabilius. Couarr. & 7. *Ibid. res. 23. & 24.*

XXXI. Si in patrimonio requisito ad Ordines modicum deficiat, nihil impedit: secùs si sit notabilis defectus: quales erunt 5. respectu 25. siue quinta pars. Sanchez & Nauar. *p. 5. tr. 5. res. 20. & p. 4. tr. 4. res. 52.*

XXXII. Graduatum in iure canonico vel Theologia posse ordinari sine alio titulo, aut patrimonio, docet Henriquez & 2. quia tali numquam deerit vnde viuat. Quod tamen negat. Sanchez & Sà. Posset fortè habere locum in Collegialibus alicuius magni Collegii vt Complutensis, aut Salmanticensis. *p. 4. tr. 4. res. 52.*

Obligatio Ordinatorum.

XXXIII. Initiati sacris obligantur ad continentiam, non ex iure diuino, sed ecclesiastico: Vnde posset Pontifex dispensare vt matrimonium contrahant. D. Thomas & Auersa. Probabiliùs autem obligantur ex solo voto, iure ecclesiastico sacris Ordinibus annexo. Vasquez & 4. Etsi probabile sit teneri ex sola constitutione ecclesiasti-

ea. Valent. Vel etiam ex vtroque illo capite. Coninc & 11. Hinc qui Ordines suscepisset cum expressa intentione non vouendi, si posteà fornicaretur, probabiliter non committeret sacrilegium; quia etsi teneretur vouere castitatem, nondum tamen vouisset Dicastill. *p.8.tr.1.res.72.& p.10.tr.11.res.12.*

XXXIV. Qui susciperet Ordinem nesciens annexum illi esse votum castitatis, tamen obligaretur, & inualidè contraheret matrimonium. Sanchez & 2. Etsi id neget Vasquez & 2. Imò etsi quis eum susciperet cum expressa intentione non vouendi castitatem, adhuc teneretur eam seruare. Sanchez & 3. Quod negat Vasquez & Pontius. *p.10.tr.11.res.12.& tr.16.res.84.*

XXXV. Infans ordinatus non obligaretur ad castitatem. Sanchez & 3. Etsi id affirmet Paludan. & 4. Posset tamen Pontifex statuere vt infans ordinatus ante vsum rationis obligetur ad castitatem. Suarez & 2. Impubes verò si sciat votum castitatis annexum, obligabitur) etsi hoc probabiliter neget Sanchez: vti & de ordinato ante annum 16. vbi Tridentinum est receptum, Lessius) Esset tamen ea iusta causa dispensandi. Imò probabiliter posset votum illud irritari etiam post annos pubertatis: nisi tunc per exercitum Ordinis, aut aliter esset ratificatum. Castropal. & 3. Sicut & infanti ordinato danda esset optio dum perueniret ad iustam ætatem, velitne in Ordine perseuerare, nec ne *part.8.tract.1.res.43.& p.10.tr.11.resol.12.& tr.16.res.84.*

XXXVI. Qui per vim aut metum ordinatus est validè suscepit Ordinem quando illo modo extortus fuit consensus: secus si voluntas absolutè repugnabat Dicastill. & 5. Non obligabitur tamen ad continentiam, aut recitationem horarum. Nauar. & 2. Etsi contrarium etiam sit probabile. Pontius. Imò probabile, est non obligari ad continentiam, etsi metus non fuerit cadens in constantem virum, modò fuerit causa cur ordinatus fuerit. Dicastill. & 2. Sicut probabile est matrimonium ex simili metu

inualide

inualide contrahi : cuius contrarium tamen est probabilius. Sanchez.*p.3.tr.4.resol.193.& p.10.tr.11.resol.12. & tr. 13.resol.18.*

XXXVII. Diaconus & Subdiaconus sæpius canentes Euangelium & Epistolam in peccato mortali, non peccant mortaliter; quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, vt est administratio Sacramentorum. Vasquez & 7. Imò nec venialiter peccare docet Vasquez. Sed contrarium probabilius est, ob reuerentiam debitam rebus ; & actionibus sacris. Lugo & Coninc. A fortiori non peccatur in exercitio minorum Ordinum , quia probabile est hos non esse Sacramenta. Cabrera.*p.3.tr.4.res.195.& 196. & p.9.tr.7.res.58.*

XXXVIII. Clerici sacris Ordinibus initiati peccant mortaliter, si non deferant habitum , & tonsuram. Sotus & 5. Licet contrarium doceat Caietan. nisi id fiat per contumaciam ; aut contemptum , quod probabile admittit Villalob. si saltem non incedant , quin aliquâ notâ internosci possint à laicis. Secus est de iis qui in minoribus solùm Ordinibus sunt. Sotus & *3.part.3.tractat.4.resol.183.& p.5.tr.5.res.60.*

Ordinis Minister quis.

XXXIX. Potest etiam simplex sacerdos , sed ex solius Pontificis concessione, conferre minores Ordines , sicut conferunt Cardinales , & multi Abbates. D. Thom. & 6. Imò & subdiaconatum) Granad. & 11.) & diaconatum, Vasquez & 11. (Videntur tamen priuilegia quibusdam Abbatibus quoad hæc concessa , reuocata iam esse per Tridentinum. Vasquez & 3. Quod tamen negant Præposit. & Caram,) Idem probabile est de ipso presbyteratu. Vasquez & 7. Et hæc omnia concedere potest Pontifex ante consecrationem in Episcopum ; quia conuenit ipsi ratione supremæ iurisdictionis. Præpos. *p.8.tr.1.res.33. 34. 35.36.& 37.& p.10.tr.16.res.22.*

XL. Ex concessione Pontificis Diaconum posse ordinare alium Diaconum, vel saltem subdiaconum docet Glossa in *cap.quanto.de consuetud.* quod ego iudicio Summi Pontificis remitto *p.8.tr.1.res.38.*

XLI. Minister ordinarius Ordinis etiam Episcopalis solus est Episcopus:& quidem quoad valorem etiam excommunicatus,vel hæreticus &c. quia potestas ea fundatur in charactere. Vasquez & 9. Quod verum est etiam respectu Ordinum quos ipse fortè non suscepit;vt si non susceperit minores Ordines,vel etiam subdiaconatum, & diaconatum. Vasquez & 4. Etsi contrarium communiùs doceant. Henriquez & 8. Titulares tamen Episcopi nullos conferre possunt etiam familiari, vel commensali suo ob prohibitionem Tridentini *sess.14.cap.2.de reform.* Validè tamen conferrent. Qui autem loco tantùm & non dignitati renuntiarunt,possunt eos conferre, si ab alio Episcopo rogentur,manent enim veri Episcopi.Candid.Quod si simul etiam dignitati renuntiassent,non possent nisi solos minores conferre. Candid.& Ricciul. *par. 8. tractat.2. res.1.3.2.4.5.28.6.& 7.& p.12.tr.1.res.53.& 61.*

XLII. Non potest ordinare nisi sibi subditos vel ratione originis, vel ratione domicilij ex voluntate perpetuò ibi habitandi, vel ratione beneficij in suâ diœcesi existentis.ex *cap.cum nullus de temp.ordin. in 6.* Qui autem pluribus Episcopis ita subditus est non prohibetur ab vno inferiorem & ab alio superiorem Ordinem accipere. Auersa & 2. Etsi contrarium doceat. Barbos. & 2. Quod saltem non licet cum quis ab Episcopo originis ad titulum beneficij residentiam requirentis, vel ad titulum patrimonij pro vtilitate Ecclesiæ Ordinem aliquem accepisset, & postea domicilium mutaret: tunc enim non poterit huius domicilii Episcopus illum Ordinare,nisi à priori Episcopo inquirat, vtrum illa causa quæ ad collationem Ordinum coegit, adhuc duret: quod si fit,remitti debet vt inseruiat Ecclesiæ cuius gratiâ fuit ordinatus. Ex Tridentino. *sess. 23.c.16.de reform.* Quæ etiam quoad minores Ordines lo-

cum habent. Rebuff. & 2.*p.8.tr.2.ref.8.9.* & 10. & *p.*6.*tr.7 ref.35.* & *p.9.tr.9.ref.4.*

XLIII. Potest quis ordinari vt originarius vbi ipse, vel eius pater est natus. Barbos. & 10. Non tamen si casu ibi natus sit v. g. ratione itineris materni (etsi hoc affirmet Hurtad.) sed vbi parentes domicilium habebant : nam is est Episcopus originis. Sanchez & 8. Filii tamen Officialium perpetuorum Regis, etsi hi non habeant animum perpetuò habitandi vbi officium habent, sed tantùm donec vlterius promoueantur possunt ordinari ab Episcopo vbi nati sunt, tamquam originarii. Machad. & 3.*p.8.tr.2. ref.12.11.* & 13. & *p.4.tr.4.ref.148.*

XLIV. Qui duo habet domicilia in quibus æqualiter, etsi non mathematicè, habitat, potest ab vtriusuis loci Episcopo ordinari. Sanchez & 3. Sed eius filius ab illo tantùm in cuius diœcesi natus est. Quod si fortuitò extra vtramque hanc diœcesim natus est, tunc vterque Episcopus domicilii paterni censetur eius originis; quia non est potior ratio de vno quam de altero. Qui autem ex fornicatione nati sunt; sequuntur potiùs domicilium matris quàm patris. Præposit. Item Barones & Feudatarii censentur etiam originarii sub eo Episcopo, in cuius diœcesi feudum obtinent, etsi alibi habitent. Idemque est de eorum filiis. Marchin. & 3.*p.8.tr.2.ref.14.18.* & 16.

XLV. Qui in vniuersitatibus etiam vltra decennium habitant non censentur subditi domicilii: vnde neque eorum filii si parentes ibidem vxorem ducant. Præposit. Imò non sufficit ad hoc animus perpetuò alicubi habitandi, nisi accedat aliquis actus illius significatiuus, vt translatio omnium bonorum, emptio domûs &c. Machad. & 3 Vnde Episcopi debent in hoc cautè procedere. *Ibid. resol.* 17. & 15.

XLVI. Vt quis possit ordinari ratione beneficii, debet hoc esse perpetuum. Acugna. Etsi id neget Valasc. Hinc sufficit Capellania perpetua collata in titulum. Sanchez & 6. Quamuis repugnent Marchin. & Garsia. Idem est

de commendâ. Non tamen sufficit pensio: quia hæc propriè non est beneficium. Suarez & 13. Sed sufficit beneficium quantumuis tenue. Barbos. & 3. si aliunde patrimonium adiunctum sufficiat ad sustentationem. Item quamuis simplex sit, nec requirens residentiam. Machad. & 5. Non tamen sufficere beneficium de futuro, sed debere pacificè possideri, vt possit inde sustentari, docet Garsia. Etsi sufficere titulum & collationem sine actuali possessione velit Riccius & 2. *Ibid.res.*19.26.20.21.24.*&* 23. *&* *p.*4.*tr.*4.*res.*51.*&* *p.*6.*tr.*8.*res.*24.*&* *p.*9.*tr.*8.*res.*25.

XLVII. Etsi plerique velint vt quis possit ordinari ab Episcopo beneficij debere illud esse collatum non in fraudem eo fine vt ordinari ita possit, & ex propriâ diœcesi extrahi: (Marchin.& 3.) Contrarium tamen verius est, etsi immediatè ante ordinationem conferretur, vel etsi quis eâ intentione fundaret in aliâ diœcesi tenue aliquod beneficium v.g. duorum vel trium aureorum. Bardi. Imò posset etiam tunc Episcopus ille dispensare in interstitiis, & in illegitimitate ad minores Ordines. Bardi & 4.*p.*8.*tr.* 2.*res.* 22.*&* *p.*10.*tr.*11.*res.*48.*&* *p.*11.*tr.*4 *res.*1.

XLVIII. Potest Episcopus ordinare non tantùm suum familiarem alienæ diœcesis qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, quando ei statim beneficium confert; sed etiam famulum familiaris qui eius expensis alitur. Sanchez & 3. Vel etiam dimissorias illis dare vt alio Episcopo ordinentur. Præpos. & 2. Cum autem iubetur statim conferre beneficium, non sufficit si conferat vbi primùm aliquod vacabit: (etsi hoc velit Vasquez & 2.) imò neque si conferat post sex menses. Riccius & 4. Sed illud *statim* non excedit decem dies. Marchin. & 5. Item non sufficit vltimum annum triennij esse inchoatum, sed debet esse completus. Marchin. & Prępos. Sufficit tamen etsi hoc tempus inceperit ante Episcopatum. Garsia & 3. imò & ante triennium potest ordinare si priùs beneficium conferat. Sanchez & 2. Intelliguntur hîc tamen ij soli familiares qui præsentes cum Episcopo habitant, vnde ab

eo cognosci possint quoad mores. Sanchez & 6. Ad quod non requiritur vt in eâdem domo habitent, modò in eâdem ciuitate ; quia latiùs patet familiaritas quàm domesticus. Sanchez & *5.p.4.tr.4.ref.*145.*&p.8.tr.2.resol.*27.34.36. 33.29.30.37.31.*&* 32.

P.

PASTOR.

siue Parochus.

I. PArochus in suâ Parochiâ residens, sed per alium administrans Sacramenta sine necessitate, peccat mortaliter, & tenetur ad fructuum restitutionem; quia adesse inutiliter, idem est quod abesse. (Quamuis quoad restitutionem fructuum neget Garsia & Vgolin.) Non tenetur tamen administrare Sacramenta noctu, nisi nominatim, & instanter flagitetur. Sancius & *7.p.3.tr.4.ref.*156.

II. Parochus non tenetur per se concionari, modò efficiat vt in parochiâ suâ non desint concionatores. Trullench. Etsi contrà sentiat Bonacin,*p.6.tr.7.ref.*13.

III. Probabile est Parochum teneri audire confessiones subditorum vel per se, vel per alium, quoties id rationabiliter petunt, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum, siue quia habent peccata quæ conscientiam grauant, siue aliam ob causam. Vasquez & 4. Esset tamen materia leuis si semel atque iterum id negaret, quando in subdito non est magna necessitas. Lugo & 2. Etsi id neget Bonacin. Est etiam probabile non teneri, nisi quando ipsi obligantur ad confessionem. Reginald. & *4.p.2.tr.*16. *ref.*2. *& p.8.tr.7.ref.*90.*&p.*11.*tr.*8.*ref.*29.

IV. Propter ignorantiam proprii Parochi non potest subditus sacerdotem alienum eligere sibi in Confessarium. Suarez & 3. Contrarium tamen est probabile. Vasquez & *2.p.*11.*tr.*5.*ref.*30.

V. Parochus vel quiuis alius dum eucharistiam defe-

runt ad moribundum, an teneantur vrgente periculo currere? negat. Barbos. & 2, affirmat Quintanad. Et hoc saltem verum est quando infirmus nullum aliud Sacramentum suscepisset, & timeretur eius damnatio : quo casu deberet etiam indecenter currere, etsi rideretur vt fatuus; quia tali casu etiam vitam teneretur exponere. Quod si magna sit distantia, posse vehi equo mansueto à quo nullum sit periculum lapsus, docet Quintanad, Quod negat Barbos, & Posseuin. nisi consuetudo loci id permitteret. *p.* 10. *tr.* 16. *res.* 80.

VI. Parochus excommunicatus non toleratus validè assistit matrimonio. Pontius & 6. Imò & licitè. (Sanchez & 3.) & licentiam assistendi alteri concedit. Sanchez & 9. Quamuis hoc neget Suarez & 6. *part.* 5. *tr.* 9. *resol.* 78. 79. & 80. & *p.* 11. *tr.* 5. *res.* 10.

VII. Parochus concedens alicui licentiam ministrandi omnia Sacramenta suis Parochianis, non censetur per hoc concedere licentiam adsistendi matrimonio. Dicastill *p.* 11. *tr.* 5. *res.* 10.

VIII. Etsi Parocho prohibeatur ab Episcopo, vel etiam à Pontifice ne matrimonio alicui adsistat, validum nihilominùs erit si adsistat. Sanchez & 4. Imò etsi Episcopus prohibitioni adderet particulam irritantem, adhuc valeret; (quamuis hoc neget Sanchez) quia Episcopus non potest condere leges irritantes: nam aliàs posset eâdem ratione ipsis contrahentibus prohibere irritando simul si aliter fiat, & sic posset inducere impedimenta irritantia, quod tamen verum non est saltem ab reseruationem Pontificis. *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 23.

IX. Parochus credens noctu, se vocandum ad ægrum, non peccat mo rtaliter, secluso scancalo, si sacrum oleum secum domum deferat. Barbosa *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 91.

X. Non potest Episcopus cogere Parochum vt subministret necessaria sacerdotibus volentibus celebrare in Ecclesiâ parochiali. Barbos. & Gauant. *part.* 10. *tractat.* 13. *resol.* 54.

XI. Parochi Regulares etiam exempti possunt examinari, & visitari ab Episcopo diœcesano tamquam Sedis Apostolicæ delegato. Barbos.& 5. Excipe tamen nisi Generalis Religionis, aut Abbas eo loco sedem ordinariam principalem habeat: aut nisi Abbas iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochum & parochianos habeat.ita Concilium Tridentinum. *sess.25. c. 11. de Regular. p.10.tr.16.ref.27.*

Paupertas Religiosa.

I. COmmendatarii D. Iacobi, Alcantaræ, &c. possunt de reditibus suis Ecclesiasticis pro libitu disponere,sicut de patrimonialibus, non obstante voto paupertatis. Sanchez & Hurtad.*p.5.tr.14.ref.94.* Ceteri verò omnes Religiosi possunt etiam post Concilium Tridentinum habere peculium à Superioribus concessum ad vsus licitos & honestos, dependentet à Superiorum voluntate. Sanchez & 12. Et prohibitio Tridentini intelligi potest de peculio superfluo, & independenti à voluntate Superiorum.*p.1.tres.6.ref.32.*

II. Equites commendatarii S. Ioannis, etsi reditus suos expendant in vsus turpes, non peccant contra votum paupertatis: nec recipientes tenentur ad restitutionem. Salas & 6. Contrarium tamen est probabilius.*p.2.tr.15.ref. 54.* Imò probabile est quemlibet Religiosum, si habeat licentiam generalem expendendi aliquam pecuniam, vel aliquid donandi, non peccare contra votum etsi expendat in vsus illicitos & turpes, nec accipientes ad restitutionem teneri.Lugo & 8. Multò magis id valet si Religiosus eiectus in tales vsus sua bona expendat; nam tales de bonis illis disponere possunt ac si essent sæculares, & voto paupertatis tantùm obligantur secundùm quid. Molin & 8.*p.3.tr.2.ref.65.&98.&p.7.tr.11.resol.22.&tr.12.ref.5.&p.10.tr.14.ref.2.&p.11.tr.2.ref.65.*

III. Regulares quoslibet bneficiarios,etsi non soluan-

tur voto paupertatis, neque dominium acquirant redituum beneficii, validè tamen eos expendere in quoslibet vsus, docet VVading. Vnde nec tenentur restituere, qui ab illis acceperint. Imò nec peccare mortaliter recipiendo, modò non inducant ad donandum, docet Lugo: quod tamen affirmat Sanchez. Vterque probabiliter. *p.8.tr.6.resol,* 133.*&* 134.

IV. Qui aliquid accepit à Moniali indebitè dante, si tantumdem ipsi refuderit nihil tenetur amplius restituere; quia virtualiter habuit intentionem compensandi damnum monasterio à Moniali illatum, etsi de hoc non cogitauerit. Pellizzar. *p.*10. *tr.*14. *res.*2.

V. Ea quantitas quæ sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti, videtur etiam sufficere ad peccatum mortale, si Religiosus eam vsurpet de bonis monasterii sine licentiâ Superioris. Molin. & 4. Sed probabilius est requiri quatuor argenteos, (Sanchez & Io. de la Cruz.) licet aliqui duos aureos ponant. Rodriquez. Sotus, Aragon. Alii verò Religiosos hîc cum filiis-familias putant comparandos, ac propterea maiorem in iis summam requiri, quàm in sæcularibus v.g. suprà 8. vel 9. regales, modò id non fiat nisi semel in anno. Ledesm. & Cened. Sed quidam vniuersim ad furtum mortale requirunt vnum aureum in regionibus vbi magna est pecuniæ abundantia, vt est in his, inquit VViggers. Imò & duos aureos requirit Rodriquez & Sotus: & probabile dicit Aragon. Sed an ita sit, iudicent viri docti. *p.* 1. *tr.* 6. *res.*36. *&* *p.*6.*tr.*6.*res.*58.

VI. Probabile est Religiosum paulatim modica accipientem, vel expendentem sine Superioris licentiâ, non peccare mortaliter, nec illa vmquam coalescere. Granad. & 6. Contrarium tamen est tenendum. I si inter illa furta non est magnum temporis interuallum v.g. vnius mensis, vel dimidii. Filliuc. etsi Sanchez extendat ad annum. II. Si fiunt animo ditescendi, vel sint in eodem genere rerum; nam si in diuersis rebus fiant, non censentur facere vnum,

Rebell. & 2. III. Si faciunt quantitatem duplo maiorem quàm quæ requiritur in aliis furtis. Sanchez & 3. IV. Si fiunt in aliis rebus quàm in esculentis,aut poculentis;hæc enim non continuantur. Lessius & 4. *part.1.tractat.6. resol. 34.& 35.*

VII. Religiosus qui sine licentiâ Superioris solet sumere aliqua bona Monasterij pertinentia ad cibum,& potum,vt iis ipse vtatur actualiter , in paruâ tamen quantitate , & in rebus non pretiosis , aut extraordinariis , non videtur peccare mortaliter,etsi Prælatis id displiceat ; quia Religiosi quoad vsum harum rerum tractantur vt filii. Suarez. *Ibid.res.30.*

VIII. Religiosus cum licentiâ tacitâ clàm accipiens, vel dans aliquid credens quod Superior rogatus licentiam talem daret , etsi sciat ipsi displicere talem modum accipiendi , non peccat mortaliter , quia licentia tacita impedit transgressionem voti , etiamsi possit expressa licentia postulari. Suarez & 7. Neque debet haberi certitudo moralis de illâ tacitâ licentiâ (etsi hoc velint Molin. & Ledesm.) sed sufficit probabilis siue iusta credendi ratio. Sanchez. Vnde probabiliter præsumi potest , si Superior non est vir rigidus , sed facilis ad condescendendum subditis , aut si subditus est ipsi carus , aut vir grauis , aut de Religione bene meritus. Item si res accepta est leuior, vel si licentia ea cedat in commodum Monasterij. Homobon.& S.Faust. Hinc etiam patet Religiosum non violare votum paupertatis , qui Superiore cubicula visitante aliquid abscondit,non metu illius amittendi , sed pudore, & verecundiâ , quia scit modum clàm accipiendi Superiori displicere.Sanchez & 4. *Ibidem resol.31.& part.6.tractat. 6. resol.58.*

IX. Potest Superior alicui dare facultatem accipiendi aliquid,vel donandi post tempus sui officij:& idem est de potestate absoluendi à reseruatis, vel vt quis ab iis absoluatur. Non potest tamen similes facultates sibi ipse concedere duraturas post tempus sui officii ; quia ipse tempo-

re officii non est capax potestatis delegatæ accipiendæ à seipso (per quam talis facultas deberet concedi) cùm inter delegantem & delegatum debeat esse distinctio. Lugo & Dicastill. Posset tamen Superior tempore officii sui facultates illas alteri concedere cum potestate subdelegandi, qui tunc posset Prælato, post finitum suum officium eam potestatem delegatam conferre. Dicastill. *part* 11. *tractat.* 8. *ref.* 54.

X. Qui Superior existens accepit ab amico pecuniam, quam deposito officio diu apud se retinuit, & posteà cum licentiâ sui successoris expendit, non peccauit contra votum paupertatis. Lugo. Contrarium tamen est probabilius; quia retentio illa sine licentiâ æquiualet acceptioni. Dicastill, *Ibid.*

XI. Religiosus sumens aliquid ex loco publico, vt eo vtatur ad aliquot dies, animo illud in eumdem locum referendi, non peccat contra paupertatem. Azor & 2. Sed contrarium docet Sanchez & Faust. vtrimque probabiliter. *p.* 1. *tr.* 6. *ref.* 40.

XII. Religiosus potest saluâ paupertate aliquid ab amico accipere sine licentiâ animo petendi licentiam antequam eo vtatur, modò dominium illius rei interim maneat apud dantem, & Religiosus nomine illius, depositam habeat. Sanchez & Faust. Sic si quis nolit licentiam ab immediato Superiore petere, poterit expectare donec oportunitas sit ab alio petendi. Lugo & 2. *Ibid. ref.* 42. & *p.* 11. *tr.* 1. *ref.* 19.

XIII. Non repugnat voto paupertatis, si Religiosus sine licentiâ, petat ab amico vt deponat pecunias apud aliquem, quarum dominium maneat penes deponentem, cum liberâ reuocandi depositi facultate; & solùm habeat voluntatem habendi pecunias ad manum, ex quibus accipiat cùm indiguerit, de licentiâ Superioris. Idem dicendum, si Religiosus eas pecunias apud se seruet in depositum. Sanchez. & 3. *p.* 1. *tr.* 6. *ref.* 43. & *p.* 3. *tr.* 2. *ref.* 65.

XIV. Si Religiosus pecuniam vel aliquid aliud ad suum

vsum libere expendendum accipiat ab externo reseruante sibi eius dominium, eaque posteà vtatur etiam sine licentiâ Superioris, non peccare contra votum paupertatis, docet Caram.& Sosa; eò quòd in illo casu nulla interueniat proprietas, sed solus vsus. Sed hoc non placet; quia votum illud ex intentione vouentium excludit etiam vsum facti sine licentiâ, alioquin numquam violaretur accipiendo aliquid ab externis; quia Religiosus non potest acquirere aliquod ius, sed solum vsum facti, cuius solius est capax. Lugo. *p.7.tr.11.ref.18.& p.1.tr.6.ref.10.*

XV. Si Religiosus pecunias sæcularium accipiat in depositum sine licentiâ Superioris, non peccat contra votum paupertatis. Suarez & 4. Tutius tamen est eas non admittere in vim depositi, sed tantùm in vim familiaris custodiæ. Gastropal. *p.10.tr.15.ref.40.*

XVI. Si Moniales vel Religiosus accipiat à parentibus, vel aliis pecunias sine licentiâ Superioris, vt de illis liberè disponat in eleemosynas eius nomine qui dedit, non peccat contra votum paupertatis; quia non donat vt proprietarius, sed dispensat vt minister. Sanchez & 3.*p.1.tr.6.ref.29.& p.3.tr.2.ref.65.*

XVII. Religiosus accipiens ab amico prandium, aut alia comestibilia exigui valoris, non violat votum paupertatis: habet enim licentiam à Prælato interpretatiuam. La Cruz & Lopez: qui exemplum ponit, electuariorum bina vascula, vel par perdicum, aut gallinarum, vel quid simile *p.1.tr.6.ref.41.*

XVIII. Religiosus qui inscio Superiore acceptis à pœnitentibus nummis libros emit, dummodò habeat illos in cubiculo palàm expositos, non violat paupertatem: quia quidquid hoc pacto Religiosus possidet, subiicit Prælatorum voluntati. Azor & 6. Eodem modo potest munus quodlibet accipere animo non occultandi, sed palam illud habendi: cùm semper intercedat generalis licentia acquirendi Monasterio. Perez. *Ibid.ref.26.& p.3.tr.2.ref.65.& p.7.tr.11.ref.19.*

XIX. Religiosus commodans alteri aliquid ex iis rebus quæ ipsi ad vsum conceduntur (etiam pecunias. Ledesm. & Peyrin.) non facit contra votum paupertatis, si certus est de restitutione illius. Sanchez & 4. Idem dicendum de permutatione etiam cum sæcularibus, modò ea quæ permutantur, non sint deteriora. Ledesm.& 5. In eodem autem Monasterio possunt sibi mutuo dare libros, & res cuiuscunque pretii, quæ ad vsum concessæ sunt; nam etsi id fiat sine licentiâ Prælati,non est propterea iniustitia, sed tantùm inobedientia, & semper venialis, nisi adsit contemptus: cùm Monasterium non amittat illius rei dominium. Fagund. & 2.*p.*1.*tr.*6.*res.*37.*&*38.*&p.*3.*tr.*2.*res.*65.*&p.*7.*tr.*11.*res.*21.*& p.*9.*tr.*6.*res.*25.

XX. Inter Religiosos eiusdem Conuentûs sufficit licentia in solo dante, & eo ipso recipiens potest datum admittere. Io: Suarez. *p.*3.*tr.*2.*res.*65. Item possunt tales inter se, vel etiam qui sunt eiusdem Religionis, dare sibi mutuo sine vitio proprietatis aut violatione voti paupertatis,munuscula 10. vel 12.regalium: imò & quanticumque pretii, v. g. picturam etsi valeret mille ducatos. Caram. & 3, (Sicut & res comestibiles cum licentiâ Prælati acceptæ,possunt dispensari in externos, etiam in magnâ quantitate, non obstante quòd sint magni pretii;quia in istis semper præsumitur licentia Prælati. Ita Ledesm. & Peyrin.Sed an in omnibus probabiliter,alii iudicent *p.*1.*tr.* 6. *res.*39.*&p.*7.*tr.*11.*res.*20.

XXI. Religiosus non facit contra votum paupertatis si scribat,vel pingat pro amico, etiam contra expressum mandatum Superioris quamuis sciat illum alium id statim vendíturum,& res sit magni pretii ratione artis v.g. pictoriæ.Caram. *p.*7.*tr.*11.*res.*17.

XXII. Potest Religiosus sine veniâ Prælati liberè disponere de suâ ratione siue pitansiâ quæ limitatè prebetur, vt caro, oua &c. non verò de illâ quæ prebetur sine taxâ,vt panis,& vinum;quia cùm rerum vnico actu consumptibilium dominium non distinguatur ab vsu (vt ait

Ioannes XXII.*in Extrauag.Ad conditorem.*)eo ipso quo Religioso earum rerum conceditur vsus, habet etiam dominium.Syluest. & 4. Contrarium tamen in his est probabilius *p.1.tr.6.ref.28.*

XXIII. Potest Superior dare licentiam Religioso vt maneat extra claustrum, ad subueniendum parentibus in graui necessitate constitutis:sed ipse non potest id facere de bonis monasterij sibi in vsum concessis, absque licentiâ.Portel.*p.3.tr.2.ref.90.*

XXIV. Abbatissa potest concedere Monialibus eamdem licentiam donandi quam potest Prælatus suis Religiosis.Imò potest Abbatissa concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando potest Superior Religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios vsus,ea quæ propriis operibus acquirunt. Sanchez. *p.1.tr.6.ref.22.*

XXV. Potest fieri legatum Religioso, eâ condicione, vt nihil monasterio acquiratur; quia hoc nihil aliud est quam vt Religiosus eo vtatur conniuente Prælato, qui si nolit consentire,expirat legatum. Non potest tamen ita fieri vt illud habeat independenter à Prælati voluntate. Homobon.& 3.*p.3.tr.2.ref.34.*

XXVI. Potest quis institui heres cum obligatione vt hereditatem vendat, & pretium eius tradat FF. Minoribus:vel etiam vt quotannis aliquid eis det in sustentationem. Dicastill. & 2. Imò validum erit legatum si eis legentur bona immobilia, & solùm tenebuntur ea vendere. Texeda *p.10.tr.14.ref.65.*

XXVII. Non repugnat paupertati FF. Minorum, vel Capucinorum reditus etiam perpetuus, modò non sit pro eorum victu & vestitu, sed vel pro necessariis ad cultum Diuinum v.g.ad vinum pro sacris, ad ornamenta, aut fabricam Ecclesiæ, vel si pro infirmis, aut emendis libris &c. Texeda & 2. Imò nec quodlibet aliud legatum annuum; quod non attingat spatium decem annorum, nam illud tempus est modicum. Imò sunt capaces legati

relicti ad vitam alicuius Fratris Minoris,quia non est legatum annuum perpetuum.Sanchez.*p.3.tr.2.res.33.& p. 8. tr.6.res.*104.*& p.*10.*tr*14.*res.*65.

XXVIII. Quando regula S.Francisci prohibet equitare,comprehendit etiam vehi curru,vel lecticâ. Leand. Etsi hoc neget Marchant. Saltem quando ita vehi non esset honorificum, vt si quis veheretur curru quo ligna vehi solent.Sanctor.Vehi tamen quomodocumque per mediam horam non erit nisi materia leuis. Leand. Sed si pluribus diebus id fieret coalescerent in vnam grauem nisi magnum intercederet interuallum.*p.*10.*tr.*11.*res.*27.

XXIX. Religiosi possunt cùm licentiâ Superioris aliquid donare tempore mortis, etiam per schedulam scriptam; quia tota dispositio manet in voluntate Superioris. Suarez & Laym.Imò potest aliquid relinqui monacho cum potestate de illo tempore mortis disponendi inter consanguineos,non per testamentum, sed per electionem personæ ad quam posteà pertineat. Sanchez. *part. 5.tract. 3.resol.*128.

XXX. In Societate Iesv scholastici post emissa tria substantialia vota,possunt adhuc validè testari sine licentiâ Superioris.Suarez & 3. Etsi id neget Molin.& Lessius. Neque illicitè id facient si illud subiiciant potestati Superioris. Posse tamen testamentum sine licentiâ factum rescindi à Superiore, docet Suarez. Negat VVading. qui addit quemlibet etiam professum posse heredem institui,sicut professi aliarum Religionum, ita vt Collegium eius nomine hereditatem adeat, atque ita professos solùm esse incapaces successionis ab intestato. *part. 9. tractat. 9. resol.*16.

XXXI. Si Religiosus quædam illicitè alienauit donando,vel malè expendendo, teneri restituere non consumendo quod aliàs licitè posset,vel laborando, vel alio modo,docet Garzias. Negat Ouiedo posse restituere, cùm numquam habeat alicuius rei dominium. De quo tu cogita.*p.*10.*tr.*12.*res.*35.

XXXII. Si Religiosus mortuus reperiatur habere in cellâ peculium non est propterea priuandus Ecclesiasticâ sepulturâ:potest enim illud habere vel in depositum, vel vt alteri restituat, vel alio modo.Villalob.& 3.quia neque viuus propterea priuatur ministerio altaris nisi quando monitus noluit dimittere peculium. Eademque omnia valent etiam quoad Minoritas.Portel. *p.4.tr.4.ref.23.& p.10.tr.15.ref.40.*

Circa Bullam Clementis VIII.de largitione munerum.

XXXIII. Milites D. Iacobi, Alcantaræ &c.non includuntur in hac Bullâ; nam expresse Pontifex illos excludit:Vnde colligitur eos esse verè, & propriè Religiosos. Sanchez & *6.p.1.tr.6. ref. 23.*

XXXIV. Nouitii non includuntur in hac Bullâ sub nomine Religiosorum.Filliuc.& *2.Ibid.ref.27.*

XXXV. Huius Bullæ duo sunt fines præcipui, nempe ne bona Monasterij dilapidentur, & ne detur ambitionis occasio.Granad.& *2.Ibid.ref.12.*

XXXVI. Hæc Bulla non videtur vsu recepta quoad pœnas,quæ in illâ continentur neque legitur quotannis in Capitulis monasteriorum.Homobon. & 5. Neque edita est ad nouam obligationem inducendam, sed ad ius commune restituendum,Valer.& *4.Ibid.ref.1.& 2.*

XXXVII. Si in aliquo casu Religiosus nec dissiparet bona Religionis; nec vlla foret ambitionis occasio, largiendo munera non incurreret in pœnas Bullæ: quia cessante ratione, & fine legis, cessat obligatio legis.Granad. & *6.Ibid.ref.33.*

XXXVIII. Nomine donationum in eâ Bullâ non veniunt partus intellectûs,vt conciones, lectiones, & eiusmodi scripta:nam illa semper à Religiosis deferri possunt etiam cùm ad aliam religionem transeunt, idque sine licentiâ Prælati.Valer & *2.Ibid.ref.25.*

XXXIX. Determinatio quantitatis in muneribus

dandis spectat ad Superiores, qui præcipuè hic attendent conditionem dantis & accipientis; causas ob quas datur munus: vtilitatem quæ ex illo redire potest: & facultatem Monasterij. Valer. & 4. ad decem aureos, pro causâ piâ & rationabili determinat Fagund, & 3. *Ibid. ref.* 3. & 4.

XL. Si Religiosus sine licentiâ Superioris det munusculum duorum aureorum; peccatum quidem furti admittet, non tamen incurret in pœnas Bullæ. Filliuc. & 2. *Ibid. ref.* 5.

XLI. Si Monialis, seu Religiosus de licentiâ Prælati faciat amico, aut cognato corporalia, aut picturam, &c. non incurrit in pœnas Bullæ, etiamsi illa sint magni valoris, quando ad illa facienda suppeditantur ab amico omnia necessaria: vel cùm Prelatus dat licentiam vt fiant pro tali amico, & suppeditentur necessaria de rebus Monasterij: modò tamen ea quæ dandur de Monasterio, non sint magni valoris; quia tunc non agitur de alienandâ, seu donandâ re quæ sit Monasterij, sed tantùm de non acquirendâ, quo in casu Prælatus potest præiudicare monasterio. Bonacin. & 2. *Ibid. ref.* 6.

XLII. Esculenta & poculenta, quæ Bulla dari concedit à Religiosis, intelligenda sunt ea quæ paucis diebus consumi possunt. Bonacin. & 2. *Ibid. ref.* 13.

XLIII. Casus in Bullâ excepti extendi possunt ad alios similes; quare licet excipiat tantùm leuia quædam comestibilia, & ad deuotionem pertinentia, tamen possunt etiam dari leuiuscula alterius generis. Filliuc. & La Cruz. *Ibid. ref.* 7.

XLIV. Moniales cum licentiâ Abbatissæ seu Prælati possunt aliquid dare. Confessario vltrà iustum pretium assignatum. Scortia & 2. *Ibid. ref.* 17.

XLV. Potest Abbatissa aliquid dare Episcopo ob benedictionem, susceptionem habitûs, aut professionem Monialis alicuius, non quidem vt pretium, aut mercedem; sed in remunerationem; neque enim mens Papæ fuit tollere virtutem gratitudinis. Valer. *Ibid. ref.* 24.

XLVI. Re-

XLVI. Religiosus de annuis redditibus sibi ad suum vsum à Superiore concessis, potest aliis donare parciùs viuendo, cum licentiâ saltem tacitâ Superioris ; hæc enim donatio, non affert multum damni monasterio ; quia non fraudat monasterium, sed genium suum. Valer. & 3. *Ibid. resol.*19.

XLVII. Religiosus qui alteri Religioso dat munus ; cum tacitâ licentiâ Superioris, nullo ambitionis intuitu, non incurrit in pœnas Bullæ. Valerus. Quo casu etiam quando inter se largiuntur de rebus minimis, non est necesse habere licentiam in scripto, vt Bulla requirit, sed sufficit verbalis, imò & tacita. Neque necesse est eam haberi singulis vicibus, sed sufficit generalis semel pro semper. Valer. & 2. *Ibid. res.*18. 20. *&* 21.

XLVIII. Regulares largientes aliquod donum in remunerationem, non contraueniunt Bullæ: quia remuneratio non est donatio gratuita. Bonacin. & 9. Hæc autem remuneratio licet excedat beneficia accepta in quartâ parte, vt si merita valent 12. & Religiosus donet 16. non est contra Bullam; quia gratitudo id postulat. Barbos. & 3. *Ibid. res.*15. *&* 16.

XLIX. Religiosi excipientes externum hospitem non occasione transitûs, aut deuotionis, sed recreationis causâ ; non incidunt in pœnas Bullæ. Sosa. *Ibid. res.*14.

L. Monialis, vel Regularis dans eleemosynam, non peccat in Bullam quę prohibet tantùm largitionem munerum. Vnde nec prohibet sumptus qui fiunt diebus solennibus in musicam, in sustentationem concionatoris, & eorum qui altari ministrant ; hæc enim omnia pertinent ad commodum monasterij. Sosa & Riccius. *Ibidem resol.*11.

LI. Religiosus qui rogat amicum, vt det alteri suo nomine aliquod munus, neque peccat contra votum paupertatis neque contra Bullam ; quia non disponit de re aliquâ monasterij. Suarez. & 16. *Ibid. res.*8.

LII. Religiosus celebrans Missas ad intentionem a-

mici,quem ſcit ſtipendium pro illis accipere, non peccat in Bullam: non poteſt tamen de ſolâ licentiâ Superioris donare ea quæ acquiſiuit ex eleemoſynis Miſſarum, quas ipſi intra annum Religio concedit. Soſa. *Ibid. reſ.9.*

Peccatum.

I. VT quis peccet agendo contra conſcientiam, debet hæc eſſe actualis, neque ſufficit habitualis, v.g. cum quis vincibiliter putat nullum hac hebdomadâ occurrere feſtum, cùm tamen occurrat, & eo adueniente omittit ſacrum, nihil tunc cogitans de ſacro, non peccat omittendo. Vaſquez & 4. Conſcientia autem etiam ſic erronea non poteſt pro libitu, & ſine ratione deponi, vt vult Caietan. alioquin periculum eſt ne eodem modo deponat conſcientiam veram. Sanchez & *5.part. 9.tractat.8.reſ. 48. & 49.*

II. Quando conſcientia erronea dictat vtramque partem electionis eſſe peccatum v.g. ſiue infirmum deſerendo vadas ad ſacrum, ſiue illi aſſiſtendo ſacrum omittas, non peccas vtrumuis eligas; quia non eſt libertas non peccandi. Lugo & 5. Quod verum eſt etiamſi tuâ culpâ in eum ſtatum deueniſſes, modò tunc facias quod potes. Becan. *Ibid. reſ.* 47.

III. Quando peccatur cum conſcientiâ erroneâ non eſt ſpeciale peccatum, ideòque ſatis eſt confiteri violationem præcepti quam conſcientia proponebat. v.g. qui falsò putabat ſe violare diem ieiunij, ſi dicat violaui ieiunium. Leand. *p.11.tr.8.reſ.*60.

IV. Exponere ſe probabili periculo peccandi, mortale eſt: quamuis id neget Caram. qui de ſolo periculo proximo; & moraliter certo id affirmat. *p.7.tr.*11. *reſ.*29. Quod ſi quis deinde committat peccatum illud cuius ſe periculo expoſuit, non tenetur in confeſſione mentionem facere illius periculi; quia eſt idem peccatum: niſi inter occaſionem illam periculoſam & actum peccati interceſſiſſet

mora notabilis. Suarez & *3.p.1.tract.7.resol.44.*

V. Peccatum commissum contra primam innocentiam maius esse quàm quod fit contra beneficium remissionis peccatorum, docet Scotus; eò quòd innocentia maius sit beneficium quam remissio peccatorum. Sed contrarium videtur sentire D. Thomas & Soto, *part. 10. tr. 13.resol.40.*

VI. In iactantiâ de peccato mortali species peccati non est necessariò exprimenda, quando ipsa est sine gaudio de peccato commisso; sed sufficiet si se accuset de iactantiâ in re mortaliter peccaminosâ. Nauat.& 7. Contrarium tamen est probabile.Io.Pontius.Quando autem quis delectatus est de peccatis præteritis aliàs confessis; debet in confessione exprimere quæ fuerint illa peccata. Sanchez. Quidquid id neget Sà. *p.3.tr.4.res.161.& p.4.tract.4. res.44.& p.9.tr.9.res.20.& p.11.tr.7.res.36.*

VII. Contumelia qua Domini seruos suos,etiam Christianos, vocant canes, non est mortalis; quia id ferè ex irâ fit, & indeliberatione. Etsi contrà sentiat Trullench. *p.7.tr.7.res.47.*

VIII. Cum de facto iniuria ab altero infertur, potest quis respondere *mentiris*; hoc enim tunc solùm est defensionis. Hurtad. & *9.p.6.tr.6.res.16.*

IX. Quando procuratur causa culpabilis omissionis v.g. si Clericus in diuturnâ nauigatione abiiciat breuiarium, sufficit in confessione exprimere causam omissionis; quia omissio non censetur voluntaria nisi in causâ. Idem est de homicidio ex ebrietate:de pollutione in somno secutâ ex causâ culpabili. Vasquez & Bonacin. Si quis tamen maluerit, satisfaciet etiam explicando solam omissionem, & tacendo causam positam quia hæc suam malitiam habet ab omissione,Tanner.& *2.part.1.tr.7.res.64. & 63.& p.3.tr.4.res.67.*

X. Actus qui est causa omissionis culpabilis v.g. studium tempore sacri audiendi,non est peccatum commissionis, sed tantùm omissionis sacri: hinc sufficit hanc in

confessione exprimere. Vasquez & Becan. contra Salas & Valent.*p*.3.*tr*.6.*ref*.8.

XI. Probabilius est aliquem non posse peccare venialiter qui non potest mortaliter. D. Thomas & 3. Contrarium tamen est probabile. Salas & 3. *part.* 10. *tractat.* 15. *resol.*25.

XII. Etsi quis haberet voluntatem committendi omnia peccata venialia, probabiliùs non peccaret mortalìter; quia etiam de facto committere omnia, si esset possibile, non esset mortale. Granad. Hinc qui debet ex voto per annum recitare quotidie semel salutationem Angelicam, vel dare modicam eleemosynam diuersis pauperibus pro arbitrio, non peccaret mortaliter, etiamsi haberet voluntatem numquam implendi ea vota. Aliud tamen esset si vni determinato vouisset eleemosynam illam dare, & ille hoc acceptasset; tunc enim ille haberet ius ad rem magnam. Granad.& 5.*p*.3.*tr*.6.*ref*.24.

XIII. Quæ eodem tempore contra diuersa præcepta leuiter quis peccat, non coalescunt vt constituant mortale v.g. eodem die festo contra præceptum Missæ, ieiunij, & Horarum Canonicarum; quia tantum peccatur contra multa precepta leuiter. Sanchez. Imò idem dicendum est, etsi quis vouisset aliquo die audire v.g. tres Missas, & ex singulis modicum quid omitteret. Suarez.*Ibid.ref*.42.

XIV. Optare vt fornicatio esset licita, si fiat ex bono fine v.g. quod quis videat se in illam sæpè ex fragilitate labi, non esse mortale, docet Vasquez. At affirmat Sanchez & 2. Sicut & posse quem conditionatè illam velle, si conditio tollat omnem malitiam ab obiecto v. g. si licita foret, docet Vasquez & 3. Quod tamen solùm in illicitis iure positiuo admittit Sanchez & 2.*Ibid.ref*.47.

XV. Aliquando conuersari cum Iudæis, vt in conuiuio, in balneo &c. non est nisi veniale, modò absit periculum subuersionis: aliud esset de magnâ familiaritate, vel de cohabitatione, famulatu, aut permissione iurisdictionis. Non est tamen idem quoad Saracenos, vel Paganos;

tum quia Iudæi acerbiores sunt in Christum: tum quia iura id prohibentia de solis agunt Iudæis. Sanchez & Hurtad. *p.5.tr.13.ref.11.*

XVI. Christiani remigantes in triremibus Turcarum, non peccant mortaliter, neque incurrunt excommunicationem; quia illorum cooperatio ad damnum rei Christianæ est tantùm materialis: & etiamsi ipsi nollent, non deessent tamen alij qui hoc facerent. At si res sit eo loco, vt nisi ipsi adiuuent, res Christiana sit imminenti periculo eripienda, tunc bonum Reipubl. Christianæ erit propriæ vitæ anteponendum. Vasquez & 14. Item excipe si torméta in Christianos dirigerent, ignemue applicarent quia sic directè damnum inferrent. Aliàs quando metu mortis, aut amissionis membri coguntur, non peccant, etsi deuastent, & diripiant bona Christianorum; quia ille vsus bonorum tunc necessarius est vt effugiant extremam necessitatem. Molin. & Castropal. Excipe tamen nisi dominus illorum bonorum esset in simili necessitate. Hurtad. *p.3.tr.5.ref.36. & p.5.tr.7.ref.30. & p.7.tr. 7.ref.56.*

XVII. In subministratione rerum indifferentium quæ proximè ad peccatum ordinantur, non excusat à peccato quod certò scias alium paratum ad peccandum, & inuenturum alium qui easdem res suppeditet. Talia sunt admouere scalas, vel humeris sustinere volentem furari, aut fornicari. Sanchez & Bonacin. *p.5.tr.7.ref.38.*

XVIII. Famuli ministrantes Dominis carnes in die ieiunij, non peccant; quia solùm funguntur suo munere, quod aliis diebus obire solent. Azor & 3. Similiter non peccat seruus Christianus qui Domini pagani brachium sustentat dum idolum adorat, & cum eo genua flectit; quia est tantùm obsequium quod etiam alibi præstat. Azor & 2. *Ibid.ref.13. & p.7.tr.7.ref.55. & 57.*

XIX. Posse quem vendere idolum Infideli, aut Iudæis in synagogâ ædificandâ operam suam locare, si prematur inopiâ; eò quòd non cooperetur peccato nisi materialiter; docet Tanner. *p.3.tr.5.ref.36.* Contrarium tamen est

probabilius. Granad. & 2. Qui tamen vngderet coactus metu mortis,excusaretur.Valent.& *3.part.5.tractat.7. resol. 6.& 36.*

XX. Amasio pingere imaginem concubinæ, posset ex graui causâ esse licitum, qualis tamen non est amissio lucri ex illâ picturâ,sed metus mortis,vel vulneris.Sanchez & 8. Quamuis Ferrantiu. velit tam grauem causam non esse necessariam. *Ibid. res.5.& p.11.tr.5.res.50.*

XXI. Non possunt famuli deferre ad concubinam Heri litteras amatorias, continentes verba turpia;quia illa est cooperatio ad peccatum.Laym.& 6. Contrarium tamen probabile docet Sà & 2. præsertim si Herus grauiter minetur.Posset etiam Domino volenti adscendere per fenestram ad fornicandum, pedem sustinere, vel scalam apponere. Hurtad.& 5. Imò & concubinam in domum Heri deducere, vel etiam portare, docet Castropal.& 3. Sed sola communis ratio famulatûs ad illa excusanda sufficiens non est.*p.5.tr.7.resol.27.28.& 29.& p.3.tr.5.res.36.& p.7.tr.7.res.51.& 56.* Aurigæ autem possunt meretrices vehere etsi sciant eas aliò tendere ad ibi peccandum; excusat enim causa non amittendi lucrum quod ex eo ministerio reportant.Meroll.*p.3.tr.6.res.11.*

XXII. Licet meretrici domum locare etiam sine peculiari causâ; nisi fortè ratione sitûs maiorem præberet occasionem peccandi. Sanchez & 10. Imò & maiori pretio potest isti locari quàm aliis; quia per hoc domus vilescit.*p.5.tr.7.res.26.*

XXIII. Non est peccatum veniale inspirationibus diuinis ad consilia exhortantibus non respondere. Ideoque malè facere qui de hoc in confessione se accusant, docet Sancius. Sed hoc fieri probant Lugo & Pellizzar. Obsistere autem inspirationi Diuinæ, quando offertur occasio violandi aliquod præceptum, non est peccatum distinctum à transgressione præcepti.Sancius.*p.3.tr.4.resol.52.& p.9.tr.9.res.19.*

Peregrinus.

I. ADuenæ & peregrini non obligantur ad ieiunia, obseruationem festorum, & consuetudinum locorum in quibus versantur, nisi habeant intentionem manendi ibi pro maiori anni parte. Sanchez & 8. Aut nisi transgressio legum cedat in damnum illius loci, vt si lex prohibeat frumenta ex illo loco exportari. Tenentur etiam aduenæ, si contrahunt ibi, seruare solennitates contractuum iuxta consuetudinem loci. Sanchez & 2.*p1. tr. 9.res.2.& tr.10.res.13.& 15.*Et quia absentes non tenentur legibus suæ patriæ; quamuis ex peculiari lege vtriusque loci indictum sit festum, vel ieiunium, ipsi tamen non obligantur. Fagund. Idem dicendum de vagis; cùm enim nullibi hæreant,non est mirum eos nullis statutis particularium locorum teneri. Layman & 3.*part.1.tractat.10.resol. 14.& 16.*

II. Etsi Peregrini & aduenæ ad plures etiam annos aliquo loco morentur v. g. Gubernatores vrbium,quamdiu tamen retinent animum redeundi in patriam, sicut non acquirunt domicilium, ita nec obligari particularibus loci illius legibus, docet probabiliter Pasqualig. & Baril. Sed contrarium est probabilius; quia acquirunt saltem quasi domicilium, quod sufficit. Suarez & 3.*part.* 10. *tract. 13.resol.*37.

III, Potest peregrinus vti indulgentiâ sui territorij, si in loco vbi moratur seruatur ius commune quoad ieiunium v. g. Germanus tempore Quadragesimæ vesci lacticiniis in Italiâ: vel Mediolanensis quatuor primis diebus Quadragesimæ non ieiunare,aut vesci carnibus extra patriam,in Oppidio vbi viget ius commune; licet enim hæc priuilegia videantur localia, tamen qui breui tempore absunt, in iure habentur pro præsentibus. Sanchez & Amic. Sed contrarium est probabilius, *p.4.tr.5.res.* 120. *& p.7.tr. 10.res.32.& p.5.tr.14.res.20.*

IV. Peregrini non abligantur excommunicationibus aut censuris locorum per quæ transeunt;quia potestas iurisdictionis tantùm se ad subditos extendit.Ita excommunicatio lata contra eos qui sciunt aliquod furtum, seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes. Coninc & Layman. *p. 3.tr.5.res.73.*

V. Qui transit per monasterium (v.g.D. Benedicti, aut Dominici) quod non vtitur Missali Romano,potest celebrare iuxta Missale illius loci. Præposit, *part. 4. tractat.4. reso.95.*

VI. Qui iter faciens per aliam diœcesim absoluitur à peccato,quod non est ibi reseruatum, in suâ autem diœcesi est reseruatum,validè est absolutus: quia tunc censetur incola illius diœcesis.Suarez & 3. Quod tamen intellige,quando iter non suscipitur in fraudem legis,eâ solùm de causâ,vt possit aliis confiteri. Coninc & *2.p. 2.tr.17.res. 56.*Est tamen probabile valere confessionem, etsi quis eo animo proficiscatur. Non est enim fraus vbi quis vtitur iure suo.Pontius.*p.3.tr.6.res.28.*

Pœna.

I. Etsi Episcopi ob delicta mixti fori possint etiam laicis imponere pœnas pecuniarias. Barbos.& 8.non possunt tamen eas sibi applicare, obstante Tridentino *sess.25.cap.3.de reform.* Neque etiam fabricæ Ecclesiæ, sed tenentur in alios pios vsus conuertere. Machad. & 12. Et potius in pauperes illius loci quàm in alios.Neque distinguendum est an pœnæ illæ impositæ sint per sententiam, quæ propriè dicuntur mulctæ: an per statutum, quæ dicuntur pœnæ. Genuens. Sic possunt punire laicos concubinarios etiam ante trinam monitionem, quæ solùm requiritur quoad excommunicationem pro eo crimine ferendam. Numquam tamen eiusmodi pœnæ sunt imponendæ quando delinquentes putantur per tales minùs emendandi, quod sæpe fit.Eadem omnia dicenda I. Quoad

Capitulum Sede vacante, vel eius Vicarium. II. Quoad Inquisitores, qui tamen possunt illas pœnas applicare vsibus S. Officij, prȩterquam in Italiâ vbi tales pœnas non possunt imponere sine licentiâ Sacræ Congregationis, quæ tunc simul earum applicationem designat. *part.* 10. *tr.* 8. *res.* 1. 2. 7. 3. 4. 5. 6. *&* 10.

II, Pœna non tantùm quæ à lege statuta est sed etiam quæ debetur ex voto, non incurritur per factum ex ignorantiâ illius legis, aut saltem pœnæ. Hinc si quis vouit certam pœnam si ludat, aut fornicetur, & luserit aut fornicatus sit immemor voti, aut etiam solius pœnæ, probabiliter ad hanc non tenetur: quia obliuio naturalis æquiualet ignorantiæ inuincibili. Sanchez. Idem est si ex obliuione omittantur Horæ Canonicæ, non enim tenebitur restituere fructus. Nec coniux incestuosus priuabitur iure petendi debitum si ignorauit etiam vincibiliter pœnam illam incestui statutam. Castropal. & 2. *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 41. *& p.* 11. *tr.* 4. *res.* 4. *& tr.* 6. *res.* 27.

III. Reus etsi pœnam communem carceris, vel exilij, vel verberationis teneatur exequi, si ad hoc condemnetur: (D. Thom. & 4.) probabiliter tamen non tenetur si carcer sit durus, vel exilium terræ insalubris, vel longum tempus in triremibus. Castropal. Multo magis poterit fugere, si ad vitam damnatus sit ad triremes. Lessius & 5. Non potest etiam obligari ad sumendum venenum, aut abstinendum à cibo oblato. Vasquez & 3. Quamuis hoc affirmet Bonacin. & 3. Tenetur tamen ad locum supplicio destinatum ire, collum præparare &c. quæ à ministro iustitiȩ commodè fieri non possunt. *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 79. *& part.* 2. *tr.* 17. *resol.* 39.

IV. Lex pœnalis non obligat ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam, nisi clarè appareat talem esse mentem Legislatoris. Layman & Malder. Quod non satis apparet etsi dicatur incurri ipso facto, & sine aliâ declaratione; nam hæc intelligi debent de aliâ declaratione pœnæ, sed tamen requiretur declaratio criminis. Molin. & 6.

næ illæ sint reseruatæ Papæ. Suarez & 5. Imò etsi alicui particulari esset eiusmodi pœna imposita à Sacrâ Pœnitentiariâ pro aliquo delicto cuius ipse absolutionem petebat. *p.* 11. *tr* 6. *ref.* 47.

IX. Lex pœnalis non est ex identitate rationis extendenda ad alios casus, etiamsi in his concurrat maior ratio, vel malitia ipsius actûs. Salas & 3. *part.* 1. *tractat.* 10. *resol.* 26.

X. Quando dubitatur, an lex aliqua statuens excommunicationem, suspensionem, vel irregularitatem, sit vsu recepta, potest præsumi non recepta; quia lex pœnalis est odiosa. Azor & 3. Et in dubio an censura sit lata vel ferenda, præsumitur ferenda. Hurtad. & 2. *part.* 4. *tractat.* 3. *resol.* 14. & 16.

XI. In dubio siue iuris, siue facti, nemo censendus est excommunicatus, suspensus, vel interdictus. Sanchez & Laym. Ac propterea tunc non est alter vitandus, fieret enim illi iniuria, cùm in dubio melior sit conditio possidentis. Filliuc. & Hurtad. Eodem modo non fiet ipse irregularis administrando sic Sacramenta, si adhibita diligentia dubium illud superare non potuit, neque etiam absolui ad cautelam. Mercer. *Ibidem resol.* 35. 66. & 71. & *p.* 5. *tract.* 9. *r. s.* 44. & 94.

Pœnitentia Sacramentalis.

I. Liberum est Confessario pœnitentiam Sacramentalem imponere ante, vel post absolutionem; quamuis enim consuetudo ferat ante imponi, hæc tamen nullam induxit obligationem. Ochagau. *part.* 5. *tractat.* 13. *ref.* 36.

II. Confessarius tenetur pœnitentiam non solùm vindicatiuam, sed etiam præseruatiuam seu medicinalem imponere. Io. Pontius. Vnde posset aliquando iniugere vt matrimonium contrahat. Nauar. & Leand. quod negant Layman & Fagund, *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 3.

III. Ne Confessarij scrupulis angantur in pœnitentiis imponendis, post absolutionem addant illam clausulam; *quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*: quia hæc sic applicata, rationem habent satisfactionis Sacramentalis. D. Thomas & 12. Fateor tamen contrariam sententiam esse probabiliorem. *p.3.tr.4. res.97. & p.6.tr.7.res.5.& p.9.tr.9.res.54.& p.10.tr.16.resol.1.& p.11. tr.7.res.3. & tr.8.res.26.*

IV. Potest confessarius minores pœnitentias imponere, quando probabiliter putat pœnitentem lucraturum indulgentiam plenariam v.g. recitando tria *Aue Maria* cum suis versiculis vesperi ad pulsum campanæ. Gobat. *p.10.tr. 16.res.1.*

V. Potest Confessarius imponere pœnitenti in satisfactionem Sacramentalem opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas. Lugo & 5. Etsi hoc etiam probabiliter neget Sancius & 4. Quando autem sic imponitur, debet impleri in statu gratię, si sit opus quod solùm prodest ex opere operantis; nam aliàs non potest prodesse defunctis, Dicastil. *p. 3. tr. 4.res.54.& in Addit.3.p.res.11.& p.9.tr.7.res.57.& p.11.tr.8. res.26.& tr.5. res.54.*

VI. Etsi Confessarius sponte omitteret imponere pœnitentiam ob peccata venialia, vel mortalia aliàs confessa, non peccaret mortaliter. Lugo. Cùm verò scrupulosus aliquis sæpius intra eandem horam ad confessionem redit, & semper aliquid noui confitetur; non est necessariò noua semper pœnitentia imponenda. Bonacin. & 2. *p.6.tr.6. res.44. & tr.7.res.6.*

VII. Potest Confessarius grauem pœnitentiam imponere solùm sub veniali. Suarez & Medin. Imò non debet necessariò imponere sub obligatione, sed sufficienter est Sacramentalis, si imponatur per modum consilij. Suarez & 10. Neque requiritur semper vt iniungatur aliquod opus in particulari, pręsertim personis spiritualibus, sed sufficit si Confessarius dicat: *impono tibi pro pœnitentiâ quid-*

quid hodie, vel hac hebdomadâ boni feceris, vel mali passus fueris: Fagund. Potest etiam de licentiâ Confessarii pœnitentia iustam ob causam impleri per alium. Suarez & 6. Imò posset Confessarius id permittere etiam extra confessionem, etsi de hoc non cogitasset dum imponeret. Leand. *p.4.tr.4.res.241.& p.3.tr.4.res.82.& p.11.tr.8.res.55.& tr.7. resol.10.*

VIII. Potest aliquando opus alioqui præceptum iniungi in pœnitentiam. Suarez & 7. Si tamen Sacerdos iniungit pœnitenti ieiunium absolutè, non satisfacit pœnitens per ieiunium ab Ecclesiâ indictum: nisi aliud ex verbis Confessarii colligi possit. Coninc & 2. Cui verò impositum esset toto mense Sacrum audire, non teneretur diebus festis audire duo. Sanchez & 2. *p.4.tr.4.res.241.& p.5.tr.4.res.84.& p.5.tr.14.res.61.*

IX. Potest Confessarius iniungere pœnitenti pro pœnitentiâ, vt à sacrâ Communione abstineat. Salazar. & 4. Etsi id neget Sancius & Baucius. *p.3.tr.4.res.115.& part.10. tr.13.res.47.*

X. Pœnitens nolens acceptare pœnitentiam satisfactoriam, sibi à Confessario iniunctam, non est absoluendus. Suarez & 17. Etsi contra sentiat Nauar. & 10. Quod etsi multi vt improbabile damnent, (Lugo & Amic.) ego de eâ censurâ nihil affirmo. *p.3.tr.4.res.51.& p.2.tr.15. res. 52.& p.11.tr.7.resol.2.* Qui tamen lucratur indulgentiam plenariam, non tenetur implere pœnitentiam à Confessario impositam, nisi sit medicinalis, sed tamen tutius semper impletur. Tanner. & 4. Etsi absolutè teneri doceat Valent. & 4. Imò & medicinalem eo ipso cessare probabiliter docet Lugo, nisi sit simpliciter necessaria ad euitanda peccata futura; tunc enim non tam oritur ex præcepto Confessarij, quàm ex iure naturæ. *p.5.tr.12.res.3. & p.9.tr. 6.res.36.& p.10.tr.12.res.46.*

XI. Pœnitentiam etiam medicinalem implendam sub conditione, si iterùm relabaris, nec acceptare teneris, nec implere, modò aliis remediis vtaris, ad prauam consuetu-

dinem superandam:quia Confessarius nec iudex, nec medicus est peccatorum committendorum, sed iam antè commissorum. Sanchez & 3. Sed contrarium est probabilius; quia ad Confessarium spectat applicare remedia ne pœnitens sępiùs relabatur. Suarez & 3.*p.6.tr.7.res.49 & p.10.tr.13.res.48.*

XII. Etsi quis pœnitentiam non referat ad confessionem v.g. si is qui per mensem debet quotidie audire sacrum, audiat hoc immemor pœnitentiæ iniunctæ, satisfacit tamen præcepto Confessarii, & illa nihilominus est pars Sacramenti, & habet effectum ex opere operato; (etsi hoc neget Palauicin.) quia satis refertur ad confessionem intentione virtuali. Sanchez & Meroll.*p.10.tr.16. resol. 26.*

XIII. Qui fecit opus à Confessario impositum in pœnitentiam, cum intentione tamen hanc non implendi, non tenetur denuo idem facere. Sanchez & Lugo. v.g. qui legit rosarium cum intentione tamen illud legendi tantùm ex deuotione, & non ad implendam pœnitentiam, impleuit eam tamen. Multo ergo magis satisfecit, etsi dum faceret; non recordabatur pœnitentiæ. Imò si cui Confessarius imposuisset disiunctiuè vel eleemosynam vel ieiunium, & hic dedisset eleemosynam cum intentione non implendi pœnitentiam per illam partem, sed ieiunandi postea, non teneretur tamen posteà ieiunare; quia reuera impleuit quod iniunctum erat, vel ieiunare vel dare eleemosynam. Lugo.*p.6.tr.6.res.43.* Sed etsi sic satisfiat præcepto Confessarii, tamen illud opus non erit pars Sacramenti, nec habebit effectum ex opere operato; quia omnes partes sacramenti debent poni cum intentione saltem virtuali.*p.10.tr.16.res.26.*

XIV. Qui ex pœnitentia Sacramentali, vel voto tenetur audire Missam, vel recitare certas preces, non satisfacere si id faciat sine attentione internâ, docet Dicastill. Sed communiùs videntur docere pœnitentiam sacramentalem & votum obligare per modum præceptorum Ec-

clesiæ,nisi aliud constet de mente Confessarii,aut vouentis.*p.10.tr.13.res.35.& tr.11.res.6.*

XV. Qui habuit septem Psalmos pro pœnitentiâ recitandos flexis genibus,coram Crucifixo, satisfacere recitando sine illis circumstantiis,eo quòd sint quid accidentale,docet Vegha. Sed quomodò non sunt quid substantiale?faciliùs enim aliqui recitabunt bis septem Psalmos, quàm semel flexis genibus. Quamuis autem ex aliquâ causâ non posset flexis genibus legere, teneretur tamen aliter legere,Lugo, & *2.part.3.tractat.4.res.55.& part.11.tr.7.resol.10.*

XVI. Qui pro pœnitentia tenetur recitare Litanias, vel etiam ex voto,non tenetur recitare preces vel orationes sequentes, sed tantùm vsque ad orationem Dominicam. Bordon. Item qui tenetur per annum, mensem, vel hebdomadam quotidie recitare rosarium, satisfacere vno,vel paucis diebus illa omnia simul recitando, docet Leand. Sed contrarium est probabilius; quia pœnitentia illa debet intelligi iuxta rationem præcepti Ecclesiæ. Sanchez.*p.9.tract.7.res.46.& tract.9.res.54.& part.10.tract.15.resol.12.*

XVII. Qui tenetur legere rosarium, vel officium B. Virginis, potest illud legere cum socio,sed non tenetur si non possit solus legere,etsi facillimè posset socium habere.Leand.*p.11.tr.7.res.3.*

XVIII. Qui non adimplet pœnitentiam tempore à Confessario præfixo,ex negligentiâ,peccat venialiter: sin iustâ causâ differat, non peccat. Sancius. Sed quamuis præfixum tempus sit elapsum debet adhuc impleri; quia primariò intenditur ipsum opus in satisfactionem, vel medicinam, nisi aliud constet de intentione Confessarii, Castropal. & 3. Quod si Confessarius nullum tempus præscribat, implenda est quamprimum. Dilatio autem in vtroque casu grauis & mortalis non est,etsi vltra diem octauum differatur. Hurtad. Imò posse differri per annum hoc est quamdiu non tenetur ad nouum Sacramentum

pœnitentiæ accedere, docet Leand.& 4. Etsi communius hoc negent.Suarez & 8. Quod saltem verum est quando pœnitens probabiliter dubitat an poterit post aliquod tempus illam implere,tunc enim teneretur quando commodè potest, ne Sacramentum maneat imperfectum. A mic.& *6.p.3.tr.4.ref.92.& 100.&p.5.tr.5.ref.15.& tr.13.ref. 37.& p.9.tr.9.ref.52.&tr.6.ref.57.&p.10.tr.12.resol.42.&p. 11.tr.7.ref.10.& tr.8.ref.26.*

XIX. Quando alicui imposita esset pœnitentia ieiunandi singulis diebus Veneris, vel Sabbathi per mensem vel annum ;& aliquando diebus illis ieiunare non posset, an teneretur alio die? Alii affirmant. Lugo. Alii negant. Leand Vtrimque probabiliter. *p.10.tr.15. ref.12.*

XX. Qui singulis mensibus ex pœnitentiâ, vel voto tenetur confiteri vel communicare, non peccabit mortaliter, si ad 6. vel 8. dies ampliùs differat, præcipuè si aliqua etsi leuis,huius dilationis est occasio. Item obligatus ieiunare feria 6. si ieiunium differat in sequentem diem, non peccabit grauiter. Castropal. Neque obligatus audire sacrum,si audiat solùm post Euangelium; Neque qui tenetur legere rosarium si omittat v. g. quatuor *Aue Maria.* Et hæc omnia ob paruitatem materiæ.*p.9.tr.6.ref.57.& p.3.tr.4.ref.100.& p.5.tr.5.ref.15.*

XXI. Qui leuem pœnitentiam, vel etiam grauem, ob sola tamen venialia, vel mortalia aliàs confessa impositam culpabiliter omittit, non peccat mortaliter nisi ex illa omissione sequatur periculum mortaliter peccandi. Laym. & 5. Quod verum est etiamsi Confessarius intenderet grauiter obligare. Suarez & 3. Licèt contrà sentiat Sancius & Præpos *p.3.tr.4.ref.102.& 136.& p. 5.tr.5. resol. 51. & p.6.tr.6.ref.44.*

XXII. In Sacramento Pœnitentiæ satisfactio causat gratiam ex opere operato : neque peccat mortaliter qui illam implet in statu peccati,quia non ponit obicem effectui essentiali Sacramenti, sed tantùm perfectioni, & integritati effectûs. Vasquez & 5. Imò fortè nec veniali-

ter.

ter. Lugo. Quamuis communiter contrarium sentiant. Sed etiam sic impleta habet nihilominus suum effectum ex opere operato. Vasquez & 2.*p.3.tr.4.resol.*70.*& p.4.tr.4. res.*241.*& p.5.tr.13.res.*38.*& p.6.tr.6.res.*45.

XXIII. Pœnitentia à Confessario taxata iuxta grauitatem peccatorum, & non minorata ob fragilitatem pœnitentis, extinguit totum debitum pœnæ temporalis. Hutt.& 5.*p.5.tr.13.res.*38.

XXIV. Satisfactio Sacramentalis in peccato facta; reuiuiscit cum homo resurgit per contritionem: cùm sit pars integrans Sacramenti pœnitentiæ. Suarez & 7.*par.3. tr.4.res.*85.

XXV. Pœnitens non potest auctoritate propriâ commutare pœnitentiam satisfactoriam sibi à Confessario impositam, in aliud opus euidenter melius. Sanchez & 8. Contrarium tamen est probabile. Villalob. & 10. Ex quo infert Leand. quando quis debet recitare rosarium, vel psalmos &c. satisfacere recitando mentaliter, quando constaret ipsi vtilius esse mente orare quam voce. *Ibidem res.*53.*& p.5.tr.14.res.*73.*& p.9.tr.9.res.*53. Positâ autem legitimâ communicatione, liberum tamen est pœnitenti eligere pœnitentiam siue primam siue secundam in quam mutata est quia mutatio fit in eius fauorem.*p.*10.*tr.*16.*res.*16.*& p.*11.*tr.*7.*res.*3.*& tr.*8 *res.*55.

XXVI. Potest quilibet Confessarius ex iustâ causâ commutare pœnitentiam, etiamsi fuerit ab alio imposita ob peccata reseruata. Vasquez & 2. Etiam non repetitâ priori confessione. (Tolet. & 16.) modò id faciat in confessione, & non extra; nisi ab eodem Confessario pœnitentia commutaretur, & ad summum intra hebdomadam pœnitens rediret; quia in hoc casu censetur adhuc idem iudicium. Henriquez & 4. Imò etsi post tempus quantumlibet longum. Lugo & Auersa. Imò probabiliter potest pœnitentia commutari extra confessionem, etiam ab altero Confessario. Leander. & 3. Sed contrarium est probabilius. Potest tamen pœnitentia etiam præseruatiua

commutari in aliam præseruatiuam. Bonacin. *p. 2.tr.13.res. 53.& p.3.tr.4.res.137.& p.6.tr.6.resol.46.& part.9.tractat.6. resol.57.& tractat.9.resol.54.& part.10.tract.12.res.43.& par. 11.tract.7.res.3.*

XXVII. Non potest Confessarius permittere vt eleemosyna ex pœnitentiâ debita applicetur ipsi pœnitenti; quia tunc non est eleemosyna. Sanchez vterque. *p.5.tr.8. res.37.* Neque satisfacit pœnitens si illam det Patri, fratri, aut Auo indigenti quibus tenetur aliàs subuenire. Amic. Etsi id affirmet Leand. *p.9.tr.9.res.54.*

XXVIII. Qui singulis diebus ex deuotione recitat Officium B. Virginis, si habuit pœnitentiam recitandi quotidie per annum coronam eiusdem B. Virginis, non satisfacit huic pœnitentiæ per recitationem supradicti officij; neque enim potest pœnitenti constare, an per illam recitationem satisfaciat pœnæ, cui satisfacit opus pro pœnitentiâ iniunctum. Nauarr. & 4. Et ab hac sententiâ non est recedendum, quamuis contraria sit probabilis. Bonacin. *p.3.tr.4.res.106.*

Pontifex Rom.

I. PONtificatus ex nullâ vrgenti causâ posset duobus æqualiter dari. Sed ex institutione Christi ad gubernationem monarchicam Ecclesiæ super vnum constitutus fuit D. Petrum: Vnde D. Paulus quoad primatum Ecclesię inferior & subditus fuit D. Petro: licèt æqualis fuerit quoad Apostolatum, & clauem doctrinę, sicut & ceteri Apostoli. Quare ista propositio: *Paulus fuit simul Pontifex cum Petro* ab Innocentio X. tamquam hęretica meritò damnata est, & declarata Anno 1647. die 24. Ianuarij. *p.9. fin. in discept. apolog. de Primatu D. Petri.*

II. Quando Pontifex in pontificali Romano dicitur Vicarius D. Petri, non significatur aliqua subiectio, aut minoritas, sed sola successio, vt idem sit quasi eius vices gerens. Ideoque non videtur hoc debere in pontificali

mutari; cum & in Concilio Ephesino & SS. Patribus eodem nomine appelletur *p.12.tr.3.res.1.*

III. Est de fide hunc numero Pontificem v.g. Alexandrum VII. legitimè electum & à totâ Ecclesiâ receptum, esse verum Pontificem successorem S.Petri, & Christi Vicarium. Suarez & 20. Etsi id neget Bannez & 2. Sed quamuis hoc non esset de fide, tamen eius decreta eandem haberent infallibilitatem circa res fidei. Malder. & *3.p.11.tr.10.res.6.7.& 8.*

IV. Pontifex etiam vt persona priuata non potest esse hæreticus contumax, etsi possit errare ex ignorantiâ. Suarez & 6. Licet contrariū doceat Sotus & 9. Quod casu tamen non possent contra ipsum procedere Inquisitores: cùm sint ipsius delegati, sed hoc spectaret ad Concilium generale. Zanard. *p.4.tr.8.res.58.& p.11.tr.10.res.12.*

V. Papa tenetur etiam sub mortali ad confessionem annuam, horas canonicas, ieiunia & similes leges. Bonacin. & 4. Etsi quidam velint solùm teneri sub veniali. Præpos. *p.6.tr.7.res.3.& p.8.tr.1.res.26.*

VI. Constantini Imperatoris donatio olim Ecclesiæ & S.Siluestro facta vera & valida fuit. Molin. & 12. Quidquid negent Hæretici. Bodin. & 25. Vnde qui cum his id negant, sunt Inquisitoribus denuntiandi, & puniendi minimùm vt temerarii. *p.8.tr.6.res.136.*

Electio Pontificis.

VII. Pontifex non potest sibi eligere successorem. Caietan. & 18. Nec placet quod docet Suarez & Amic. vrgente graui necessitate Ecclesiæ id posse fieri. Multo minùs admitti potest quod docet Vasquez & 2. absolutè id posse fieri, sicut ad Pontificem spectat præscribere modum eligendi. Quam opinionem decreto consistoriali falsam vocauit Pius IV. *p.10.tr.5.per totum.*

VIII. Electio Pontificis spectat ad solos Cardinales, quamuis congregatum esset generale Concilium; sed hoc

posset in casu particulari eam potestatem Cardinalibus adimere,ad maius Ecclesiæ bonum. Azor & Alban. Quamuis autem non sit per se necessarium vt eligatur ex ipsis Cardinalibus, vsus tamen Ecclesiæ id habet. Suarez & 8. *p.5.tr.2.ref.73.& 63.*

IX. In electione Pontificis omnes Cardinales habent suffragium, etiam quibus galerus & insignia nondum sunt tradita,vel os apertum est: ex decreto Pii V. & Gregorii XV. Quamuis autem duo solùm Cardinales remanerent in conclaui reliquis vel mortuis, vel absentibus, possent adhuc eligere Pontificem, imò etsi vnus tantùm; non posset tamen hic eligere seipsum, nisi per modum compromissi nomine totius sacri Collegii potestatem eligendi committendo alicui alteri, qui ipsum tunc eligeret. Salas & 4. Sed qui etiam iustè impediti sunt,non possunt suas vices eligendi alteri demandare. Azor & 3. Etsi id affirmet Manfred. *Ibid.ref.74.72.& 40.*

X. Quamuis Pontifex eligeretur ante definitum spatium expectationis decem dierum, valida esset electio, modò eligeretur à duabus tertiis omnium Cardinalium: vltra decem verò dies non tenentur expectare Cardinales absentes. Azor & 2. *Ibid.ref.75.& 76.*

XI. Quando sufficientia data sunt suffragia pro electione minùs digni in Papam, possunt reliqui sine peccato pro eodem suffragium ferre. Villalob. & 4. Imò sic electus non peccat acceptando Papatum Sotus & Turrian. *Ibid. resol.85.*

Conclaue.

XII. Cardinales ex conclaui colloquentes cum aliis extra conclaue de rebus ad electionem pertinentibus non incurrunt excommunicationem reseruatam ex vi Bullæ Pij IV.(contrarium tamen est probabile, & omnino consulendum)sed incurrunt illam scribentes ex conclaui: vti & alii extra conclaue nuntium aut litteras mittentes exi-

ſtentibus in conclaui, & Cardinales illa recipientes. Caſtropal.& 2. Peccant tamen mortaliter Cardinales ita colloquentes; quia verba Bullæ imperatiui modi important præceptum ſi verſentur circa materiam grauem: præſertim ita interpretante conſuetudine. Lugo & 8. Imò etſi Cardinalis tantùm audiret aliquem extrinſecùs loquentem, & nihil reſponderet, vel contrà ſi loqueretur altero non reſpondente, incurreret idem peccatum: imò & probabiliter cenſuram.De quo tu cogita *part.*12.*tractat.*2.*reſol.* 1.2.3.*&* 7.

XIII. Quæ omnia vera ſunt quoad peccatum vel cenſuras, etſi collocutiones & ſcriptiones ordinarentur ad bonam & liberam electionem; quia lex non fundatur in præſumptione abuſûs,ſed in periculo eius. Caſtropal.& 2. Poteſt tamen in his eſſe paruitas materiæ excuſans à mortali (etſi hoc neget Bonacin.) quæ metienda eſt non tam ex quantitate verborum, quam ex nocumento quod verba illa afferre poſſunt electioni Pontificis. Caſtropal. *Ibid.reſ.*4.5.*&* 6.

XIV. Excommunicatio Gregorii X. in *cap. vbi periculum.de elect in* 6. ſpectat ad locutionem tantùm ſecretam: ad miſſionem verò litterarum tam ſecretam, quàm publicam. Sed ſi vtrouis modo non ageretur de rebus ad electionem pertinentibus, ſed de aliis,tunc non comprehenderetur Bullâ Pii IV. Caſtropal. & 2.(etſi hoc affirmet Bonacin.) ſed tantùm incurreretur excommunicatio non reſeruata Gregorii X. Famuli autem litteras deferentes, vel loquentes cum famulis Cardinalium exiſtentibus in conclaui neutrâ prohibitione comprehenduntur, niſi vel deferentes loquantur cum Cardinalibus. vel alij loquantur famulis vt hi Cardinali referant. Semper tamen peccant mortaliter quiuis Conclauiſtæ ſi cum externis loquantur de rebus ad electionem pertinentibus. *Ibid. reſol.* 8.9. *&* 10

XV. Non incurrit cenſuram Pii IV. Cardinalis qui famulo Conclauiſtæ mandat vt ad alios extra conclaue

ſcribat ſpectantia ad electionem; quia lata contra facientes non comprehendit mandantes. Sanchez & Henriq. Item neutra cenſura incurritur non tantùm quando litteræ ad Cardinalem miſſæ ad eius manus non perueniunt: ſed etiam ſi poſt quàm ab ipſo acceptæ fuerunt, poſteà caſu aliquo perdantur priùs quàm legantur, quia iis caſibus delictum non eſt conſummatum ſaltem formaliter, cùm non habuerit effectum notitiæ datæ. *Ibid.reſ.*14. & 11.

XVI. Cardinalis ob infirmitatem egreſſus è conclaui etſi ad alios Cardinales in conclaui ſcribat, non incurrit excommunicationem; quia cenſetur adhuc de corpore Conclauiſtarum; cùm breui rediturus non cenſeatur abſens. Peccabit tamen ſi cum aliis loquatur de rebus ad electionem, ſicut alij qui ſunt in conclaui. Tenetur etiam redire ad conclaue vbi conualuit, nec poteſt renuntiare fauori proprio eligendi Pontificem; quia hic ſpectat publicam vtilitatem: ſicut priuilegium fori in Clericis. Tho. Hurtad. *Ibid.reſol.* 12. & 13.

XVII. Cardinales pluribus ferculis in conclaui veſcentes non peccant mortaliter; quia verba Bullæ non continent præceptum, ſed adhortationem. In illis autem ferculis perſcrutandis, dum in conclaue inferuntur, Prælati non tenentur niſi moralem adhibere diligentiam arbitrio boni viri, etſi Bulla maximam & exquiſitam diligentiam exigat ſub pœnâ periurij, & ſuſpenſionis à diuinis: quæ tamen non eſt latæ ſententiæ. *Ibid.reſ.*17. & 15.

XVIII. Pueri ante vſum rationis non comprehenduntur prohibitione ingrediendi conclaue; quia hi non poſſunt turbare electionem. Quod ſi aliquis adultus clam illud ingrederetur, non incurreret cenſuram, ſed alias pœnas Bullæ Pii IV. An etiam peccaret mortaliter; tu cogita, *Ibidem reſol.* 16.

XIX. Etſi probabile ſit Cardinales poſſe die Veneris ſancto ad ſcrutinium procedere non audito officio illius diei; cùm illud non ſit Miſſa, quia non ſit conſecratio: contrarium tamen eſt conſulendum; quia probabile eſt non

posse. Imò & aliis diebus non incursuros excommunicationem etsi solitam Missam omitterent, docent quidam. De quo tu cogita. *Ibid. res.* 18.

XX. Ab excommunicatione illâ Pii IV. videtur posse absoluere summus Pœnitentiarius. Cuius tamen resolutio à SS. Domino N. expectanda. Episcopi autem nec ab hac, nec ab illâ quæ fertur in Bullâ Gregorii XV. etsi delictum sit occultum, absoluere possunt virtute Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* propter clausulas nimis vrgentes quibus huic concessioni derogatur. Bonacin. Etsi contrarium doceat Castropal. & 12. eò quòd Bulla non deroget expressè illi concessioni Concilii. Quod admisso, non posset tamen Episcopus absoluere nisi existens in suà diœcesi. Castropal. & 3. Etsi hoc affirmet Sanchez & 2. *Ibid. res.* 19. 20. 21. 23. & 22.

XXI. Ab excommunicatione ob violationem Bullæ Pii IV. & Gregorii XV. non possunt absoluere Regulares, per sua priuilegia; nam hæc sufficienter ibi à Gregorio reuocantur. Bonacin. Sed potest quis absolui per Bullam Cruciatæ; quia hæc est posterior illis Bullis, & absolutam facultatem concedit quoad omnia reseruata Pontifici. *Ibid. res.* 26. 27. 28. & 29.

Adoratio Pontificis.

XXII. Summi Pontificis adoratio per genuflexionem, & osculum pedis semper in Ecclesiâ vsu recepta fuit, ob excellentiam dignitatis eius. Imò & Episcopis multo tempore exhibita, & à Principibus quibusdam sæcularibus vsurpata. In Pontifice autem est Scripturæ, & rationi conformis. S. autem Petrus adorationem Cornelii Centurionis recusauit vel ex modestiâ, vel quia ille deferebat diuinam. *p.* 11. *tr.* 9. *res.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 17.

XXIII. Posset Pontifex adorari etiam pectoris tunsione; quia hic tantùm est modus adorationis externus sed quia non est in vsu, videtur ab eo abstinendum. Licita

tamen est adoratio per inclinationem capitis quando eius nomen in orationibus publicis profertur. Cardinales verò post vnam aut alteram pedis osculationem in electione Pontificis, deinde adorant eum tantùm per osculum manus, vel oris. *Ibid.res.*8.9. & 10.

XXIV. Adoratio Pontificis reducitur ad cultum duliæ; nam hic Sanctis etiam in hac vitâ exhiberi potest: neque solùm propter sanctitatem, sed etiam propter eminentem dignitatem, Lessius & 2. Vnde eadem debetur cuiuis Pontifici, etsi impius esset, vel scandalosus; quia debetur dignitati, & ministerio, quæ in omnibus eadem sunt. Neque potest Papa ob vllum crimen, præter hæresim deponi; cùm prima Sedes à nemine iudicetur. *Ibid. res.* 11.12.13.14. & 16.

XXV. Adoratur præsertim Pontifex cum diebus solennioribus gestatur super humeros cum regno in capite quod Chamaurus dicitur. Calceamento vtitur rubeo à tempore S. Siluestri (vel ad designandum regnum temporale, vel mysticè quod Ecclesia empta sit Christi sanguine (cui additur crux osculanda, vt fideles adorationem suam, dum pedes Pontificis osculantur, referant in crucem Christi. Seruum autem seruorum Dei primus se inscripsit S. Damasus: sed à tempore S. Gregorij omnes Pontifices. *Ibid.res.*15.19.20. & 18.

Potestas Pontificis.

XXVI. Summus Pontifex in toto orbe christiano non habet iurisdictionem directè in temporalia: ex vi tamen Pontificij muneris, vt defendatur Ecclesia, habet sufficientem potestatem indirectè super omnia sæcularia negotia in ordine ad finem supernaturalem. Suarez & 17. Vnde potest laicos eximere à potestate sæculari ex iustâ causâ: sicut fecit in familiâ laicâ Episcoporum *p.*1.*tr.*2. *res.* 122. & 123. & *p.*6.*tr.*2.*res.*7. Dicere autem Papam nullam habere potestatem in temporalia etiam indirectè, est hæ-

reticum saltem reductiuè. Suarez & 6. Nec in his est vlla exceptio quoad reges Galliæ. Hallier. & 6.*part.*10.*tractat.* 17.*resol.*8.

XXVII. Potest Pontifex Principes de Ecclesiâ bene meritos creare Reges, vel Duces, non spiritaliter tantum (vt vult Caram.) quoad indulgentias & similes gratias spiritales: sed temporaliter, idque ex vi potestatis indirectæ in temporalia. Vasquez & 12. Sicut factum est in Regibus Poloniæ, Bohemiæ, Siciliæ, & aliis. *p.*10. *tr.* 6. *per totum.*

XXVIII. Potest ex iustâ causâ Pontifex dispensare in votis solennibus Religiosorum. Vasquez & 18. Et hoc facit quoad Paupertatem & Obedientiam dum aliquem promouet ad Episcopatum. Sotus & VVading. *p.*8.*tr.*1.*ref.* 73. *&* *tr.* 3. *ref.* 100. Quando autem dispensat in voto solenni castitatis vt possit vxorem ducere (vt sæpe à variis Pontificibus est factum) si fortè Religiosus ille ob professionem Religionis (Et idem est de Ordine sacro) caruit successione in aliquod feudum vel Maioratum, per dispensationem illam simul etiam restituitur in illud feudum, eodem modo ac si ab initio nullum habuisset impedimentum: idque quamuis substitutus iam sit in pacificâ possessione. Sicut fieret si idem mortuus resuscitaretur ad vitam; quia Pontifex dispensat in radice. *part.*8.*tract.* 1.*ref.* 73. *&* 75.

XXIX. Posse Pontificem auferre ab Episcopis potestatem validè confirmandi, vel ordinandi docent plures Canonistæ. Sed errant. Posse tamen Pontificem auferre ab Episcopis omnem potestarem quam habent circa Sacramentalia, docet Marchin. & 2. *Ibid.ref.* 28. *&* 29.

XXX. Potest Pontifex Principibus Christianis donare occupandas Infidelium terras, etiam quæ numquam à Christianis possessæ fuerunt. Solorzan. & 7.*part.*6.*tract.*4. *resol.*18.

XXXI. Quando oritur grauis controuersia inter duos Christianos Principes, nec vllus est arbiter, potest & de-

bet S. Pontifex, vt obuiàm eat incommodis contra bonum ſpiritale inde naſcituris, de eâ cognoſcere. Molin. & 6. *p.1.tr.2.reſ.* 124. Similiter poteſt interdum alicui Principi vetare ne bellum gerat, & ab eo per excommunicationem terrere. Suarez & 5. Sed hoc cum magna circumſpectione faciendum notant Molin. & Villalob. *part. 6. tract. 4.reſ.2.*

XXXII. Pontifex exiſtens in regno alterius Principis non tenetur leges illius ſeruare, non ſolùm ex vi præcepti & obedientiæ, ſed nec ex titulo quidem conformitatis cum illâ communitate; quia dignitas eius nimis eminens eſt. Suarez & 2. Etſi contrarium affirmet Arriag. *par.10. tr. 14.reſol.26.*

XXXIII. Pontifex non eſt dominus beneficiorum, aut bonorum eccleſiaſticorum, ſed ne eorum quidem quæ ſpecialiter ſpectant ad Eccleſiam Romanam, ſed tantùm ſupremus adminiſtrator: vnde non poteſt ad libitum ea dare cui voluerit, aut bona vnius Eccleſiæ dare alteri. Leſſius & 11. Etſi contrarium doceat Filliuc. & plures Canoniſtæ. *p.11.tr.3.reſ.14.*

XXXIV. Non poſſunt Principes prohibere ne ex ſuis ditionibus annatæ ſoluantur Pontifici, niſi id fiat ex huius conſenſu. *p.7.tr.1.reſ.* 22.

Infallibilitas Pontificis.

XXXV. Etſi quidam docuerint Pontificem ſine Concilio poſſe errare in definiendo, (Adrian. & 4.) & hanc ſententiam quidam dixerint ſolùm improbabilem (Malder. & VViggers) alij temeratiam (Stapleton.) alii erroneam (Arragon. & 2.) alii hæreſi proximam (Bellarm & 3.) tamen ſimpliciter dicenda eſt hæretica. Suarez & 5. Sunt enim infallibilis veritatis quæ à Pontifice ex Cathedrâ definiuntur etiam extra Concilium. Et ſic primis trecentis annis multæ hæreſes damnatæ, & vt tales habitæ ſunt ante Concilium Nycenum. Sic Pelagiani habiti ſunt hæretici

ſtatim poſt decreta Concilii Africani à Zozimo Papa approbata. Sic Concilia prouincialia vbi à Pontifice ſunt approbata recipiuntur ab Eccleſiâ vt regula fidei, vt Arauſicanum,& Mileuitanum.*p.11.tr.10.reſ.1.4.2. & 3.*

XXXVI. Si Pontifex aliquid definiret non adhibito debito examine, & conſilio Cardinalium & Theologorum non fore infallibilem, nec definitionem certam de fide.docet Granad. & 6. Sed affirmat Valent. & 5. quia aliàs omnis definitio redderetur dubia, cùm dubitari poſſet an debita diligentia eſſet adhibita. Quare caſus non eſt admittendus vt poſſibilis, propter Spiritus S. aſſiſtentiam non tantùm ad definiendum infallibiliter, ſed etiam ad debitam diligentiam adhibendam.Suarez. *Ibid.reſ.* 5.

XXXVII. Non omnia quæ habentur in Conciliis aut definitionibus Pontificum,ſunt de fide,ſed ea tantùm quæ directæ definiuntur : non autem ea quæ obiter deferuntur ad meliùs explicandam rem definitam. Granad. & 4. Sic neque omnia ſunt de fide quæ in Decretalibus ex reſponſis Pontificum continentur; cùm multa ad particulares Eccleſias ſint directa,non autem vniuerſali Eccleſiæ propoſita.Valent.& 3. *Ibid.reſ.9.*

XXXVIII. Non tantùm non poteſt errare Pontifex cum propoſitionem aliquam cenſutat vt hæreticam, ſed etiam cum damnat vt erroneam, vel temerariam &c. Lugo & 2. Neque tamen proptereà eſſet hæreticus qui propoſitionem damnatam vt temerariam negaret eſſe temerariam, ſed veram eſſe, niſi ſimul diceret Eccleſiam errare in eiuſmodi cenſurâ. Incideret tamen talis in errorem hæreſi proximum. Malder. Similiter errare non poteſt cum declarat propoſitionem aliquam probabilem eſſe, vel probabiliorem. Turrian. Imò non poteſt propoſitionem aliquam falſam approbare vt probabiliorem modò illa ſpectet ad fidem aut mores.*Ibid.reſ.*10.

XXXIX. Quando Pontifex aliquid definit, Deus non reuelat illi immediatè rem definiendam (Etſi hoc doceat Suarez & 2.) Sed tantùm illi aſſiſtit ne erret in proponen-

do Ecclesiæ aliquid quod reuelatum non sit, Molin. & 5. *Ibid. ref.* 11.

XL. Est de fide Pontificem esse infallibilem etiam quoad mores, ita vt non possit statuere aliquid ab vniuersali Ecclesiâ obseruandum quod legi diuinæ, vel naturali contrarium sit, nam aliàs tota Ecclesia errare posset in negotio salutis. Suarez & 7. Imò idem dicendum de lege, vel statuto pro vnâ aliquâ Prouinciâ, vel diœcesi. Bannez *Ibid. ref.* 13. *&* 14.

XLI. Non potest Pontifex errare in canonizatione Sanctorum; aliàs tota Ecclesia posset errare, cùm teneatur obedire in tali decreto obseruando. Idem est de beatificatione; nam Beatum proponit etiam toti Ecclesiæ venerandum & inuocandum. Imò quoad canonizationem est de fide, non posse errare. Valent & 5. (Etsi hoc neget Suarez & 5.) Idem de beatificatione asserit Castropal. & 2. Sed contrarium est probabilius. Arriag. & 2. Est tamen ita certum vt contrarium sit temerarium, scandalosum, & impium. Turrian. & 6. *Ibid. ref.* 15. 16. 17. 18. 19. *&* 20.

XLII. Qui diceret Papam posse errare in canonizatione, vel beatificatione Sanctorum, esset quidem puniendus ab Inquisitoribus tamquam suspectus, non tamen tamquam hæreticus; quia non est certum esse de fide Papam in eo non posse errare: vnde talis non deberet abiurare de formali, sed de vehementi. Granad. & 3. *Ibid. ref.* 22.

XLIII. Est de fide Pontificem non posse errare in approbatione Religionum, Castropal. & 2. Imó probabilius non tantùm quoad substantiam, vt si approbaret institutum contrarium perfectioni: sed etiam quoad circumstantias, vt si approbaret aliquam minùs conuenientem Ecclesiæ. Valent. & 2. Etsi in hoc posteriori dissentiat Suarez & 5. *Ibid. ref.* 23. 24. *&* 25.

XLIV. Item non potest errare quando toti Ecclesiæ ex Cathedrâ declarat contractum aliquem esse licitum, vel illicitum, seu vsurarium; hoc enim pertinet ad mores ne Ecclesia amplectatur malum vt bonum. Malder. & 6. Et

huc spectat approbatio Montium pietatis à Leone X. in Concilio Lateranensi. Malder. *Ibid. res.* 26.

XLV. De propositionum philosophicarum probabilitate Pontifex non habet infallibile iudicium, nisi quatenus illæ possunt remotè spectare ad fidem. Quo modo in Concilio Viennensi à Clemente V. definitum est erroneũ esse dicere, animam rationalem non esse formam corporis humani per se, & essentialem. Malder. *Ibid.*

Prælatus Regularis.

I. NOn potest absque auctoritate Sedis Apostolicæ aliquis eligi in Prælatum Regularem, nisi expressè in illâ Religione emiserit professionem: aliàs non tantùm illicita, sed & inualida est electio. Suarez & 7. Ideoque Cardinalis N. non tantùm illicitè, sed inualidè electus fuit in Generalem Ordinis N. *part.* 9. *tractat.* 9. *resol.* 62.

II. Ad Pontificatum sufficere ætatem 30. annorum, docet Barbos. Sed probabilius nulla ætas quoad illum est à iure determinata. Ad Episcopatum verò requiruntur 30. anni completi. *cap. cum in cunctis. De decimis.* In Galliâ tamen sufficiunt anni 27. ex concordatis cum Leone X. Pro Abbatibus, Decanis, & ceteris dignitatibus curam animarum habentibus siue sæcularibus, siue Regularibus requiritur annus 25. inchoatus. Pro aliis dignitatibus sine curâ, vel pro Personatu sufficere annum 22. inchoatum, docet Henriquez & 7. Sed probabiliùs requiritur completus, præcipuè propter declarationes Cardinalium. Vasquez & 9. Sed hæc ætas 22. annorum requiritur solùm pro dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, non autem in Collegiatis, Barbos. & 4. Etsi etiam hoc affirmet probabiliter Castropal. Anni 40. pro Pœnitentiario requisiti à Tridentino *sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* probabiliùs non debent esse completi. Azor & 2. Etsi completos requirat Barbos. & 4. *p.* 10. *tr.* 16. *res.* 86.

III. Surdus vel mutus, vel cæcus sunt ineligibiles ad Prælaturas. Imò si Visitator statutus fiat cæcus, non potest pergere in officio. Megal. Quamuis autem, non priuentur iure eligendi alios, cæci tamen & surdi tutiori conscientiâ iuri illi renuntiarent, cum facillimè decipi possint. *p.5.tr 6.res.*20.*&* 13.

IV. Similiter Regulares puniti ab Inquisitoribus (pœnitentiis salutaribus exceptis) inhabiles sunt, nec possunt rehabilitari nisi à Papâ, vel ab Inquisitoribus sacræ Congregationis. Barbos.& 3. ex decreto Vrbani VIII.*part.*4.*tr.* 5.*resol.*48.

V. Non potest cæcus elector curare sibi scribi nomen eius quem vult eligere, etsi adderetur iuramentum de fidelitate seruandâ: sed debet scrutatoribus in aurem dicere nomen; quia vbi forma actûs in totum seruari non potest; seruanda est meliori modo quo potest. *part.* 9.*tr.* 9.*resol.*30.

VI. In electionibus si suffragia ferantur sub conditione incertâ, vel ambiguâ, vel pro personis incapacibus, vel sub distinctione v. g. eligo Paulum si Petrum habere non possim &c. habenda sunt pro nullis, ita vt illis reiectis, ex aliis consurgat plena electio eius qui horum maiorem partem habuerit. Mirand. & 2.*p.*8.*tr.*7.*res.*77.

VII. Infans baptisatus è quocumque genere sit natus, si postea factus est religiosus, potest sine vllâ dispensatione ad Prælaturas promoueri. Peirin. & 5. *part.* 6. *tr.* 7.*resol.*1.

VIII. An expediat Generales Religionum esse perpetuos nécne, in vtramque partem disceptari potest. *part.* 3. *tr.*2.*res.*124.

IX. In Religione Clericorum Regularium Minorum Generalis electus in locum defuncti infra spatium sexennij quo durat officium, non potest in sequenti Capitulo generali confirmari ad sexennium iuxta eorum constitutiones, *p.*10.*tr.*15.*res.*1.

X. Regulares tenentur ad prælaturas eligere dignio-

res;idemque est de Generali, si ad hunc solum spectat electio : quia Prælaturæ regulares sunt beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia. Turrian. & 5. Etsi Filliuc. & 2.contrarium probabile putent. *p.2.tr. 15.res.61.& p.5.tr.14.res.11.& p.11.tr.4.res. 37.*

XI. Etsi maior pars Capituli elegerit indignum non potest tamen minor pars suffragiis suis ad illos accedere; quia etsi impedire non possint electionem, numquam tamen licet eligere indignum, cùm sit intrinsecè malum. Lessius & 5. Etsi contrarium doceat Bordon. *part.10.tract. 13.resol.31.*

XII. In Religionibus ante electionem Prælatorum, haberi possunt tractatus consultorij, vt sciatur quis sit dignior, vel dignissimus;non autem ambitiosi, pactionales, conditionales, &c. Peyrin. & 2.*part.2.tractat.16.resol. 35.& p.11.tr.4.res.37.*

XIII. Accusatus vel denuntiatus de aliquo crimine non potest propterea excludi ab electione:si tamen de tali crimine esset infamatus, fore ineligibilem, docet Peyrin·negat Murcia : eò quod infamia habeat se solùm per modum accusatoris : vt autem excludatur quis ab electione,debet iuridicè esse conuictus de crimine. *part. 10. tr.13.res.32.*

XIV. Si electores redigerentur ad solos duos, adhuc posset vnus alterum eligere,siue vno solo eligente,& altero cedente iure suo eligendi:siue ita vt vnus alterum eligat, & hic consentiat suæ electioni per accessum:sic enim non incipiet suam electionem vt ambitiosus, sed ab altero inceptam complebit. Pasqualig. & 9. Contrarium tamen est probabile nimirum essentiam electionis requirere vt sit ex pluribus hoc est minimum ex duobus quod eo casu fieri non posset,cùm idem non possit eligere,& eligi Nauar.& *9.p.10.tr.13.res.33.*

XV. Prælati Regulares qui non sunt electiui, possunt amoueri à suis prælaturis ad libitum suorum Superiorum, etiam sine causâ : non tamen accusatione, & inquisitione

contra ipsos pendente. Riccius & 2.*part.* 3. *tractat.* 2. *resol.*117.

XVI. Prælati Religionum non tenentur emittere professionem fidei;quia constitutio Pii IV.id præcipiens non est vsu recepta. Sanchez & 4. Idemque est de Lectoribus Theologiæ Philosophiæ, vbi non est vsus *part.* 3.*tract.*2. *resol.*78.

XVII. Superiores Regularium tenentur residere in suis Monasteriis. Item assistere suis tempore pestis, vel hæresis, etiam cum periculo vitæ; quia est eadem ratio quę de Parochis. Vnde non potuit Generalis quidam concedere vt prior quidã abesset à suoMonasterio per aliquot menses ad imprimendum librum. Bordon. *p.*9.*tr.*7.*res.*53.

XVIII. Prælati Regulares tenentur corripere peccata etiam venialia subditorum; ne disciplina Religiosa collabatur.Villalob.& 3.Imò tenentur ex iustitia ad correptionem.Hurtad.& Coninc.Etsi contrarium probabile sit. *p.*3. *tr.*2.*res.*38.& *p.*5.*tr.*14.*res.*95.

XIX. Prælatus Regularis potest ac debet inquirere in peccata occulta subditorum, vt illa paternè corrigat, modò absit nimia sollicitudo. Et propterea Religiosus interrogatus à Prælato visitante Conuentum & inquirente de obseruantiâ constitutionum,peccat mortaliter si non respondeat veritatem. Non tamen licet priuato Religioso inquirere in vitam fratrum, vt illos fraternè corrigat. Lorca *p.*3.*tr.*2.*res.*42.& *p.*10.*tr.*15.*res.* 32. Quando autem Prælatus generaliter inquirit super aliquo delicto notorio, cuius tamen auctor ignoratur, tunc subditus qui nouit auctorem, sed tamen dubitat an contra eum sint indicia,vel infamia, non tenetur eum prodere, sed debet respondere se nescire quis commiserit.*p.*3.*tr.*5.*res.*106.

XX. Superiores regulares non curantes statis diebus legi super mensa decreta Vrbani VIII. de celebratione Missarum, non incidunt in pœnam priuationis vocis actiuæ & passiuæ,si curent illa legi paulò pòst. Peyrin. *p.*5. *tr.*14.*res.*15.

XXI. Pos-

xxi. Possunt Prælati Regulares commutare, & dispensare vota Nouitiorum. Sanchez & 6. Item absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ. Suarez & 4. Itemque malè promotos ad Ordines, siue ante legitimam ætatem, siue per saltum &c. Portel. Item dispensare votum de transeundo ad Religionem strictiorem. Suarez & 3. Non possunt tamen dispensare super infamiâ iuris publicâ. Etsi contrarium doceat Peyrin. eò quòd cum infamia iuris non incurratur ante sententiam, priuilegium Eugenii IV. concedentis vt Prælati possint in infamiâ dispensare, debeat intelligi pro foro externo, & in infamiâ per Iudicem declaratâ; alioquin enim nihil concederet. Portel. *part. 3. tractat. 2. resol. 71. 72. 85. & 91. & part. 5. tractat. 14. resol. 91.*

xxii. Prælati Regulares qui cum suis illegitimis possunt dispensare ad quasuis dignitates & officia Ordinis; possunt etiam ad Generalatum. Bordon. & *9. part. 10. tr. 9. per totum.*

xxiii. Prælati Religionum possunt benedicere paramenta Ecclesiarum, etiam externarum. Rodriquez & 3. *p. 3. tr. 2. res. 40.*

xxiv. Prælaptos exemptos Curiæ Romanæ, vt sunt Auditor Cameræ, Thesaurarius, Clerici Cameræ, Præsides Cameræ, Auditores Rotæ, Magistri Sacri Palatij; Protonotarij Apostolici, & Referendarij, posse virtute *ca. fin. de pœnit. & remiss.* eligere sibi Confessarium etiam non approbatum, docet Suarez & 4. Sed hoc videtur reuocatum à Tridentino. Et vt reuocatum non esset, obstât praxis & consuetudo. Vnde huius resolutionem ad sacram Congregationem remitto. *p. 10. tr. 16. res. 76.*

xxv. Superiores Regulares non possunt aliquid vetare sub pœnâ excommunicationis sibi reseruatæ. Quia ex Decreto Clementis VIII. omnis reseruatio illis interdicta est; aliàs enim ratione censuræ illud peccatum maneret reseruatum. Sanchez & 4. Etsi contrarium doceat Suarez & *6. p. 3. tr. 2. res. 49.*

XXVI. Superiores Religiosi non possunt liberaliter donare nisi modica quædam, & ad bonum Monasterij. Villalob.*p.8.tr.6.res.*12. Imò nec possunt in communibus tantùm necessitatibus pauperum expendere in eleemosynas omnia superflua ex reditibus monasteriis sed ex iis augere debent, vel perficere monasterium, aut eius reditus, vt plures possint alere. Suarez & Peyrin. *part.* 5. *tractat.*8. *resol.*33.

Præscriptio.

I. QVando quis legitimè iuxta leges possessionem alicuius rei præscripsit, potest eam tutâ conscientiâ retinere, etsi posteà cognoscat fuisse alienam.*part.6.tr.*7. *resol.*12.

II. Contra Ecclesiam Romanam non valet præscriptio nisi centum annorum: sicut nec contra supremos Principes, vel Reges.Menoch.& 7.*Ibid.res.*8.

III. Consuetudo dicitur legitimè præscripta absque bonâ fide, quamuis in aliis præscriptionibus ea requiratur.Lugo & 2. Etsi contrarium doceat Lessius *part.* 8.*tract.* 7.*resol.*37.

IV. Omnis inualida collatio beneficii Ecclesiastici quoad inhabiles firmatur per triennalem pacificam possessionem, per modum præscriptionis: iuxta regulam Cancellariæ 33. Quæ procedit etiam in foro conscientiæ. Lessius & 12. Etsi id neget Molin. & 3.Debet tamen possessio esse bonæ fidei. Sanchez & 6. Quamuis hoc non improbabiliter neget Castropal. & 3. Item debet illud triennium esse continuum, & integrum vt nec vna dies desit. Lugo & 2. Sufficit tamen vltimum diem esse inchoatum: quia is habetur pro completo in vsucapionibus. Pensio tamen eo modo non reualidatur: quia illa regula agit de beneficiis propriè dictis. Sanchez & 2. Fructus autem nulliter percepti ex beneficio vel pensione ob titulum vitiosum, præscribuntur triennio cum bonâ fide.San-

chez *p.7.tr.10.res.16.& p.9.tr.9.resol.67.*

V. Excipitur ab ea regula inhabilitas ex conditione personæ, vt sunt merè laici. Item quæ est ex simoniâ scienter contractâ, vel ex violentâ intrusione, vel si beneficium est reseruatum reseruatione clausâ in corpore iuris; quos solos casus excipit ea regula. Sanchez & 3. Exceptio tamen illa de simoniâ, intelligitur de solâ reali completâ, non autem de mentali, vel conuentionali, Sanchez & Lugo. Neque de eâ quæ te inscio commissa est, v. g. quia Pater, vel alius te inscio aliquid dedit vt tibi beneficium conferretur. Lugo & 9. *Ibid. vtroque loco.*

Priuilegium.

I. PRiuilegium concessum non subdito transit in contractum, & ideo non est amplius reuocabile. Suarez & 20. Talia autem sunt quæ à Principibus sæcularibus conceduntur Ecclesiasticis. *part.4.tractat.1.resol.82. & part. 7.tract.1.res.8.*

II. Priuilegium, vel gratia, vel donatio concessa à Principe propter merita, tamquam contractus onerosi reuocari non possunt. Felin. & 9. Nisi ex iustâ causâ, & quę publicam respiciat vtilitatem. Bald. & 10. Et de hac constare debet, nec satis est Principem asserere se habere iustam causam. Cabrer. & Fragos. *p.8.tr.6.res.122.* Pontifex tamen quælibet priuilegia reuocare potest, etiam remuneratoria. Sousa. *p.1.tr.2.res.6.& p.7.tr.1.res.8.*

III. Concordata Pontificis cum Rege aliquo, sunt priuilegium reuocabile, non ex parte Regis, sed ex parte Papæ. Suarez & 1. An verò sint per Bullam Cœnæ reuocata, in vtramque partem à DD. disceptatur. *p.1.tr.2.res.96. & p.5.tr.1.res.14.& p.7.tr.1.res.8.& 16.*

IV. Confirmatio priuilegiorum *ex certâ scientiâ*, & sine clausulis restrictiuis operatur vt priuilegia reuocata restituantur instar nouæ concessionis. Lugo & 25. Sed contrarium est tenendum; quia clausula illa nihil operatur

circa ea quæ sunt facti quæ Princeps præsumitur ignorare. Sanchez & 24. Item non sufficit illa clausula quando conceditur priuilegium contra legem habentem clausulam derogatoriam priuilegiis. Panormit. & 2.*p.11.tr.2.res.7.& tr.3.res.5.& p.12.tr.2.res.26.& 28.*

V. Confirmatis priuilegiis vnius Religionis, censentur etiam confirmata priuilegia aliarum quæ communicant cum illâ in priuilegiis. Rodriquez & 10,*part.12.tr.2, resol.26.*

VI. Sub generali communicatione priuilegiorum quæ fit Ordinibus Religiosis, non veniunt altaria priuilegiata; quia per generalem communicationem non conceduntur priuilegia exorbitantia, & quæ rarò concedi solent. Tamburin. & Meroll, *p.6.tr.7.res.39.*

VII. Priuilegia concessa viris Religiosis participantur etiam à Monialibus eiusdem Ordinis. Suarez & Rodriquez. Quamuis in concessione diceretur illa concedi viris Religiosis, *ex priuilegio Leonis X.* Quæ vera sunt etsi Moniales non subiiciantur Prælatis sui Ordinis, sed Episcopo. Castropal. & 3. Eodem modo fruuntur priuilegiis illius Ordinis sub cuius gubernatione, & curâ viuunt, etsi ipsæ sint diuersi Ordinis. Pasqualig. *p.10.tr.13.res.24.*

VIII. Religiosi communicantes cum aliis in priuilegiis non propterea communicant cum iisdem in pœnis, & prohibitionibus, vt si aliquo Ordine sit excommunicatio papalis contra aliquid facientes. Portel. & 6. *part.10. tr.12.res.55.*

IX. In dubio an priuilegium aliquod sit reale, an personale, si est fauorabile, quia nec iuri communi, nec alicuius particulari contrarium, censendum est reale, & extendendum: sin contrà, censendum est personale, & restringendum. Suarez & Pontius. *p.4.tr.3.res.51.* Et sic potestatem eligendi Confessarium extra iubilæum vel Bullam extendendam esse ad peccata etiam committenda, docet Salas & Bonacin. Quod negat Suarez & 2.*part.8.tractat.3. resol.45.*

X. Priuilegium vel facultas concessa retrotrahitur ad validandum actum præteritum qui sine eâ facultate fieri non poterat. Sic obtenta licentia ad ædificandum molendinum extenditur ad molendinum illicitè iam anteà factum : & facultas testandi ad testamentum iam conditum, siue Princeps sciat, siue ignoret illud iam esse conditum. Surd. & 14. Idem est de facultate obtinendi plura beneficia incompatibilia.Riccius & 4.*p*.8.*tr*.3.*res*.99.

XI. Etsi priuilegium non extendatur de personâ ad personam ob identitatem, aut maioritatem rationis : hoc tamen verum non est quoad priuilegia inserta in corpore iuris. Sanchez & 6. Neque quoad personas in iure æquiparatas per modum regulæ : quo modo concessa Ecclesiis extenduntur ad hospitalia. Panormit. Et quæ pupillis conceduntur, ad Minores:& contra:imò & ad omnes quia ab aliis regi debent, vt ad Ecclesiam, Rempublicam, furiosos &c. Euerard. Denique extenduntur priuilegia ad casus in iure æquiparatos:sic priuilegium comedendi oua extenditur ad lacticinia, & contrà, & facultas studendi Theologiæ cum perceptione fructuum, extenditur ad studium iuris Canonici.Nauar. & 3.*p*.10.*tr*.13.*res*. 4.

XII. Priuilegium in corpore iuris insertum non comprehenditur in generali derogatione priuilegiorum. Suarez & 23. Idem est de priuilegiis concessis per Concilium generale, debet enim in specie fieri eorum derogatio. Cened.& 20.*p*.3.*tr*.1.*res*.1.*& part*.5.*tract*.13.*res*.93.*& part*.6.*tr*.2.*resol*.8.

XIII. Bullam Vrbani VIII. reuocantem viuæ vocis oracula, non tollere priuilegia Regularibus sic concessa ante Gregorium XIII. quia hic ex certâ scientiâ illa confirmauit, docet Peyrin. Imò & Sixtus V. ita confirmauit. Et postea Paulus V. expresè confirmauit etiam viuæ vocis oraculo concessa. Ideoque tunc desierunt esse viuæ vocis oracula. Pellizzar. & 11. Item per eam Bullam non reuocari quæ sunt purè fauorabilia, & nulli præiudicant, docet Bordon. Sed hæc omnia sunt contra stylum Curiæ

Romanæ. Et aliàs inanis fuiſſet illa Bulla Vrbani. Lugô & 6. Indulgentiæ tamen per eam non ſunt reuocatæ. *part. 5. tractat. 14. reſol. 17. & part. 9. tr. 9. reſ. 61. & p. 10. tr. 14. reſ. 24. & p. 11. tr. 6. reſ. 45.*

XIV. Per Bullam Cœnæ tolli caſus priuilegiatos in quibus Iudices ſæculares pro criminibus quibuſdam agunt contra Clericos, docet Brinsfeld. Negat Bonius. Sicut & monarchiam Siciliæ quidam oppugnant. Baron. & Caten. Alij verò defendunt Geneuar. & 12. *part. 3. tractat. 1. reſol. 74.*

XV. Filius etſi natus fuerit priùs quàm Pater adſcriberetur in numerum ciuium, gaudet tamen iiſdem priuilegiis ciuitatis. Non tamen plebeius etſi adoptetur à viro nobili, eo ipſo fit nobilis ita vt gaudeat priuilegiis Nobilium. Tiraquel. & Beſold. Etſi id velit Bocer. & Hunnius *p. 8. tr. 7. reſ. 39. & 87.*

XVI. Nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo etiam pro adimplendo præcepto. Dicaſtill. & 7. Sic non tenetur audire ſacrum tempore interdicti, vel in Oratorio priuato qui habet priuilegium ſic audiendi. Etſi contrarium doceat Præpoſit. & 4. Hinc qui habet poteſtatem ſecum diſpenſandi, non tamen tenetur diſpenſare etiam ad obſeruandum præceptum Diuinum v. g. aliquoties in vitâ celebrandi. *p. 12. tr. 3. reſ. 3.*

Promiſſio.

I. Simplex promiſſio etiam acceptata probabiliter non obligat in conſcientiâ, nec inducit obligationem reſtitutionis; quia non eſt pactum quod obligat ex iuſtitiâ. Henriquez & 5. *p. 2. tr. 17. reſ. 9. & p. 4. tr. 4. reſol. 122. & p. 5. tr. 14. reſ.* 74. Eſt tamen probabile promiſſionem etiam internam in conſcientia obligare; nam & per actum internum poſſe transferri dominium, probabilis eſt opinio Sanchez & 4. Probabile etiam eſt iure naturali non requiri accceptationem. (Molin. & 3.) Etſi contrarium ſit proba-

bilius. *part.3.tractat.5.resol.*116.*& part.8.tractat.6.resol.*107. *&* 108.

II. Qui iurauit meretrici dare 100. aureos pro actu fornicario, non tenetur, nisi ad eam partem quam eius conditionis homines solent similibus soluere; quia promissio prodiga etiam iuramento firmata, obligat solùm ad quantitatem in quâ nulla est prodigalitas. Bannez *&* 6.*p.4.tr.4.res.*27.

III. Qui promisit meretrici aliquid pro vsu corporis, probabiliter non tenetur soluere:quia vsus ille ad actum venereum non est vendibilis, vtpote non separabilis à peccato. Nauar.& 4. Contrarium tamen est probabilius Lessius & 16. Idem est de peccatis etiam contra iustitiam vt homicidio, falso testimonio, iniustâ sententiâ &c. Imò & in iudicio meretricem posse mercedem illam exigere, affirmat.Couarr. & 4.Negat Glossa. Vt vt autem hæc sint, non tenetur meretrix acceptum restituere: vti nec munera data eâ intentione, etsi ipsa in actum non consensit. Valer.& Rebell.*part.2.tractat.*16.*resol.*38.*& p.8.tract.6.resol.*83.103.*&* 110.

IV. Iuramentum additum fictæ promissioni non inducit veram obligationem. Ochagau. Contrarium tamen est probabilius.Lessius & 3.*p.5.tr.*14.*res.* 34.

Circa Bullam Gregorij XIII.de datis & promissis in curiâ Romana.

V. Bulla Gregorii XIII. vetans sub grauibus pœnis aliquid dari, vel promitti in Curiâ Romanâ pro obtinendâ gratiâ, vel iustitiâ, secundùm quosdam non punit eos qui dant alio titulo v. g.I. ob gratitudinem & liberalitatem.II. ratione laboris,etiamsi daretur pretium maius debito.III. ratione damni, quatenus ipsis redditur difficilior impetratio quò sæpius petunt, vel IV. si maiorem industriam impendant quàm ex officio teneantur. Bonacin.& 2.*p.7.tr.4.res.*1.

VI. Sub eâ prohibitione non comprehendi promissiones factas verbis generalibus ex gratitudine, & quæ non inducunt obligationem iustitiæ, docet Hurtad. Sic etiam fictè promittentes negat has pœnas incurrere Bonacin. Affirmat Dicastill. Idemque, etsi promissio non sit acceptata, affirmat Molin. & 4. contra Bonacin. *Ibidem resol.* 2. 4. *&* 5.

VII. Bullam non agere de datis v. g. Gubernatori Vrbis, & ceteris qui ministri sunt iurisdictionis temporalis: sed solùm qui sunt ministri iurisdictionis spiritalis, docet Molin. & Nauar. Sed alii contrà sentiunt. Bonacin. & 3, *Ibid. res.* 3.

VIII. Sub nomine gratiarum comprehenduntur etiam absolutiones, indulgentiæ, dispensationes, beneficia, & aliæ gratiæ quæ solo verbo perficiuntur. Nauar. & 3. Etsi contrarium doceat Lother. *p. 6. tr. 7. res.* 14.

IX. Probabile est Cardinales in hac Bullâ non comprehendi, cùm sit pœnalis & odiosa, in quibus illi non veniunt nomine Clericorum. Sed contrarium est probabilius. Bonacin. & Dicastill. *p. 7. tr. 4. res. 7.*

X. Incidit in pœnas has qui aliquid dat, non quidem pro obtinenda iustitia sed pro ea differenda, vel auferenda; quia in hoc obtinet gratiam. Filliuc. & 2. Quamuis id neget Farinac. Probabile est etiam in eas non incidere qui dat Iudici solùm vt causam citiùs expediat. Farinac. Aut qui solùm dat post impetratam gratiam, vel iustitiam, modò antè non promiserit. Azor & 2, *Ibidem resol.* 8. 9. *&* 10.

XI. Excusat à pœnis materiæ paruitas, quæ non est hic eadem quæ in furto, sed omnis illa quæ non est sufficiens ad alliciendum, vel peruertendum accipientem. Molin. & 4. Vnde fieri posset vt equus donatus censeri deberet materia parua. Nauar. *Ibid. res.* 6.

XII. Pœnæ non obligant extra Curiam Romanam vnde si alibi detur pro gratia Romæ obtinenda, non incurruntur. Nouar. *Ibid. res.* 10.

XIII. Pœnæ hæ non afficiunt dantes auxilium, consilium, vel fauorem, nisi sequatur effectus, siue actio ad quam ordinabantur. Dicastill. Sicut neque eos qui hanc constitutionem ignorant. Molin. & Mazuchell. *Ibid. res.* 13. & 14.

XIV. Quoad denuntiandos intra triduum delinquentes contra eam Bullam, probabile est solùm obligari existentes in Curia Romana. Molin. & 3. Sed probabiliùs tenentur omnes simul atque poterunt, saltem per litteras, Præmittenda tamen correctio fraterna, si ex hac fructus speretur. Vasquez & 12. *Ibid. res.* 11. & 12.

Protector.

XV. Posse subditos irrequisito Domino suo subiicere se protectioni & clientelæ alterius, etsi probabiliter doceat Menochius & 18. eò quòd per talem subiectionem nihil detrahatur de iurisdictione Episcopi, vel Principis ordinarii: Contrarium tamen est tenendum; quia etsi protectio illa non tribuat iurisdictionem, multum tamen præiudicat vero Domino, quatenus Protectores sub prætextu tutelę multa solent vsurpare vnde subditorum obedientia multum minuatur. Bocer. & 18. Excipe tamen casum necessitatis quando proprius Princeps suos defendere vel ob negligentiam non vult, vel ob impotentiam non potest: modo tunc caueatur securitati iuris proprii Domini, & præcipuè nę Patronis permittatur suo præsidio arces vel oppida tenere. Bodin. Quando tamen Cardinales, vel Barones Romani ad domos suas exponunt stegmata Regum Hispaniæ, vel Galliæ, non constituunt se propriè sub eorum protectione, sed potius ostendunt se peculiariter erga illos affectos. *p.* 10. *tr.* 7. *per totum.*

R.

REGVLARES.

I. EQuites D. Ioannis.D.Iacobi, Montesæ Calatrauæ, Alcantaræ &c. (non tamen S.Stephani) cùm sint verè Religiosi (Suarez & 31.) posse confiteri Confessario non approbato per Episcopum, docet Sancius & 6. Sed contrarium est verius;nam vt ex consuetudine patet milites hi quoad receptionem Sacramentorum dependere solent ab Ordinariis locorum. Per votum tamen Equitum illorum non dissolnitur matrimonium ratum, sic decernente Pontifice. Sed dirimitur per professionem Equitum S. Ioannis. Sanchez & 8. Nec contrarium huius probabile est etsi id dicat Vidal. Imò probabile est Equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ &c. non esset verè Religiosos: vnde votum ingrediendi eorum Religionem posset virtute Bullæ Cruciatæ commutari.Soria.*p.*3.*tr.*2.*ref.*30. *& p.* 8.*tr.*1.*ref.*86.*&tr.*7.*ref.*96.*&p.*10.*tr.*11.*ref.*31.*&tr.*12.*ref.*1*& tr.*16.*ref.*76.*&p.*11.*tr.*4.*ref.*33.

II. Professio in Religione Equitum Hierosolimitanorum emissa non sumpto Priùs cingulo militari, est inualida;quia hoc est de formâ substantiali professionis,cum sit professio Religionis non simpliciter, sed militaris : & cingulum illud, sicut apud Veteres, ita & in hac Religione constituit in esse militis. Lezan & 2.*part.*10.*tractat.*10. *per totum.*

III. Religiosi militares decenter accedunt ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ense & pugione accincti. Sancius.*p.*3.*tr.*2*r.ef.*30.

IV. Moniales Turris speculorum Romæ,non sunt veræ Religiosæ;quia earum Ordo non est à Pontifice approbatus tamquam Religio, sed tamquam laudabile institutum.Vnde earum vota sunt simplicia:Et recedentes à Monasterio non sunt apostatæ. Sanctarell. & 2.Et validè pos-

sunt nubere. Gaudent tamen priuilegiò Canonis, & fori, & exemptione gabellarum tamquam personæ Ecclesiasticæ *p.8.tr.7.res.* 88.

V. Regulares ex vi constitutionis Gregorij XV. non possunt eligere in suos Conseruatores, nisi qui habent qualitates requisitas in *c. statutum.de rescript. in* 6.Castrop. & Fragos. Alij tamen volunt posse eligi quemlibet Superiorem Regularem ex priuilegio Gregorij XIII. *part.9.tr.9.resol.*26.

VI. Regulares peccant mortaliter assistendo agitationibus taurorum, etiam secluso scandalo,& contemptu, ob Bullam Clementis VIII. qui excommunicationem quoad alios omnes sustulit exceptis Religiosis.Suarez & 11. Probabile est tamen in eâ prohibitione non comprehendi nisi qui sunt in Ordine sacro. Castropal.& 3. *part.*11.*tractat.*4.*res.*11.

VII. Vocales Religionis,id est, qui habent ius suffragij,non possunt pro arbitrio abesse à Capitulo; quia illorum est consulere commodis, tam spiritalibus quàm temporalibus Religionis:Si tamen quis sciuerit rem iniustam in Capitulo concludendam, nec se posse suo suffragio illam impedire,potest abesse: secus autem si possit impedire,tunc enim si absit ob humanos respectus;peccat mortaliter. Garsias & 5. *p.* 3.*tr.*2.*res.*6.

VIII. Qui negat suffragium Nouitio idoneo, peccat mortaliter (Etsi à mortali excuset Sanchez & 2.) Quia non tantùm illum retrahit ab ingressu Religionis, (quod sine mortali fieri non potest.Lessius & 7.) sed etiam ab eâ expellit sine iustâ causâ. Suarez & 7. *Ibid. resol.*19.*&p.7.tr*11.*res.*26. Imò idem dicendum quando dubitatur an sit futurus idoneus Religioni, docet Bardi. Quod tamen etiam probabiliter negat Caram. *p.*10.*tr.*12.*res.*44. Non peccat tamen mortaliter Superior qui sine vllâ causâ non vult aliquem admittere ad nouitiatum. Lugo & 2, etsi hoc affirmet Castropal. *p.*10.*tr.*13.*res.*6.

IX. Metus etiam solùm reuerentialis annullat profes-

sionem.Pontius. Licet contrarium doceat Sanchez & Riccius.*p.3.tr.2.res.92.* Quod si dubium sit an metus intercesserit,vel an fuerit iustus, vel an ratione metûs adfuerit animus se obligandi &c. & in quocumque casu dubium versatur circa valorem professionis, semper præsumendum est in fauorem Religionis,& professionis. Sanchez & 4.*p.4.tr.3.res.55.* Quando autem metus semper durat,potest talis etiam post quinquenium reclamare. Villalob. Debet tamen priùs rescriptum impetrare à Papa vt à Superioribus admittatur eius reclamatio. Rodriquez & Portel.*p.3.tr.2.res.62.*

X. Religiosi qui non fecerunt Nouitiatum iuxta decretum Clementis VIII. in locis designatis, non possunt stante Bullâ Vrbani VIII, petere coram Ordinario declarationem nullitatis ex eo capite suæ professionis;quia Vrbanus solùm voluit fauere Religiosis vt possent ratificare suam professionem.Peyrin.*p.5.tr.14.res.16.*

XI. Morbus gallicus in examine celatus, etsi de iure non faciat professionem irritam,præbet tamen causam sufficientem sic professum à Religione expellendi. Lessius & 6. etsi hoc neget Sanchez.*p.4.tr.4.res.188.*

XII. Si Monialis erumpente naturâ mutaretur in marem,non teneretur religionem virorum ingredi, sed esset libera à votis, Texeda & Torreblanc. etsi contrarium doceat Portel. *p.5.tr.14.res.* 49.

XIII. In dubio an parentum necessitas sit grauis, potest filius Religionem ingredi: quia possidet libertatem. Sanchez & Vecchius. *p. 4.tr. 3. res.57.* Quando autem ad eos iuuandos è Religione egreditur,potest etiam habitum dimittere, si eos aliter iuuare non potest. Fagund.*p.6.tr.7. res.19.* Sed licentiam ea de causâ viuendi extra claustrum etsi de iure communi concedere possent Prælati Religionis:nunc tamen per decretum Clementis VIII. renouatum ab Vrbano VIII,non potest id fieri sine licentia Sedis Apostolicæ, Lezan. & 2. Quod si tamen Prælatus contra ea decreta licentiam illam per se concederet, subditum

tuta conſcientia poſſe ea vti, docet Peyrin. De quo tu cogita. *p.10.tr.11.reſ.30.*

XIV. Legitimam non deberi filiis ſtatim poſt profeſſionem Patris, ſed tantùm poſt mortem eius, interim autem manere Monaſterio, docet Caſtrop. Contrarium tamen docet Suarez & *4.p.6.tr.7.reſ.55.*

XV. Qui ignorat nullitatem ſuę profeſſionis, vel impeditur quò minùs reclamet intra quinquennium, poteſt adhuc reclamare, Sanchez & *5.p.3.tr.2.reſ.53.* Sed Epiſcopus non poteſt ferre ſententiam de nullitate profeſſionis ſine interuentu Superioris Regularis, aliàs ſententia erit nulla; quia Tridentinum hanc poteſtatem ſolùm committit vtrique ſimul. Portel. & Bordon. Quod verum eſt etiamſi agatur de profeſſione alicuius eiecti à Religione; cùm hic maneat adhuc Religioſus, & ex vi voti obedientiæ cogi poſſit ad redeundum. Vaſquez & *4.part. 8.tractat. 7.reſol.2.*

XVI. Vt profeſſio reualidetur, debet quis eſſe conſcius nullitatis eius Suarez & 10. Niſi forte ratificaret ſub conditione ſi non valuiſſet. Leſſius. *p.6.tr.7.reſ.56.* Qui autem inualidè profeſſus, poſteà dubitat an primo quinquennio ratificauerit profeſſionem, debet præſumi ratificaſſe; quia hæc eſt præſumptio Tridentini, ſi totò illo quinquennio non reclamauerit, & poſſeſſio eſt pro Religione. Sanctarell. & Merol. Secus dicendum ſi quis dubitet ante quinquennium elapſum; tunc enim poſſeſſio ſtat pro libertate. Meroll. *p.4.tr.3.reſ.49.*

XVII. Etſi nulla conſuetudo poſſit præſcribere contra Regulam religioſam prout continet tria vota ſubſtantialia, poteſt tamen prout continet alia illis annexa v.g. contra Regulam S. Benedicti vt comedantur carnes. Sanchez & 6. Et ad hoc probabiliter ſufficiunt anni 10. ſicut contra alias leges Canonicas. Suarez & 5. Etſi Caram. in illo caſu requirat conſuetudinem immemorialem. Sed non obſtante tali conſuetudine poſſunt poſteà Superiores eam reducere ad priſtinum ſtatum Regulæ. *p.10.tr.15.reſ.6.*

XVIII. Monachi Benedictini si non vtantur habitu præscripto in *Clement.1.§.si quis autem. De stat. Monach.* incurrunt suspensionem. Requiritur tamen non solum peccatum mortale, sed etiam præsumptio, & vt non tantùm ad breue tempus: imò requiritur vt eo habitu prohibito vtantur per modum ordinarij habitûs. Suarez & Bonacin. *p.5.tr.10.ref.44.*

XIX. Qui retento habitu Religioso superinduit sæcularem vt incognitus incidat, incedit in censuras dimittentium habitum. Sanchez. Etsi contrarium etiam probabile sit. Suarez & Sayr. Certum est tamen talem peccare mortaliter. Eadem autem est ratio, quoad dimissionem habitûs, in Religiosis Societatis IESV; quæ in ceteris; cum teneantur vti habitu honesto Clericorum. Castrop. Etsi id etiam probabiliter negent Sanchez & Pellizz. saltem quoad censuram. *p.9.tr.7.ref.5.*

XX. Religiosus exuens habitum in loco secreto, vt commodiùs ei sit; vel vt meliùs currat, saltet &c. non incurrit excommunicationem. Neque si iniustè grauatus à Prælato immediato, fugit ad superiorem sine habitu Religionis, ne agnitus comprehendatur. Imò neque si ob turpem causam, v.g. vt furetur occultè, vel fornicetur, illum dimmittat mox reasumpturus. Breue autem tempus & materia parua est spatium vnius horæ. Sanchez & 5. Imò neque in his omnibus peccabit mortaliter, nisi eius regula specialiter sic ad hoc obliget. Suarez & 3. *Ibid. & p.3. tr.2. ref.115 & p.5.tr.5.ref.61. & tr.14.ref.72.*

XXI. Magister nouiter professorum non debet necessario habere ætatem 35. annorum; quia hoc per constitutionem Clementis VIII. solùm requiritur in Magistris Nouitiorum. Marant. *p.6.tr.6.ref.29.*

XXII. Nouelli professi etsi adhuc maneant sub curâ Magistri Nouitiorum, possunt tamen confiteri Confessariis statutis pro ceteris professis. Ex vi autem decreti Clementis VIII. non sufficit plures Confessarios statuere quibus singulis vna pars conuentûs assignetur, vt putat

Suarez. Sed debent plures statui singulis. *part.3.tractat.2. resol.5.*

XXIII. Quando Religiosi ex regulâ tenentur certis temporibus confiteri, non obligantur si sola habeant venialia; quia etsi secundùm aliquos possit Ecclesia præcipere confessionem venialium (vti fortè fecit in *Clementin. Ne in agro De statu Monachor.* Suarez & 3. Nisi tamen hæc intelligenda sit, quando haberent mortalia, Villalob.) Regula tamen religiosa non potest aliquid statuere circa materiam Sacramenti Pœnitentię. Villalob. *p.5.tractat.13. resol.35.*

XXIV. Regulares tenentur in suis Ecclesiis canere publicè horas canonicas in Choro, æquè ac Cathedrales & Collegiatę Ecclesiæ. Quæ tamen obligatio non est ratione eleemosynarum quibus aluntur, sed ex peculiari Regulâ instituti sui, aut ex consuetudine. Suarez & 9. Est tamen sub mortali respectu communitatis, etsi nec per Regulam, neç per votum hoc exprimatur. Suarez & 4. Et peculiariter cadit culpa in Prælatos si id fieri non procurent. Sotus & 7. His tamen id negligentibus cadit in singulos Religiosos: vnde non excusantur à mortali ob quorum absentiam Officium in Choro notabile damnum patitur. Suarez & 8. Canenda est proinde contraria sententia Vidal. negans talem obligationem ad dicendum Officium in Choro, saltem sub mortali. *part.10.tractat.14. resol.3.*

XXV. Quilibet Religiosi etsi etiam ex consuetudine recitent horas extra chorum, non peccant mortaliter. Suarez & 4. Imò quamuis Religio habeat breuiarium peculiare, possunt extra chorum vti Breuiario Romano Lezan. & 3. vel alterius Religionis, si legant cum Religioso talis Religionis. Ex priuilegio Innocentij IV. Rodriquez & 2. Imò etsi soli legentes vterentur tali breuiario non peccaturos nisi venialiter, docet Caram. Sed hoc repugnat Bullis Pontificum, secundùm quas quilibet Religiosus tenetur sub mortali ad breuiarium suæ Religionis

Suarez & 13.*p.2.tr.12.ref.10.& p.3.tr.2.ref.*18.& 135.*& part. 7.tractat.*11.*resol.*8.*&* 9.*& part.*11.*tractat.*1.*resol.*8.*& tractat.* 2.*resol.*64.

XXVI. Priuilegium Benedictinis ab Eugenio IV. & Societati IESV à Gregorio XIII. concessum, vt professi qui non sunt in sacris non teneantur ad Horas; non participatur ab aliis Religionibus per generalem communicationem. Hinojosa & 2. sicut & PP. Capucini, cùm iuxta Institutum suum non excipiant confessiones sæcularium non possunt vti priuilegiis quæ aliis Ordinibus quoad hoc concessa sunt, etiamsi fortè obtineant à Papa licentiam eas audiendi. Bordon. & Pellizzar. *part.*11.*tractat.* 3. *resol.*17.

XXVII. Omittere Missam solennem in Ecclesiis Regularium diebus festis, non est peccatum mortale, imò nec veniale, modò absit scandalum, & contemptus; quia illa consuetudo non est inducta per modum præcepti & obligationis, quod requiritur vt obliget cõsuetudo. Leand. & 4.*part.*3.*tractat.*2.*resol.*8.*& part.*4.*tractat.*4.*resol.*6.*& par.* 11.*tr.*6.*ref.*23.

XXVIII. Monachi Oliuetani in Abbatia Viboldonæ, etsi in Bullâ Clementis VIII. dicatur quod debeant Ecclesiæ illi per Missas singulis diebus deseruire, non tenentur tamen singuli quotidie celebrare, sed aliqui iuxta morem Religionis. *p.*10.*tr.*16.*ref.*42.

XXIX. Prohibitum est Regularibus studium Iuris ciuilis absque licentiâ; nisi fiat in ordine ad Canonicum meliùs ad discendum. *p* 3.*tr.*2.*ref.*79.

XXX. Ex priuilegio Sixti V. Regulares migrare possunt ex Conuentu insalubri, in alium salubriorem, sine licentiâ Episcopi; quia Tridentinum loquitur de nouâ erexione, non de mutatione domorum. Rodriquez & 2. *Ibid.ref.*136.

XXXI. Possunt Regulares cadauera in vno loco ad tempus deposita, in alium transferre sine Episcopi licentiâ. Villalob. & Rodriq. *Ibid.ref.*120.

Exemptio

Exemptio Regularium.

XXXII. Priuilegia exemptionis Regularium in dubiis sunt semper interpretanda in fauorem Regularium contra Episcopos; quia in odium Episcoporum concessa sunt, quod hi nimis in festi essent Religiosis, eosque grauarent Rebuff.& 5. Ex priuilegio Leonis X.*part.7.tractat.* 12.*resol.*29

XXXIII. Etsi possunt Regulares ab Episcopo ad processiones compelli, ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 15. per alias pœnas(quod immeritò negat Bruno.)non tamen per censuras.Sanchez & 15.Licèt multi id affirment. Barbos.& 23. Possunt tamen compelli ad eas processiones quæ comprehenduntur in Bullâ Pij V. nisi fortè sint ex illis Conuentibus quæ Collegia nuncupantur,quæ in illâ Bullâ excipiuntur. Peyrin. Non debent tamen processiones facere extra ambitum Conuentûs sine licentiâ Episcopi. Villalob. & 2.*p.*3.*tr.*2.*res.*76.106.*&*77.*&p.*8.*tr.*7.*resol.*5.*& p.*11.*tr.*2.*res.*8.*&* 22.

XXXIV. Episcopus non habet iurisdictionem in Regulares exemptos, etsi sit in possessionem illos iudicandi; quia exemptus non potest sine licentiâ Summi Pontificis exemptioni etiam expresse renuntiare, & multo minus tacitè.Rodriquez & Barbos. Neque includuntur in prohibitione Episcopi, ne quis exorcizet sine ipsius licentiâ. Portel. Nec possunt Episcopi ea quæ iurisdictionem dicunt,in Ecclesiis Regularium ipsis inuitis exercere,vt Ordinationes celebrare, aut processiones, aut Confirmationis Sacramentum administrare, aut degradare. Portel & 5. Possunt tamen Inquisitores Actus suos publicos celebrare in eorum Ecclesiis,ipsis inuitis.Portel. *p.*3.*tr.*2. *resol.* 134.36.*&* 109.*& p.*9.*tr.*6.*res.*48.

XXXV. Tenentur Regulares etiam exempti censuras, & interdicta non solùm à Papa, sed etiam ab Episcopo lata,his mandantibus.promulgare in suis Ecclesiis, & ob-

seruare, ex vi Tridentini *seſſ.25. cap.* 12. Henriquez & 17. Quidquid contradicat Bruno.*p.*11.*tr* 2.*reſ.*21.

XXXVI. Epiſcopi tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonatum poſſunt Regulares debitores degentes extra Monaſterium cogere ad ſoluendum debitum, quamuis certum Iudicem à Sede Apoſtolicâ delegatum in partibus illis habeant Sanchez & 3.*ibid.reſ.*23.

XXXVII. Epiſcopi poſſunt punire Regulares in iis in quibus hi ipſis ſubiiciuntur vt Sedis Apoſtolicæ delegatis non tamen per cenſuras. Villalob. & 7. Imò de omnibus pœnis id negat DeBellis.*p.*3.*tr.*2.*reſ.*76.*&* *p.*7.*tr.*12.*reſ.*29. Et quamuis poſſint punire Regulares cum ſcandalo populi delinquentes extra clauſtra, ex vi Concilij Tridentini *ſeſſ.*25.*c.*14 quando Superiores abEpiſcopo moniti intra tempus ab eodem præſcriptum id non ifaciunt, non poſſunt tamen eos mittere in carcerem, nec formare contra eos proceſſum, defectu iuriſdictionis. Villalob.*p.*3.*tr.*2. *reſ.* 132. Dicitur autem viuere extra clauſtrum quando non viuit ſub Superiore conuentualiter. Barboſ. & 2, Quod ſi de licentiâ Superioris viuat in aliquo membro, ſeu grangiâ ſui Monaſterij, non cenſetur extra clauſtra viuere, vt ab Epiſcopo puniri poſſit.*p.*11.*tr.*2.*reſ.*23.Item non poſſunt Epiſcopi punire eos ſi delinquant in clauſtro alterius Religionis.Bordon. Et tunc etiam non poſſunt puniri à Superiore illiusMonaſterij, ſed à ſuo proprio propter omnimodam exemptionem.In illo tamen decreto Concilij nomine Regularium non veniunt Superiores; quia eſt odioſum.Bordon.*p.*9.*tr.*7.*reſ.*49.

XXXVIII. Nec Epiſcopus nec Legatus à latere, nec Legatus natus poteſt exercere iuriſdictionem, aut cenſuras ferre in Regulares exemptos, ſine ſpeciali mandato Pontificis. Villalob.& 3.*p.*1.*tr.*2.*reſ.*17.*&* *p.*5.*tr.*9.*reſ.*43. Si tamen incurrant excommunicationem ob crimen notorium,poſſunt denunciari ab Epiſcopo,vt ab aliis vitentur. Henriquez & 7. Etſi quidam id tantùm admittant in ca-

fibus specialiter Episcopo permissis. Nauar. & 2.*part.* 3.*tr.* 2. *resol.* 35.

XXXIX. Regulares exercentes curam animarum quoad sæculares subsunt iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in iis quæ ad dictam curam pertinent, non obstante Breui Pii. V. Rodriquez & 14. Quidquid contradicat Bruno. Vnde in emolumentis percipiendis prohiberi possunt per Episcopum ne excedant taxam ab eo præscriptam. *p.*11.*tr.*2.*res.*14.

XL. Festa ab Episcopo in suâ diœcesi præcepta tenentur etiam Regulares exempti seruare. Lezan. & 15. Etsi id neget Bruno & Hinojosa: non tamen festa ex deuotione à populo introducta. Sed tenentur ad festa quæ populus cum Episcopo vouerit. Vasquez & Sanchez. Non tamen ex vi voti vel præcepti, sed ex vi iuris naturalis, vt pars conformetur toti. Neque tenentur ad Missas vel Officium diuinum illorum festorum, nisi ad Officium de Patrono, sed non ad Octauam. Gauant, Item tenentur se conformare quoad Euangelia, vel Epistolas in lectionibus, vel concionibus ad populum. Peyrin. *p.*3.*tr.*2.*res.*108.*& p.* 11.*tr.*2.*res.*20.*& tr.*3.*res.*6.

Iudicia Regularia.

XLI. In iudiciis Regularium quoad crimina grauiora, & vbi agitur de punitione publicâ, debent nomina testium reo manifestari, maximè vbi Religiosus ab externo accusatur. Rodriquez & 4.*p.*11.*tr.*3.*res.*7.

XLII. Possunt Generales Religionum auocare ad se causas pendentes coram inferioribus Prælatis, secundùm Portel. & Zambell. Ne tamen id faciant sine vrgentissimâ causâ. *p.*6.*tr.*8.*res.*35. Non possunt tamen vlli Prælati Superiores dispensare circa pœnas impositas ab inferiori v.g. à Guardiano, per sententiam, nisi ex huius consensu, aut postquam hic officio suo defunctus fuerit. Castrop. & Rodriq. *p.*8.*tr.*3.*res.*31.

XLIII. Regularis qui iustam habet causam appellationis, potest omissis mediis Superioribus ad Papam prouocare. Sanchez & 2. Imò quamuis Religio haberet priuilegium ne subditi possint appellare, hoc tamen intelligendum secundùm ius commune: quare nihil ominus possent quando Prælati corrigentes manifestè excedunt limites religiosæ disciplinæ. Sanchez. Potest item, si ab immediato Superiore fuerit nimiùm grauatus, & iniusté vexatus, sine illius licentiâ exire è Monasterio, vt adeat Superiorem supremum, & de iniuiriâ conqueratur. Nauar. & *5. p. 3. tr. 2. ref. 54.* & *56.*

XLIV. Possunt superiores Religionum aliquem Clericum transferre ad statum laicalem; quia per hoc non mutatur status substantialis Religionis. Sanchez & *5. p. 9. tract. 7. resol. 74.*

Mutatio Religionis.

XLV. Non potest Monialis transire de vno Monasterio ad aliud reformationis causâ, vel fundationis, vel superioritatis aut aliâ simili, sine licentiâ Papæ; sic declarauit Congregatio Cardinalium. Posse tamen id fieri ex solâ licentiâ Superioris dictæ Monialis, docet Rodriquez & *2. p. 3. tr. 2. ref. 127.* Sed quiuis potest à Religione strictiori transire ad laxiorem cum licentiâ Superioris I. ob corporis imbecillitatem. D. Thom. & 5. Etsi Prælatus paratus esset cum ipso dispensare quoad onera strictioris Religionis. Sanchez. II. si indignè tractetur, aut sit exosus. Lessius & 3. III. si est infamatus, ita vt semper in pudore, & subinde magnâ tristitiâ sit victurus. Sanchez. *Ibidem resol. 43.*

XLVI. Potest Pontifex licentiam concedere transeundi ad Religionem laxiorem. Imò potest Equiti S. Ioannis permittere vt transeat ad Ordinem S. Iacobi, vel Alcantaræ &c, etsi hi solùm voueant castitatem coniugalem; cùm possit dispensare in voto etiam solenni. Vasquez

& 9. vti sæpius dispensauit. Sed in his omnibus requiritur iusta causa, qualis est vel periculum damni spiritalis ex nimiâ fragilitate (Suarez & 10.) vel leuitas & inconsideratio in emissione voti, saltem coniuncta cum illâ fragilitate (Sanchez & 3.) vel auctoritas & merita intercedentis v.g. Regis (Sanchez & 8.) vel ne extinguatur valde nobilis familia. Coninc & 10. *p.* 10. *tr.* 12. *res.* 1.

XLVII. Quando quis legitimè transit ad aliam Religionem dissoluitur prior professio cum votis etiam annexis v.g. vitæ quadragesimalis, & sola posterior obligat. Sanchez & 3. Excipe votum de non petendâ, vel acceptandâ dignitate extra Religionem, quod ex constitutione 140. Vrbani VIII. non cessat per quamcumque translationem Religiosi, aut priuationem ac dimissionem habitûs. Pellizzar. *Ibid.*

XLVIII. Qui licite à Religione recedit, recuperat omnia bona cuicumque, etiam Ecclesiæ antè donata intuitu ingressûs in Religionem. Abbas & 2. *p.* 8. *tract.* 6. *resol.* 86. Quod si transeat ad aliam Religionem, bona eius pertinent ad primum Monasterium, quod ad summum tenetur illi dare sufficientia alimenta. Suarez & 7. *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 114.

XLIX. Qui transit ad aliam Religionem, potest secum deferre scripta & libros à se compositos. Valerus. *Ibidem resol.* 63.

L. Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis, probabiliter eximitur à paupertatis voto, fitque verus dominus redditũum Ecclesiasticorum. Vasquez & 10. (etsi contrarium sit probabiliùs Sanchez & 47.) Et consequenter probabiliter donare ex iis potest, etiam in vsus profanos validè, sicut Episcopi sæculares, non tamen licitè. Item potest de illis testari. Medin. Imò & renuntiationem ligitimæ factam ante professionem seruatâ forma Tridentini, potest reuocare. Molfes & 4. Eximitur etiam probabiliter ab aliis votis quæ præter tria substantialia emittuntur in quibusdam Religionibus, v. g. vitæ quadragesimalis apud

Minimos:excepto tamen voto PP. Societatis IESV de audiendo Præposito Generali : quia hoc pro illo statu expresse emittitur. Sanchez & 5. Neque tenetur ad obseruantiam regularem nisi ex quadam honestate. Neque si omittit habitum Religionis incurrit excommunicationem. Sanchez & 5. *Ibid.resf.50.& 61.& p.5.tr.2.resf.64.65.67, & tr.8.resf.31.& tr.13.resf.39.& p.8.tr.6.resf.132.& p.9.tr.8.resf, 70.& p.12.tr.1.resf.106.*

LI. Regularem factum Episcopatum posse adhuc vti omnibus priuilegiis suæ Religionis, docet Pelizzar. & 2. Sed communiter. DD. contrarium docent. *par 12, tractat. 2.resol.27.*

LII. Religiosi Cardinales vel Episcopi possunt suscipere alios in baptismo : quia in ipsis cessat periculum nimiæ familiaritatis, & incontinentiæ, ob quod Religiosis id prohibetur. Sanchez & *5.p.5.tr.2.resf.67.*

LIII. Per nulla priuilegia possunt Regulares vlli iam expelli tamquam incorrigibiles, nisi vnius anni continui, & non interpolati spatio in ieiunio & pœnitentia in carceribus probati sint. Ex decreto Vrbani VIII. etsi constaret pœnitentiam illam inutilem futuram. Neque expleto illo anno potest à solo Generali eiici nisi accedat consensus sex Patrum ad hoc deputatorum à Capitulo generali aut saltem maioris partis eorum. Neque potest Generalis facultatem eiiciendi è Religione delegare Prouincialibus per eorum prouincias, aut Commissariis, vel Vicariis generalibus : ita Sacra Congregatio. Etsi in his omnibus contrarium sentiat Bruno, saltem quoad valorem eiectionis. Per quæ tamen non derogatur priuilegio Societatis IESV quo potest eius Generalis suos expellere aliis titulis quam incorrigibilitatis. *part.9.tract.9.resol.57.& p.11. tr.2.resf.13.*

LIV. Dimissis è Societatis IESV post sacerdotium non debetur sustentatio donec beneficium aliquod obtineant. Fagund. Etsi Marchin. & 3. contrarium doceant ex quadam declaratione Cardinalium de qua tamen non satis

constat. *part.10.tractat.* 11 *resol.*68.

LV. Eiectus è Religione non tenetur se emendare vt ad illam redeat. Nauar.& 3. Manet tamen verus Religiosus & tenetur adhuc voto obedientiæ respectu Prælato rum Religionis vt cogatur redire : respectu Episcopi autem non obligatur nisi vt alij Clerici. Layman. Obligatur etiam voto paupertatis, & propterea quidquid acquirit, Monasterio acquirit. Molin. & 3. Contrarium tamen est probabile.Sotus. Et ad nulla quæ sunt propria Religionis teneri,docet Io. Suarez. Sed hodie per motum proprium Gregorij XIII. ea bona pertinent ad Cameram Apostolicam nisi Religiosus ille admissus esset in aliam Religionem.Lugo & 3.*p.*3.*tract.*2.*res.*60.*&p.*7.*tr.*12.*res.*4.*& part.*8. *tr.*7.*res.*2.

LVI Religiosum eiectum ab Ordine, si emendatus petat ingredi,non tenentur Superiores recipere : neque ipse tenetur ad aliam Religionem transire. Sanchez. Imò probabiliter nec ad suam tenetur redire. *par.* 3. *tractat.* 2. *resol.*116.

Regularium priuilegia.

LVII. Priuilegia Regularium latè explicanda sunt instar iuris communis; quia quæ conceduntur Religioni, aut communitati in perpetuum, habentur ac si inserta essent in corpore iuris, cum sint constitutiones perpetuæ. Suarez & 19. Aliud est de illis quæ conceduntur personis particularibus. *q.*10.*tr.*9.*§.respondeo.*

LVIII. Ex priuilegio Pij IV. priuilegia concessa vni monasterio Ordinis S. Hieronymi extenduntur ad omnia alia. In quo participant Cistercienses, & Benedictinj, & per consequens alij Religiosi communicantes in priuilegiis participant quæcumque vni alicui eorum monasterio concessa inueniuntur.Lugo.*p*.10.*tr.* 12.*res.*25.

LIX. Clerici Regulares vulgo Theatini gaudent priuilegiis concessis aliis Religionibus; ex Bullâ Gre-

gorii XIV.& Pauli IV. *part.*10.*tractat.*16.*resol.*91.

LX. Generalis & Capitulum generale possunt limitare, vel adimere Fratribus vsum priuilegiorum. Suarez & 12. quod malè negat Pasqualig. *p.*3.*tr.*2.*res.*87.*&* *p.*11.*tr.*2. *resol.*66.

LXI. Aliæ Religiones gaudent priuilegiis Societati Iesvs concessis etiam cum limitatione, ne in illis aliqua Religio communicet. Imò vbi in Societate non possunt illis frui; nisi concedatur à Generali, ea limitatio non ligat alios Regulares. Portel & 5. In generali tamen communicatione semper excipiuntur priuilegia exorbitantia quæ raró & cum difficultate conceduntur. Quod verum est etsi communicatio facta esset cum illis verbis: *in omnibus & per omnia* Tamburin & 9.*p.*3.*tr.*2. *resol.*81.*&* *p.*5.*tr.* 13.*resol.*46.*&* *p.*11.*tr.*4.*res.*6.*&* *tr.*3.*res.*17. Et sic in priuilegio quo Abbatibus concessum est consecrare calices, altaria &c, non communicant Prælati aliarum Religionum, Miranda *p.*3.*tr.*2.*res.*15.

LXII, Omnia Regularium priuilegia reuocata per Tridentinum restituta esse per Bullas Pii IV.& Pii V. docet Hinoiosa:Neque Bullam Pii V. *Etsi Mendicantium Ordines.* quæ ampla Regularibus priuilegia concedit, esse reuocatam per Bullam : *Intacta.* Gregorii XIII. quia hæc non fuit promulgata, nec in praxi recepta. Henriquez & 5. Etsi illam reuocatam tradat Pellizzar. & 3.*p.*3.*tr.*2.*resol.* 107.*&* *p.*11.*tr.*3.*res.*5.*&* *tr.*2.*res.*6.

LXIII. Non abrogantur Regularibus priuilegia per non vsum, vel contrarium vsum.Portel & Bauny. Sed reuocantur per Bullam Cœnæ Domini; quia derogat expresè eiusmodi priuilegiis. Zanard.& 3. Quamuis multi contrarium doceant. Villalob.& 3.*p.*3.*tr.*2.*res.*88. *&* 10.*&* *p.*6.*tr.*7.*res.*58.

LXIV. Derogatio priuilegiorum Societatis Iesv sub qualibet amplissimâ formâ non valet, nisi de illis expressam faciat mentionem, Hurtad. & 3. & fuerit intimata. Mendo & 10. Quod idem antè concessum fuerat Bene-

dictinis Anno 1537. die 5. Nouembr. Sed cùm stilus Curiæ Romanæ sit contrarius & praxis, sit vt sufficienter censeatur derogatum, quando de Societate sit expressa mentio, & additur clausula: *ac si eis personaliter fuissent intimata.* Tho. Hurtad. & 2. Ideò tu cogita, nolo enim priuilegiis illis detrahere. (Sed nunc absolutè priuilegium illud non admitto. *p.10.tr.13.ref.22.*) Nulli tamen Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegiis suis reuocatis per Concilium Tridentinum. Sà & 3. Quamuis plures id affirment Sanchez & *6.p.3.tr.2.ref.68. & 59. & p.7.tractat.10.ref. 29.* Quando tamen in Bullis Pontificum confirmatiuis priuilegiorum excipiuntur ea quæ Concilio Tridentino sunt contraria; non intelliguntur ea quæ sunt contra id quod ab illo Concilio statutum est, sed tantùm ea quæ ab illo sunt expressè reuocata. *p.11.tr.2.ref.6.*

LXV. Priuilegium dicendi aliud Officium v. g. Corporis Christi, vel Conceptionis B. Virginis, modò non sit Sancti illius Religionis, participari per communicationem ab aliis Religionibus, docet Bordon. Sed tu cogita. *p.6.tr.8.ref.14.*

LXVI. Qui asserunt confessos Regularibus teneri eadem peccata confiteri suis Parochis, puniendi sunt ab Inquisitoribus, tamquam suspecti de hæresi. Zanard. & 4. *p.4.tr.8. ref.* 102. Numquam autem tenentur Parocho vlli confiteri, ne in Paschate quidem. Lugo & Vasquez iuxta Bullam Innocentii X. Imò malè asseritur melius esse Parochis confiteri; nam contrarium plerumque est verum; cùm Regulares communiter sint doctiores, & magis versati in rebus spiritalibus. *p.8.tr.1.ref.l.88. & part.11.tractat. 6.resol.3.*

LXVII. Confessarii Regulares, qui facultatem à suis Prouincialibus, vel Superioribus localibus ad hoc acceperunt, possunt dispensare cum coniugatis qui impediuntur incestu, vel voto, ad petendum debitum. Sanchez & 8. Neque priuilegio illi viuæ vocis oraculo concesso à Pio V. derogatum est per Vrbanum VIII. Bordon. & 2. Quæ

dispensatio dari potest extra Sacramentum, & vrgente necessitate, absentibus per scriptum. Portel. Possunt etiâm alio quodam priuilegio in iis dispensare, sed solùm in confessione,& in ipsâ Ecclesiâ Religionis,& si specialiter ad hoc sint à Superiore deputati, ita vt mortuo Superiore vel amoto,cesset ea deputatio, & potestas. Lezan.*par.3.tractat.2.resol.14.& part.6.tractat.8.res.32.& p.11. tr. 8. res. 4. & 16.* Est tamen etiam probabile non requiri peculiarem ad hoc deputationem. Leand. & 2.*part. 10.tr. 14.resol.20.*

LXVIII. Regulares approbati in vnâ diœcesi,si in itinere non possunt facilè Ordinarium adire, possunt in aliâ confessiones audire ex priuilegiis Pontificum, modò id fiat non repugnantibus Parochis: imò semel approbatos censeri simpliciter approbatos vbique, docet Bauny & 5. Sed obstare videtur constitutio VrbaniVIII.*p.3.tr.2. res.123.& p.6.tr.7.res.59.& p.11.tr.2.res.* 11. & multo magis obstat Bulla Innocentii X.*p.10.tr.14.res.23.*

LXIX. Non videtur puniendus Regularis, qui expositus ad excipiendas tantùm virorum confessiones, excepit etiam feminarum virtute Iubilæi; quia fecit secundùm opinionem probabilem. Sanchez & 4.*part. 3. tractat.2. resol.93.*

LXX. Generales & alii Prælati Religionum possunt eligere Confessarium etiam extra Religionem, dummodò ab eorum statutis hoc non prohibeatur. Suarez & 8. Nec Capitulum Generale huic priuilegio derogare potest,nisi fuerit à Papâ confirmatum. Porrò eodem priuilegio fruuntur Vicarii Sede vacante, vel absentibus Prælatis. Leone & 2. Quamuis id probabiliter neget Suarez & Bordon. Imò & præsente Superiore hoc eis concedit Pasqualig. quòd etiam tunc sint verè Superiores *Ibid.res.1. & p.4.tr.4.res.1.& p.6.tr.8.res.15.*

LXXI. Prælati Regulares, & quilibet Religiosi habentes facultatem eligendi Confessarium, possunt eligere quemlibet, etiam sæcularem ab Episcopo non approba-

tum : nam Concilium Tridentinum nihil hac in re innouauit, sed loquitur tantùm de confessionibus sæcularium. Suares & 28. Quidquid contradicat Texeda. *p.3.tr.2.res.3. & in Addit.3.p.res.4.&p.4.tr.4.res.3.&p.8.tr.1.res.86.&p.9. tr.8.res.55.*

LXXII. Præpositi Regularium possunt suis dare facultatem eligendi Confessarium, quemcumque voluerint extra Religionem, etiam non approbatum ab Ordinario, seclusâ constitutione Religionis in contrarium. Quando autem aliquis habuit potestatem sic confitendi per aliquod tempus, potest etiam post hoc elapsum confiteri eidem peccata antè oblita. Villalob. & *3.p.3.tr.2.res.2.&p.6. tr.7.res.46.& p.4.tr.4.res.2*

LXXIII. Confessarius Monialium etiam Regularibus subiectarum debet esse approbatus ab Episcopo, ex vi Bullæ Gregorii XV, quidquid antè fuerit. Quod verum est etiam quoad Prælatos earum. Pellizzar. Imò & quoad Generalem. Gauant. & 3. Quidquid in his contradicat Quintanad. & Bruno. Nec satis est esse generaliter approbatum pro confessionibus sæcularium. *p.9.tr.6.resol. 49.& tr.8.res.51.& p.10.tr.14.res.6.* Testatur tamen Brauus Bullæ illius executionem, ad petitionem Regis Philippi IV. suspensam ab Vrbano VIII. Anno 1625. *part. 11. tractat. 2. resol.28.*

LXXIV. Episcopi vel Superiores Monialium possunt alicui ipsarum in particulari confessarium extraordinarium concedere, etiam vltra tertiam vicem per annum. Bordon, *p.6.tr.8.res.28.*

LXXV. Absolutio siue à reseruatis, siue à quibusuis aliis ex præsumptione ratihabitionis futuræ, inualida est. Suarez & 3. Sed valet si præsumptio fundatur in signis quæ sufficienter indicent præsentem voluntatem Superioris. *p.6.tr.6.res.57.&p.3.tr.2.res.11.*

LXXVI In generali concessione factâ Regularibus absentibus à Monasterio cum facultate eligendi Confessarium, non comprehenditur absolutio à reseruatis. Sua-

rez & 7. Etsi hoc affirmet Peregrin.*p.3.tr.2.res.* 119. Quare si Regularis initinere incidat in casum reseruatum, & necesse sit celebrare, potest, ad vitandum scandalum, celebrare sine confessione, eliciendo actum contritionis; vel potest cum attritione confiteri, etiam reseruata, à quibus absolnetur indirectè, sed posteà tenebitur ea iterùm confiteri super illa iurisdictionem habenti. *In Addit. 3. part. resol.4.*

LXXVII. Probabile est Regulares vigore Iubilæi, seu Bullæ Cruciatæ, posse eligere Confessarium Regularem approbatum solùm à suo Superiore, absque approbatione Episcopi. Nam licet ibi exprimatur Confessarium debere esse ab Ordinario approbatum, illud intelligendum est iuxta formam traditam in Concilio Tridentino. Sancius & 6. Sed non est discedendum à contrariâ sententiâ Suarez. *Ibid. & p.9. tr.8.res. 55.*

LXXVIII. Regularez priuilegiatos posse absoluere ab omnibus casibus occultis, etiam quoad hæresim, etiam contentis in decreto derogatorio Clementis VIII. docet Fagund. & Pellizzar. Imò & casibus Bullæ Cœnæ occultis, docent multi viri docti. Item posse dispensare cum sæcularibus in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto in quibus potest Episcopus vi Tridentini *sess.24.ca. 6.de reform.* idque ex priuilegio Sixti IV. & Iulii II, docet Rodriquez & 6. atque adeò etiam ex homicidio occulto, asserit Bruno. Sed non est à contrariâ sententiâ in his omnibus recedendum.*p.9.tr.4.res.65.& p.11.tract.2.resol.26.& tr.4.res.3.*

LXXIX. Non possunt Regulares sine approbatione Episcopi absolnere in confessione famulos actu seruientes, & commorantes in eorum Monasteriis. Suarez & 4. Etsi id affirmet Bordon. & 2. Etiam quoad casus reseruatos Ordinariis locorum. Bordon. & Peyrin. *part 9. tractat. 9.resol 36.*

LXXX. Possunt Regulares in domibus suis erigere Oratoria ex designatione Prouincialis. *p. 9.tr.1. res.* 32. Pos-

ſunt etiam celebrare cum altari portatili in quocumque decenti loco, quamdiu Epiſcopus non contradicit. Nec obſtat Tridentinum; quia ſolùm concedit Epiſcopis poteſtatem id prohibendi. Lugo. & 7.*p.3.tr.2.reſol.80.& p.4. tract.4.reſ.*106. Imò etiam contradicente Epiſcopo poſſe ita celebrare in cubiculis Religioſorum, vel etiam in grangiis,aut prædiis monaſteriorum, docet Lezan. & 3. eò quòd non ſint priuatæ domus, nec omnino extra Eccleſiam,de quibus agit Tridentinum. Imò putat Paſqualig.Regularem decumbentem in domo ſæculari, poſſe coram ſe facere celebrari. Sed hoc nec verum eſt, nec in vſu.*p.6.tr.8.reſ.39.& p.9.tr.1.reſ.33.& 34.*

LXXXI. Tertiariæ non poſſunt à Sacerdotibus ſuæ Religionis ſumere viaticum & extremam vnctionem in articulo mortis:quia non ſunt propriè religioſæ.Sacr.Cõgregatio. Olim tamen per Sixti IV.priuilegium potuerũt. *p.6.tr.8.reſ.30.*

LXXXII. Priuilegia Mendicantium de celebrandis Miſſis tempore interdicti, non ſunt per Concilium Tridentinum reuocata. Henriquez & 3.*part.3. tractat. 2. reſol.* 133.

LXXXIII. Poſſunt Regulares ab Epiſcopo ordinari extra tempora,ex priuilegiis à Pontifice conceſſis: Barboſa & 7. (Quod extenditur etiam ad Nouitios. Tho. Hurtad.)vel etiam non ſeruatis interſtitiis. Caſtrop. & 5. Poſſuntque in his diſpenſare Generales, & ab his delegati,non obſtante Concilio Tridentino Suarez & 2. Imò & in vnâ & eâdem die poſſe omnes maiores Ordines à quocumque Antiſtite ſuſcipere, docet Bruno. Etſi in his plures contradicant ratione Tridentini.*p.3.tr.2.reſ.*31.112. *& 32.& p.4.tr.4.reſ.209.& p.5.tr.13.reſ.57.& p.9.tr.8.reſol.* 28.*& p.11.tr.4.reſ.6.*

LXXXIV. Poſſe Regulares ordinari ab Epiſcopo originis non obſtante Concilio Tridentino vel decreto Clementis VIII. docet Zypæus.In praxi tamen ex vi illius decreti,ad ſolos diœceſanos vadunt. *p.6.tr.7.reſ.35.* Item

posse Regulares suscipere Ordines ante ætatem à Tridentino præscriptam ex priuilegio Innocentii VIII. nempe Sacerdotium anno 22. inchoato : Diaconatum in anno 20. & Subdiaconatum in anno 18. Posseque à quouis Episcopo in suis domibus eos suscipere, sine licentia Episcopi diœcesani: Nec posse ab Episcopis in ordine ad illos examinari quoad capacitatem, docet Bruno. Nec per Tridentinum hæc omnia esse reuocata. Sed illa sunt contra praxim & Concilium Tridentinum. *part.* 11. *tractat.* 2. *resol.* 17.

LXXXV. Præpositi Religionum quæ priuilegiorum communicatione gaudent, possunt concedere dimissorias Nouitiis, vt ab Episcopo ordinentur. Suarez & *5.p.3.tr.2.res.7.* & *p.4.tr.4.res.7.*

LXXXVI. Superiores Regulares possunt suis subditis litteras dimissorias concedere ad Episcopum diœcesis : vel si absfuerit vel ordinaturus non sit, ad quemcumque alium : vult tamen Concilium Tridentinum in illis dimissoriis exprimi causam absentiæ Episcopi diœcesani, vel Ordinationum ab eo non habendarum. Ledesm. & 4. Quidquid Bruno neget eas limitationes esse necessarias. *p.2.tr.16.res.13.* & *p.11.tr.2.res.17.*

LXXXVII. Si superiores Regulares de industriâ differrent suos mittere ad Episcopum diœcesanum, vt posteà quando hic non conferret Ordines mitterent ad alium, peccarent mortaliter, & incurrerent in pœnas decreti Clementis VIII. Excipe, si Episcopus diœcesanus habeat examinatores valde rigidos, vel etiam malignos erga Regulares, vel qui cum his nimis rigorosè agant, v.g. si exigant vt bene calleant linguam latinam : cum sufficiat eos scire legere & scribere, absque Grammaticâ, vt ad quemcumque Ordinem promoueantur. Peyrin. & Tamburin. Pœnæ etiam illæ non incurruntur ante sententiam : sed incurrentur etiamsi subditi de facto ordinati non sint. Garsias & Bordon. Etsi hoc probabiliter negent Peyrin. & Tamburin. *p.9.tr.8.res.58.*

LXXXVIII. Regularis qui scit suam professionem esse irritam, peccat mortaliter si suscipiat sacros Ordines, & est suspensus: Ordinatur enim sine titulo patrimonii, Portel. & 3.p.3.tr.2.res.113.

Reliquiæ Sanctorum.

I. Reliquiæ recens inuentæ, sunt ab Episcopo approbandæ. Ad illam autem approbationem requiritur I. certitudo moralis, non autem euidentia quæ nitatur infallibilibus argumentis. II. Vt ille Sanctus sit canonizatus. Porrò licèt Episcopus adhibeat in consilium Theologos, non tenetur tamen sequi eorum sententiam; quia tantùm habent suffragium consultiuum. Hæc autem approbatio fieri potest extra diœcesim; quia non est iurisdictio contentiosa, sed voluntaria. Barbos. *p.2. tractat.* 15. *resol.* 51.

II. Reliquias Sanctorum exponere videndas, vel tangendas ex primariâ intentione vt sic eleemosynæ copiosiores colligantur, non est mortale. Sanchez & 2. Etsi simoniæ, & peccati mortalis id accuset Nauar. & *6.part.*10. *tr.*16.*res.*73.

III. Licitum est Christianis emere ab Infidelibus reliquias; quia hoc solùm est redimere vexationem qua Infideles iniustè detinent reliquias. Sanchez & 5.*part.*10.*tr.* 14.*resol.*18.

IV. Non licet in bello etiam iusto reliquias ab Ecclesiis auferre; quia bona Ecclesiarum; & Ecclesiasticorum innocentium non possunt occupari propter delictum Ciuitatis à qua diuersum corpus constituunt, ideoque bona illarum non faciunt quid vnum cum bonis Ciuitatis. Suarez & 11. Multo ergo minùs reliquiæ Sanctorum. Etsi contrarium doceat Ferrando.*p.*18.*tr.*10.*res.*74.

V. potest publicè exponi crux ornata variis reliquiis non approbatis; quia tunc non tam reliquiæ, quàm crux adoranda proponitur: & quamuis particulares aliqui a-

dorent reliquias, hoc per accidens est, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum. Castropal. In furto autem reliquiarum paruitas materiæ non ex quantitate rei spectanda est, sed potiùs dignitate, vel raritate. Sanchez & Castropal. Hinc furans particulam etiam minimam S. Crucis, peccaret mortaliter. Hurtum tamen eiusmodi nullam habet annexam excommunicationem. Lezan. & 2. *p.5.tr.5.res.35.& p.10.tr.14.res.18.*

Restitutio.

I. POssessor bonæ fidei, si inæqualiter dubitet, & magis inclinet in eam partem, vt credat rem esse alienam, non teneiur illam restituere, ne quoad partem quidem; quia nullæ occurrunt illi rationes quę sufficiant ad assensum generandum: quare in illo dubio melior est conditio possidentis. Vasquez & 3. *part.* 2.*tr.*15.*res.*10. Et quamuis posteà verus dominus compareat, non tenetur restituere, nisi vel res ipsa adhuc extet, vel in quantum ex eâ factus est ditior. Vasquez & 3. Aliud esset, si quis dum cœpit rem possidere titulo emptionis, vel donationis, dubitabat an esset furtiua, quia tunc non est possessor bonæ fidei, vnde tenetur saltem diuidere. Quod si tamen acceperat à possessore bonæ fidei, & adhibuit diligentiam, vt dubium suum deponeret, potest retinere, quia succedit in locum possidentis à quo illam acceperat vel emerat. Castropal. *p.2.tr.17,res.44.& p.4.tr.3.res.25.26.& 27.*

II. Qui dubitans an res sit furtiua, illam emit, vt posteà vero domino restituat, potest inde deducere pretium pro eâ solutum, modò fuerit iustum, & dominus non fuisset sine expensis recuperaturus; tunc enim vtiliter egit rem domini. Sanchez & 5.*p.4.tr.3.res.33.*

III. Possessor bonæ fidei qui posteà dubitans an res non esset aliena, neglexit inquirere, vnde iam factus est impotens verum dominum inuenire, probabiliter non tenetur restituere; quia dubitat an illa negligentia alicui damnum

damnum intulerit. Bonacin. & Castrop, *Ibid. ref.* 19.

IV. Qui rem vendidit bonâ fide & posteà dubitat an sit aliena, non tenetur habere animum restituẽdi pretium vero domino, si constiterit rem esse furtiuam; quia non est inde factus locupletior. Sanchez *p.2. tr.15. ref.11.* Sic qui monetam falsam bonâ fide accepit & expendit, non tenetur damnificato ad restitutionem. Syluest. & Angel. Sed contrarium etiam probabiliter docet Nauar. & Nauarra *p.3. tr.6. ref.3.*

V. Inuenta, post sufficientem inquisitionem 5. possunt retineri ab inuentore. Sotus & 5. Et si fortè Dominus posteà compareat, non tenebitur nisi in quantum factus erit ditior. Nihil tamen potest pro redditione à Domino exigere tamquam debitum. *p.9. tr.5. ref.16. & p.11. tr.8. ref.121.*

VI. Quandò bona incerta iniustè sunt acquisita, nec post adhibitam debitam diligentiam Dominus comparet, debentur pauperibus, vel piis operibus. Tenentur tamen pauperes Domino comparenti ea restitituere, si adhuc in specie extent, vel ipsi ex iis facti sint ditiores. Molin. & 3. Quamuis hoc neget Sotus & 2. Quod tunc verum esset quando tempus legitimæ præscriptionis esset elapsum. Mendo. *p.11. tr.8. ref.12.*

VII. Posset quis ex eiusmodi bonis incertis etiam iniustè acquisitis Capellaniam, aut hospitale instituere, & sibi ac successoribus suis ius patronatus applicare: quia sic nec minuitur opus pium, nec vlli fit iniuria cùm ipse sit illorum bonorum distributor. Henriquez & Hurtad. *p.11 tr.6. ref.48.*

VIII. Bona incerta quæ possidentur ex licito contractu v.g. deposito, mutuo &c. non sunt necessariò danda pauperibus, sed probabiliter possunt retineri. Nauarra & 4. Sic qui bonâ fide accepit duas vlnas panni pro vnâ; vel 60. aureos pro 50. si Dominus ignoretur, potest sibi retinere. Aliud est cum bona sunt incerta solùm secundùm quid v. g. cùm pertinent ad aliquos huius Communitatis sed ignoratur ad quos determinatè, tunc enim inter illos

sunt diuidenda. Molin. & 2. *Ibid.*

IX. Pecunias quas quis accepit à Dæmone non tenetur restituere pauperibus tamquam bona incerta alterius: malâ vel dubiâ fide accepta: quia potuit Dæmon eas accipere vel ex aliquo thesauro: vel ex defundo maris. Ianuar. *p. 10. tr. 15. res. 48.*

X. Testis si pro dicendâ veritate, vel Iudex pro iustâ sententiâ aliquid accepit, tenetur restituere, si datum fuit quasi ad redimendam vexationem; non autem si datum est ad animum eius alliciendum, vel ex merâ liberalitate. Tolet. & *5. p. 3. tr. 6. res. 4.*

XI. Meretrix cum qua filius-familias fecit immoderatos sumptus v.g. in vniuersitate tenetur restituere: secùs si non sint nisi modici; quoad hos enim parentes non sunt ita inuiti. Mendo, *p. 11. tr. 2. res. 65.*

XII. Qui rem alterius iniustè possidet, debet eam in specie, vel in indiuiduo restituere nec satis est reddere eius valorem quando ipsamet reddi potest. (Valent & 2.) Etsi Valer. hoc putet sufficere in foro conscientiæ. Et quamuis putaretur hoc Domino futurum tristitiæ, vel iræ causam, non tamen ideo peccaturum contra iustitiam, sed solùm contra caritatem. *p. 2. tr. 16. res. 39.*

XIII. Qui bellum iniustum gessit bonâ fide, cognitâ posteà iniustitiâ non tenetur ad restitutionem nisi ex re accepta, quæ apud ipsum adhuc in specie vel virtute extet. Lorca. *p. 6. tr. 4. res. 30.*

XIV. Milites tenentur restituere quæ ab hospitibus suis extorquent, vel etiam donata accipiunt: (nam tales donationes non spontaneæ sed coactæ esse solent) nisi sint in extrema, vel graui necessitate, ex defectu solutionis: & tunc Respub. tenetur illis hospitibus compensare id in quo præ ceteris grauati sunt Coninc. & *4. p. 6. tr. 4. resol. 26.*

XV. Dum iniustè spoliatur aliqua vrbs, gregarij milites solùm tenentur ad damnum quod ipsi per se intulerunt. Vasquez & *7. Ibid. res. 31. & p. 3. tr. 5. res. 86.*

XVI. In dubio an ex tuo consilio, seu culpâ, secutum

sit damnum, probabiliter non teneris ad restitutionem; quia in dubio, præsertim in materiâ iustitiæ, melior est conditio possidentis. Henriq. & 10. Contrarium tamen est probabilius. Molin. & 8. *p. 3. tr. 5. ref. 84. & p. 4. tr. 3. ref. 28.*

XVII. Qui vi, vel fraude impedit ne quis consequatur hereditatem, officium, aut beneficium, tenetur ad restitutionem. Vasquez & 10. Secus si precibus, blanditiis, aut muneribus impediat: nam preces, blanditiæ, & munera non repugnant libertati. Lessius & 6. Quare qui per mendacium impediuit Petrum ne faceret eleemosynam Paulo, dicens illum non esse pauperem, tenetur ad restitutionem. Qui autem secretum alterius cognouit per iniuriam & eo vtitur in suum commodum cum damno alterius, aliquando non tenetur ad restitutionem. v. g. Petrus scribit Romam ad Paulum vacare beneficium in mense Pontificis, litteræ veniunt in manus Ioannis qui eas aperit, & posteà clausas reddit Paulo, sed illum præueniens impetrat beneficium: si Ioannes litteras tempestiuè tradidit, probabilius est non teneri ad restitutionem: quia licet fecerit iniuriam Paulo aperiendo litteras; non tamen obtinendo beneficium; cùm Paulus non haberet maius ius quàm Ioannes. *p. 3. tr. 6. ref. 33.*

XVIII. Qui fraude, aut mendaciis impedit, ne alicuius bona ob crimen fisco addicantur, non tenetur ad restitutionem, quia hæc proscriptio bonorum est pœna criminis: pœna autem non debetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, imò nec ante sententiam constitutiuam pœnæ. Idem dicendum de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem: Et vniuersim de omni pœnâ debitâ post sententiam. Vasquez & 9. *ibid. ref. 35.*

XIX. Ferentes suffragium ad opus iniustum, singuli tenentur ad integrum damnum restituendum: quia singuli cooperantur ad totum. *p. 1. tr. 4. ref. 79.*

XX. Qui eligunt ad cathedram Capellam &c. vel etiam qui designant pauperes pro accipiendâ eleemosynâ,

non possunt pro eo munus aliquod accipere, teneaturque restituere Lessius & 4. Etsi contrarium quidam probabile putant. Fagund. & 3. l. 6. c. 6 res. 59.

XXI. Quicumque ex officio tenentur impedire damna aliorum, si ex culpâ graui id negligant, tenentur ad restitutionem, vt Magistratus, Duces belli, Tutores, & Curatores, & qui accepto stipendio ad aliquarum rerum custodiam se obligarunt. Nauar. & 2. Non tenentur tamen ad restitutionem pœnæ quam delinquens debuisset soluere si fuisset denuntiatus, nisi quando tota prohibitio consistit in pœnâ. v. g. quando sub pœnâ confiscationis prohibentur equi, vel pecunia è regno exportari. Dicastill. Ceteri autem qui solùm ex caritate tenentur impedire ad nullam restitutionem obligantur. *part. 11. tractat. 6. res. 6. & 18.*

XXII. Diligentiam quam alias non tenetur quis ex iniustitiâ adhibere, etsi expressè omittat ideo vt proximus damnum patiatur, non propterea tenetur ad restitutionem; quia damnum non sequitur ex illâ intentione, sed ex ipsa omissione, quæ tamen non est contra iustitiam. Pontius & 2. Vnde neque homicidia cuius crimen alteri per errorem imputatur tenetur ad restitutionem, etsi intenderit vel alter propterea puniretur. Aliud esset si modus quo delictum committit sit talis vt per se sit causa cur alter puniatur tamquam reus illius homicidii v. g. si occidat gladio alterius, & hunc datâ operâ ibi relinquat vt cognoscatur esse alterius, & sic conuincatur hinc de homicidio. *p. 11. tr. 2. res. 34.*

XXIII. Si Principes, vel Domini territorij sciunt vias prædonibus esse infestas, nec tamen prospiciunt, tenentur ad damna quæ mercatoribus ab illis inferuntur: vti & cum non statim insequuntur prædones qui alios spoliarunt. Imò & extra hos casus obligari ad damna in suo territorio à prædonibus illata in viâ regiâ: non autem si mercatores deflexerint à viâ publicâ, docet Gail. & 2. Quod tamen negat Bocer. *p. 8. tr. 7. res. 38.*

XXIV. Parentes diuites, qui ob infamiam aut aliam iustam causam exponunt suos filios, teneri hospitali restituere expensas in illis nutriendis factas, communiter docent. Azor & 2. Aliud tamen est in iis qui vel re & spe, vel saltem re pauperes sunt. Acugna. *p.3.tr.6.ref.40.*

XXV. Qui damnum intulit in re nondum perfectâ v.g. segetibus immaturis, non tenetur restituere nisi iuxta æstimationem temporis præsentis. Lessius. Etsi quidam velint restituendum ac si essent maturæ saltem quando iam sunt in proximâ dispositione: secus si adhuc longè abessent. Sayr. *p.3.tr.6.ref. 6.*

XXVI. Qui perdidit culpabiliter alterius gemmam valentem mille florenis, quam putabat solùm valere centum, non teneri restituere nisi centum, docet Pontius. Sed ad mille obligat Lugo. *p.11.tr.2.ref.34.*

XXVII. Mandans non tenetur restituere damna quæ mandatarius intulit excedendo fines mandati, quando in eius potestate fuit seruare fines mandati. Dicastill. Vnde qui mandauit vulnerari tantùm, si alter occiderit, non tenetur pœnâ ordinariâ Hunnius & 2. Etsi id affirmet Menoch. & 3. Quod si quis mandauit occidi Titium, & per errorem occidatur Caius, tenebitur mandans ad restitutionem pro morte Caii. Suarez & 6. *p.8.tr.7.ref.53.& p.11. tract.6.ref.19.*

XXVIII. Si scias alterum tuo nomine damnum illaturum, v.g. inimicum occisurum, neque prohibeas, teneris restituere, si alter sciebat suam voluntatem tibi esse notam, nec illi contradici; illa enim taciturnitas iudicatur approbatio, per quam damnum infertur. Rebell. Numquam tamen teneris ex ratihabitione eius quod te ignorante gestum est. Vasquez & 3. *p.4.tr.4.ref.64.*

XXIX. Qui bonâ fide rem suam furi vndidit, & pecunias illas furtiuas vel cum suis commiscuit, vel consumpsit, etsi posteà compareat illarum dominus, nihil tenetur restituere; quia neque ratione iniustæ acceptionis (cum bonâ fide acceperit) neque ratione rei acceptæ; quia

vel illas pecunias consumpsit, vel bona fide cum suis permiscendo acquisiuit illarum dominium; neque etiam factus est inde ditior, cùm rem suam iusto pretio vendiderit. Vasq.& 5. Eodem modo si aliquis pecunias quas iniustè lucratus est v.g. ludendo falsis aleis, donauerit socio, vel amico scienti iniustitiam, sed tamen non cooperanti, non tenebitur hic acceptum restituere, si lusor ille donans pecunias illas iam antè cum suis miscuerat. *Ibid.ref.* 67. *&p.*3. *tract.* 5.*ref.* 40.

XXX, Quod multis illatum est damnum per minutas venditiones iniustas, restituendum est, non pauperibus, sed ipsis ciuibus minoris vendendo, aut maiori mensura donec veniatur ad æqualitatem. Molin & 8. Non ausim tamen dicere improbabile, posse dari pauperibus, & tunc etiam esset locus Bullæ compositionis. Vasquez & Lopez. *p.* 4.*tr.*4.*ref.* 46. *&* 113.

XXXI. Non tantum quando quis in extrema necessitate constitutus accipit rem alterius, non tenetur restituere, etsi posteà ad pinguiorem fortunam veniat: sed etiam probabiliter etsi ante eam necessitatem furatus illam erat, modò in necessitate consumpserit; quia sic consumpserit rem quæ tunc erat communis, modo tunc non fuerit saltem spe diues. Coninc & 2. Idem est de re quacumque ante possessâ ita vt non fuerit eius dominium translatum. Lessius & 9. Etsi multi contrarium doceant. Azor & 14. Eadem probabiliter in his est ratia de graui necessitate. Dicastill. Quæ omnia vera sunt etsi creditor tunc esset in simili necessitate. Lessius & Serra. *p.*10.*tr.*14.*ref.*34. *& p.* 11.*tr.*2.*ref.*32. *& tr.*5.*ref.*13.

XXXII. Ordo restitutionis præscriptus à legibus probabiliter non obligat in foro conscientiæ, sed solùm in externo. Serra & 2. Contrarium tamen est probabilius. *p.*11.*tr.*3.*ref.*13.

XXXIII. Qui dedit Confessario pecunias alteri restituendas, si post aliquod tempus sciat Confessarium non restituisse, Probabile est non teneri denuò restituere. Les-

sius & 2. Contrarium tamen est probabilius. Lugo & 10. *p.2.tr.17.res.2.& p.7.tr.10.res.* 16.

XXXIV. Qui calicem aureum certo loco vouerat si hic, dum eò defertur, à latronibus intercipiatur, non tenetur alium calicem mittere. Idem est dum quis pecuniam ex iuramento debitam certæ Ecclesiæ mittit, si ex incuriâ deferentis omittatur, non tenetur aliam mittere, etsi fuerit aliqua negligentia in tradendâ pecuniâ tali qui sciebatur non esse adeò cautus; quia quod ex liberalitate debetur, non est tam amatè exigendum. Tancredi. *part.10. tr.* 16. *res.* 97.

XXXV. Qui potest totum statim restituere, sed non vult nisi per partes ob aliquod emolumentem sibi inde prouenient, posse absolui, si negatâ absolutione vel numquam, vel non ita vtiliter restituet, docet Nauar.& 3. Alii verò communiter contrarium docent; quia talis vult iniustè retinere illud residuum rei alienæ. Molin.& *6.part.3. tr.6..res.5.*

XXXVI. Diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ inuito domino, non est necessariò in confessione aperienda; quia est tantùm circumstantia aggrauans. *p.* 1.*tr.*7. *resol.*58.

XXXVII. Iniquus rei alienæ detentor est in continuo actuali peccato dum voluntariè restitutionem omittit. Peccat autem de nouo mortaliter, quoties renouat propositum non restituendi, vel quando proponit restituere, & posteà datâ opportunitate non restituit, per somnum verò, & naturalem inaduertentiam, non ita interrumpitur illa omissio restitutionis, vt multiplicentur peccata. *p.2.tr.16.res.25.*

XXXVIII. Qui cessit bonis etiam per actum ignominiosum, si posteà ad pinguiorem fortunam veniat, tenetur restituere. Quando autem quis cedit bonis, potest tutâ conscientia retinere sibi necessaria, & familiæ suæ, vt non indecorè viuat. Quod verum est, etsi debita sint ex iniustitiâ, & notorio delicto contracta, quamuis tunc non

possit tantum sibi retinere quantum aliàs. Lessius & 2. *p*.4. *tr*.4.*res*.78

XXXIX. Debitor mortuus quamuis non sit soluendo, possunt tamen moderatæ funeris expensæ deduci: nam creditores in hoc non sunt rationabiliter inuiti. Nauarr. *p*.5.*tr*.3.*res*.116.

XL. Qui per Bullam compositionis debitis incertis satisfecit, comparente posteà vero domino, nihil tenetur restituere: quia hæc compositio æquiualet præscriptioni. Bannez & 3. Possunt autem Bullas istas concedere Episcopis pro suis diœcesibus. Henriquez & 2.*p*.4.*tr*.4.*res*.112. Imò Reges & Principes posse de bonis incertis illicitè acquisitis compositionem facere; eò quòd cum Dominus est incertus, Respublica succedat in locum veri Domini, docet Henriquez & 2. Quod verum est nisi Pontifex id prohibuerit per *cap. Tu. De vsur* Castropal. & Hurtad. *p*.11 *tract*.8.*res*.19.

XLI. Bulla compositionis prodest defuncto si hic ante mortem mandauerit eam sumi pro restitutione bonorum incertorum. Henriquez & 2. Bulla tamen illa non potest prodesse iis qui ex confidentiâ Bullæ, bona aliena iniustè acquisiuerunt, vt expresè declarat ipsa Bulla. Escobar. Factâ autem compositione, etsi posteà Dominus compareat bonis adhuc in se, vel in æquiualenti extantibus, non teneberis ipsi restituere, priùs quàm à Iudice condemneris. Lugo & 6. Imò si priùs quàm componeres præmiseris auctoritate Commissarij informationem te non posse creditori debitum reddere, vel quia non comparet, vel quia ita est absens vt moraliter sit impossibile, tunc poterit etiam in foro externo prodesse compositio, & huius exceptione repelli creditor posteà debitum per Iudicem exigens. Castropal. *p*.11.*tr*.8.*res*. 11.

Vide *Emptio. Venditio.*

Reus.

I. SI quis de crimine capitali sufficienter est diffamatus, & propterea expressè à Magistratu iussus est capi per lictores, possunt hi, si ille armis resistat, nec aliâ ratione capi possit, ipsam etiam occidere, *part.8. tractat. 7. resol.44.*

II. Reus non tenetur Iudici respondere, nisi testium depositio illi innotescat; quia non constat an iuridicè rogetur. Sanchez & 8. Item non tenetur si sciat contra se esse solùm testimonium denuntiatoris, etsi Fiscalis illum adhibeat vt testem; quia hoc iniquum est. Dicastill. De quo tu cogita. Et vniuersim non tenetur quando dubitat an Iudex legitimè siue ex sufficientibus indiciis interroget. Idemque est de testibus cum in ordine ad alios examinantur. Lessius & 6. Vnde quando Superior aliquis generaliter inquirit super aliquo delicto notorio, cuius auctor ignoratur, tunc qui scit auctorem, si dubitet an contra eundem fiunt iudicia, vel infamia, non debet eum prodere, etiamsi interrogetur. *p.3.tr.5.res.91.& 106.& p.9. tr.9.res.43.*

III. Quoties factum contra legem excusatur à peccato propter aliquam circumstantiam, potest reus iuridice interrogatus illud negare sub iuramento, intelligendo de opere quod fuerit peccatum, vt si quis occidit hominem quem putauit esse feram, vel ob iustam sui defensionem. Portel. *p.3.tr.5.res.66.*

IV. Si reus legitimè interrogatus à iudice, neget veritatem metu mortis, ad quam iustè damnaretur, non tenetur Confessarius ei præcipere, vt dictum suum retractet; esset enim cogere ad se prodendum. Neque tenetur manifestare veritatem non solùm dum iudicium durat, sed neque post latam sententiam mortis: Et licèt contrarium verum esset; non deberet Confessarius hanc obligationem reo imponere, ne noui peccati periculo illum expo-

pœnas luat in hac vita;nisi sit persona maximæ auctorita tis,& Reipub.vtilis.Sancius & 3.*Ibid.resol.7.& part.11.tr. 1 resol.*14.

IX. Iudex qui sub spe impunitatis reum ad confessionem criminis induxit, si potest eam concedere, vt v.g. Princeps, tenetur: si non potest, tenetur ad omnia damna reo inde obuenientia. Lugo & 2. Neque poterit tamen reus ex sola tali confessione condemnari ad pœnam ordinariam. Clarus. Sed hæc locum non habent quando reus non poterat iustè negare delictum; quia tunc potest ab eo extorqueri dolo confessio, cùm ad eam teneatur. Lugo. *p.11.tr.7.res.16.*

X. Si Iudex contra iuris ordinem processit in aliquo puncto in quo Princeps supremus poterat dispensare,tunc etiam poterit hic Iudici illi remittere obligationem restituendi v.g. quando tortus fuisset qui non poterat torqueri nisi ex permissione Principis. Lessius & 3. *Ibid.*

XI. Reus qui carceres effringit non potest ex eo haberi pro conuicto, potest tamen ob eam fugam puniri.Sousa & 4.*p.4.tr.7.res.*15. Qui autem ad mortem damnatus est. etiam iustè, potest effringere carceres, & fugere, etsi hoc fieret vi aliqua illata custodi carceris, vel ministris iustitiæ;vt si eos obsistentes in terram deiiciat, sine læsione tamen. Villalob. & 2.Idem est si sit damnatus ad carcerem perpetuum: vel etiam ad temporaneum si is sit valde grauis. Bonacin. Vel etiam si ad triremes. Tanner. Neque peccat ex eo quod effracto carcere alii etiam fugiant. Villalob. & Reginald. Et in iisdem illis casibus potest quis reo fugam suadere, & instrumenta ad eam suppeditare. Malder.& 10.*p.3.tr.5.res.*102.

XII. Quando aliquis iniustè esset morte afficiendus, & satellites vel custos carceris conscii essent iniustitiæ, posset captus illis resistere, etiam ipsos occidendo. Lugo & 9.*p.8.tr.7.res.* 43.Sed quamuis ad mortem damnatus esset iniustè quidem, sed tamen iustè secundùm allegata & probata,non posset se vi & armis contra Iudicem, vel eius

ministros defendere. Suarez & 6. Probabile tamen est hoc posse in causâ morosa, vel mutilationis. Valent. & 8. *part. 9. tr. 9. res. 43.*

XIII. Non licet condemnare reum non adhibitis solennitatibus prærequisitis; cùm enim sententia sit publica, ferenda non est ex priuata notitia, sed ex publica in iudicio habita. Azor & 4. Si tamen crimen est omninò publicum (vt cùm latro deprehenditur in flagranti delicto (potest absque citationibus condemnari: & si ex publico supplicio sit periculum, occultè occidi. Nauarr. & 2. *p. 3 tr. 5. res 98.*

XIV. Reus etiam malæ vitæ in carcere existens, dum, præ multitudine, eius causa citò examinari nequit, non potest interim triremibus imponi, etiam ex causa necessitatis, & quamuis ei merces pro eo labore sit soluenda, si posteà iudicetur innocens. Mastrill. *part. 6. tractat. 6. resol. 5.*

XV. Reus tantùm indiciatus ad torturam, non est condemnandus per sententiam iudicis ad triremes antequam audiatur, & ei detur terminus ad se defendendum: quia defensio ita competit reis de iure naturali & diuino, vt Princeps etiam de absoluta potestate eam illis adimere non possit. Azor & 17. nisi in aliquibus tantùm casibus: vt quando delictum est notorium: quando timetur tumultus populi & aliis huiusmodi, in quibus scit Princeps nullam reis competere posse defensionem. Lessius & 5. *In addit. 3. p. res. 29.*

XVI. Posse reum ex præcepto Iudicis se interficere, docet Io. Pontius & 3. Sed contrarium est tenendum, etiamsi tantùm præciperet sumptionem veneni. Malder. & 4. Quamuis probabile sit tunc posse; cùm hoc non contineat maiorem crudelitatem quàm accipere illud per vim externam, sed potiùs contineat minorem. Dicastill. & Hurtad Imò non potest Iudex reo præcipere vt membrum aliquod sibi amputet v.g. manum: si tamen Iudex id præciperet, & nisi reus obtemperaret, condemnaret eum ad

mortem,tunc posset quidem reus obtemperare, sed non teneretur. Malder. & VViggers. *part.11.tract.6.res.50.*

XVII. Potest Princeps quando certo ipsi constat de crimine,reum non citatum secretò occidere, quando crimen est atrox,& Reipublicæ expedit reum puniri, & iusta est causa illud non publicandi v.g.si quis Reginæ vim intulisset.Idem est de aliis casibus v.g. si quis vel in Principem,vel in Rempublicam coniurasset nec aliter malum vitari posset tunc enim censetur Respublica in hoc consentire ob publicam vtilitatem. Lessius & 6. Item si delictum sit plenè probabile in iudicio quia notum est Principi & aliis tribus, ita vt reus non possit se defendere, aut iustè contradicere, posset Princeps sine citatione procedere; quia citatio solùm requiritur propter defensionem. Bossius. Imò quoties delictum est ita occultum vt non possit iuridicè plenè probari, potest Princeps qui illud certò scit, ex rationabili causa idem punire sine ordine iuris. Hurtad.*p.10.tr.15.res.34.*

XVIII. Clericos spectatores dum reus extremo supplicio afficitur,etsi non fiant irregulares, peccare tamen mortaliter ex *cap.sententiam sanguinis.NeClerici vel Monachi.* docet Sayr. Quod tamen alii solùm veniale putant ex leuitate materiæ, si fiat ex curiositate. Suarez & Auila. Probabilius videtur etiam Religiosos spectantes nullo modo peccare;eò quòd canones contrario vsu sint abrogati,vel fortè agant solùm de Clericis præsentia sua fauorem,vel auxilium præstantibus. Vgolin. *part.4.tractat. 2. resol.35.*

Rex. Imperator.

I. NVlli Reges aut principes sæculares habent suam potestatem immediatè à Deo, sed à populo:illud enim proprium est soli Romano Pontifici. Bellarmin.& 8. *p.1.tr.2.126.*

II. Septemuiri electores Imperatoris à Romano Pon-

tifice Gregorio V. constituti sunt petente & approbante Ottone III. Imperatore. Bellarmin. & 24 & ex Hæreticis alij 5. Etsi plures Hæreticorum velint potestatem Electorum non constitutione Pontificia aut Imperatoria introductam, sed tacito consensu Principum ac Ordinum Imperij. Crapzou. & 13. Sed quo modo Germani potuerunt propriâ auctoritate in præiudicium omnium aliorum regnorum eligere aliquem qui eo ipso Reges omnes antecedere. Ex quo sequitur, sicut Electores a Pontifice instituti sunt, ita sine auctoritate eiusdem numerum eorum nec augeri, nec minui posse. *p.10. tr.4. per totum.*

III. Principem supremum posse ex plenitudine potestatis Ciuibus res suas etiam sine causa auferre & aliis tradere, docent multi Iuristæ. Baldus & 16. Sed hoc non est admittendum. Bartol. & 36. Imò ne publicâ quidem vtilitate, vel necessitate vrgente potest alicui rem suam auferre, nisi iustum pretium refundat. Iason. & 11. Probabilius tamen est hoc solum esse verum quando dominium rei alicuius aufertur specialiter particulari personę: secùs si tollatur per viam legis generalis. Menoch. & 13. Etsi etiam in hoc multi contradicant. Barbos. & 14. *p.11. tr.7. ref.5.*

IV. Princeps & quilibet supremus legislator non obligatur lege suâ quoad vim coactiuam, sed solùm quoad directiuam. D Thomas: idquè non immediatè ex lege, sed ex iure naturę vt se aliis conformet. Malder. & 3. Vnde, secluso scandalo, non peccat mortaliter legem suam non seruans. Lessius & 4. v.g. si Pontifex non ieiunet, aut Horas non legat. Hinc omnia eius peccata contra suas leges sunt eiusdem speciei; cum omnia consistant in illâ difformitate, partis ad totum. Salas. Item non tenetur Princeps vllis particularibus legibus locorum sibi subditorum quando ibi præsens est. Suarez & 4. etiamsi illas ipse confirmasset. Suarez & 2. nisi locus ille esset ordinaria habitatio ipsius Principis. Suarez. *Ibid. ref.6.*

V. Imperator, Reges & Reginæ habent priuilegium eligendi Confessarium etiam non approbatum. Lessius

& 3. Item ex speciali priuilegio non possunt ab Episcopis excommunicari ob reuerentiam Maiestatis; Officiales verò eorum & Consiliarij possunt. Barbos.& 3.*p.3.tr.1.res.* 9.*& p.11.tr.4.res.*13.

VI. Non possunt Reges prohibere Episcopis ne aliquid inhibeant Magistratibus sub pœna excommunicationis sine suo consensu. Vnde pragmatica in Sicilia dicta *la Cathalana*, est contra immunitatem Ecclesiast. De Ballis *p.4 tr.1.res.9.*

VII. Ecclesiasticas omnes personas quæ exemptæ sunt ab Ordinariis locorum, quamuis immediatè subsint Pontifici, si tamen non habeant superiorem in regno posse à Rege puniri, docet pereira & 3. Sed hoc falsum est: cùm illi magis exempti sint à laicâ iurisdictione quàm alij Clerici.Megal.& Portel.*ibid.res.*73.

VIII. Priuilegium tractarum, siue exportandi frumentum è regno, non debent concedi nisi cum regnum nullo modo indiget: Neque possunt qui habent tale priuilegium extrahere altero anno, quod priori propter sterilitatem non potuerunt extrahere. Imò cum Rex est in necessitate imponendi nouas gabellas debet priùs eiusmodi priuilegia reuocare,& sibi sumere. Aponte & 6. Idem est de Proregibus,qui etiam cum eas tractas possunt concedere, non tamen possunt pro iis pecuniam accipere, & si acceperint,tenentur restituere: quia vendiderunt rem alienam scilicet Regis inuito Domino. Mendoz. Ego tamen quid hîc sentiam ob rationes non explico. *part.* 3. *tract.6.res.* 32.*& p.6.tr.6.res.4.*

S.

SACRAMENTVM.

I. AD veritatem formæ Sacramentorum non requiritur physica eius coexistentia cum materiâ, sed sufficit moralis. Granad. & 12. Idem est de interruptione

si non sit tanta, quin secundùm regulas dialecticas sit vna oratio. Nugnus. Vnde non obstabit si Sacerdos baptizans cum dixit, *Ego te baptiso*, dicat pueris tumultuantibus: *recedite inde & nolite ibi garrire*, & posteà addat *in nomine Patris*: &c. Marchant. Quidam tamen in Sacramento Ordinis requirunt physicam coexistentiam. Caietan. & Nauar. Vnde si in susceptione Sacerdotij aliter esset factum, videtur sub conditione iterandum, ob necessitatem illius Ordinis, & periculum in futurum. Hurtad. *p. 5. tr. 5. res. 40. & 41. & tr. 13. res. 48. & p. 12. tr. 1. res. 36.*

II. Verè conficeret Sacramentum qui in consecratione v.g. panis diceret: *Hac est caro mea*: idem enim significat *caro* quod *corpus*. Granad. & 4. Item si diceret, *hic est calis*; nam licet *calix* habeat aliam significationem quàm *calis*, tamen in consecratione, & communi modo percipiendi, idem sonat Suarez. Item si diceret: *meum corpus est hoc*, vel *hoc corpus meum est*. Quòd si diceret: *Hic est corpus meum*, valeret si *hic* sumatur masculinè, vt significet *hic cibus*, secus si sumeretur aduerbialiter *hic*. Granad. & Fagund. Qui verò omitteret particulam *enim*, venialiter tantùm peccaret. Vti & si verba essentialia mutentur in alia, idem tamen significantia. Sotus & 2. *p. 2. tr. 17. res. 14. & p. 5. tr. 14. res. 76. 77. 78. & tr. 5. res. 39.*

III. Etsi particulam enim in consecratione omittere non sit mortale (Dicastill. & 4.) si quis tamen in omnibus tribus Missis in Natali Domini illam omitteret, dubitat Bernal. an nō esset mortale. Sed difficilè apparet quomodo illa possint coalescere. Verbum autem *est*; est de essentia formæ apud Latinos. Coninc & 2. Etsi Lessius & Bernal. putent non esse necessariò exprimendum. Certum tamen est non posse omitti sine mortali; quia dubiam redderet consecrationem. *p. 10. tr. 16. res. 32. & 35.*

IV. Etsi sacerdos intenderet solum panem consecrare omittendo consecrationem vini, adhuc panis maneret verè consecratus: quia potest esse consecratio sine sacrificio. D. Thomas & 9. Etsi contrariam sententiam explicare

conetur

conetur Lugo. Imò plures probabiliter volunt ibi etiam fore verum sacrificium. Fagund. & 12. Sed probabilius est vtramque speciem esse de essentiâ sacrificij. D. Thomas & 13. & per consequens non posset sacerdos pro tali Missâ stipendium accipere.*p.10.tr.16.res.62.& 63.*

V. Ad valorem Sacramentorum nõ sufficit intentio proferendi legitimam formam super legitimam materiam : (etsi hoc affirmet Catharinus & 4.) sed requiritur intensio faciendi id quod externâ illa cæremonia intendit Ecclesia: & Christus instituit. Lugo & 32. & contrarium à plerisque Auctoribus variè censuratur.*p.10.tr.11.res.57.& par. 12.tr.1.res.37.*

VI. Ad valorem Sacramenti sufficit in ministro intentio virtualis, non tantùm quæ virtute remanet ex priori actuali, sed etiam probabiliter quæ ex natura sua, vel institutione Ecclesiæ comprehenditur sub aliqua alia actione. v.g. quia induere vestes sacerdotales est ex institutione Ecclesiæ medium ad celebrationem Missæ, eo ipso quo sacerdos vult more solito vestes illas induere, habet etiam virtualem intentionem celebrandi Missam. Reginald.*p.2. tr.17.res.32.*

VII. In necessitate ministranda sunt Sacramenta in materia dubia, si deficit certa : imò ad hoc est obligatio caritatis. Vnde sine dubio posset id Pontifex præcipere. Sed si casus ille necessitatis cesset, essent ea denuò ministranda sub conditione. Suarez & *6.p.8.t.r1.res.49.* Multò magis ministrari possunt cum iurisdictione dubiâ : Neque fit pœnitenti iniuria, quia ex tacito consensu Ecclesiæ, & ratihabitione de præsenti iurisdictio suppletur. Lessius & *7.Ibid.res.93.*

VIII. In susceptione Sacramentorum etsi in adultis requiratur positiuus consensus, sufficit tamen habitualis, id est, præteritus non reuocatus. Hurtad.*patr.5.tractat.13. resol.32.*

IX. Omnia Sacramenta possunt aliquando conferre primam gratiam, si suscipiantur ab attrito, qui bonâ fide

putet se esse contritum. Coninc & 2. *Ibid.ref.* 31.

X. Possunt peti Sacramenta ab eo qui scitur ea ministraturus in peccato mortali, siue sit proprius Pastor, siue non: siue sit ad hoc paratus, siue non, modò adsit necessitas, vel rationabilis vtilitas quæ non possit ab alio æquè vtiliter obtineri. Granad. & 7. Est autem causa sufficiens impletio præcepti communionis, vel sacri audiendi. Lessius & 2. Etsi hoc neget Valent. & 2. Eadem vera sunt etsi Minister esset excommunicatus toleratus, si vel proprius sit Pastor, vel ad hoc per se sit paratus: in casu autem necessitatis, etiam quando non esset paratus. Granad.*p.*10.*tr.* 11.*res.*63.*&* 64.

XI. Vt impetretur à Sacerdote administratio Sacramēti in graui necessitate, v.g. baptismus in periculo mortis, si nolit aliter facere, potest ei pecunia dari, non quidem vt pretium, sed tanquam medium alliciendi animum illius ad dandum Sacramentum, vel certe vt redimias iniustam vexationem. Hurtad. & 5. Etsi contrarium doceat D. Thomas & 6.*p.*5.*tr.*3.*res.*29.*&* *tr.*7.*res.*16. Imò etsi expressè peteret illam pecuniam dari in pretium Sacramenti, & cogeret te iurare te tali modo dare; posses id facere iurando cum restrictione mentali. Tancredi. Ad hæc autem necessitas videtur sufficiens vt quis recipiat viaticum, etsi confessus sit, vel non habeat peccatum mortale: imò etsi in eadem infirmitate illud iterum esset sumendum. De aliis Sacramentis non est eadem ratio v. g. de extremâ vnctione, nisi quando quis non posset Eucharistiam ratione infirmitatis suscipere. Tancredi.*part.*11.*tr.*6. *resol.*32.

XII. Qui suscipit vel ministrat Sacramentum, si recordetur alicuius peccati mortalis, in quacumque angustiâ temporis debet, quia potest, elicere contritionem, cùm Deus semper sit paratus præbere auxilium. Ochagau. Aliter tamen & probabiliter sentit Vasquez & 4. v.g. si quis vulneratum in plateâ & iam morientem statim debeat absoluere. Idemque est de aliis Sacramentis, vel

etiam cum quis in subditâ irreptione infidelium consumit Eucharistiam.*p.4.tr.4.res.98.& p.5.tr.13.res.74.* Extra eam necessitatem conferens in statu peccati aliquod Sacramentum, præter baptismum non solemnem, peccat mortaliter, nisi excuset ignorantia. Coninc. Neque contrarium quod docet Crousers & 2. admittendum est, nisi in ministratione Eucharistiæ: ideoque contraria sententia in summâ Llamas deleri iussa est ab Inquisitione Hispanicâ.*p.6.tr.6.res.53.& p.10.tr.16.res.28.*

XIII. Qui indignè administrauit Sacramentum, non debet in confessione explicare quale illud fuerit: quia violatur in omnibus eadem virtus religionis.*p.5.tr.14.res.56. & p.1.tr.7.res.59.*

XIV. Omnia Sacramenta si cum obice suscipiantur, reuiuiscunt posteà illo sublato. Caiet.& 2.*p.3.tr.4.res.15.& p.5.tr.13.res.30.*

XV. Qui inualidè ministrauit Baptismum, vel Ordinem Sacerdotalem, aut Episcopalem, tenetur etiam cum periculo famæ, vel vitæ defectum illum manifestare, propter maximum detrimentum spiritale fidelium quod inde sequeretur. *p.5.tr.13.res.55.*

Scandalum.

I. SCandalum est actus minùs rectus præbens proximo occasionem ruinę, etsi hæc non intendatur, modò fiat aliquid quod saltem speciem peccati habeat, quo creditur alius ad peccatum inducendus, quod etiam in confessione distinctè est explicandum Hurtad. & 3. Imò teneris, & numerum illarum personarum, & speciem peccatorum explicare. Vasquez & 13. Etsi hoc neget Lugo & 2. eò quòd quando non intenditur ruina proximi, solum fit malitia scandali contra caritatem. *p.5.tr.7.res.1. 2. & 3. & p.6.tr.6.res.33.& p.10.tr.12.res.29.* Hinc etsi qui mulierem induceret ad fornicandum directè intendendo eius mortem spiritalem, grauiùs peccaret, quàm qui eam occide-

ret:non tamen qui eam inducit,solam delectationem directè intendendo. Lorca & 3.*p.9.tr.8.res.35.*

II. Nullum præceptum siue affirmatiuum siue negatiuum omitti debet propter scandalum, quod aliàs sine peccato omitti non posset. Vasquez & 4. Contrarium tamen est probabile quoad præcepta positiua, ex quorum omissione nullum damnum sequitur proximo. Suarez & 6. Vnde & mulier potest exire ad audiendum Sacrum, quamuis sciat se lasciuè ab aliquo concupiscendam. Granad.& 3.*p.5.tr.7.res.21.& 22.*

III. Ab operibus consilij, vt ingressu Religionis, ad tempus abstinendum est ob scandalum ex infirmitate: vt si aliqui tuâ auctoritate,& præsentiâ contineantur à peccatis,in quæ aliàs essent facilè lapsuri. Valent. & 5.*Ibidem resol.23.*

IV. Propter scandalum non sunt dimittenda bona temporalia alicuius momenti: Imò Prælati Ecclesiastici non possunt omittere ea quæ ad bona Ecclesiæ conseruãda, vel acquirenda necessaria sunt. Lorca & 6. *Ibidem resol.24.*

V. Pingere imagines turpes ita vt partes inhonestæ non occulrentur, est peccatum mortale; est enim scandalum actiuum.Sanchez & 8.Idem est de aliis qui tales imagines palam,& in publico retinent non coopertas.*part.11. tr.4.res.32.*

VI. Feminas nudato pectore incedentes peccare mortaliter, docet Duuall. & 5. Contrarium tamen est probabile, vbi est consuetudo vt media vbera appareant; videtur enim hoc permitti, vt maiora mala caueantur. Sanchez & 8. Esset tamen mortale id facere vbi non est ea consuetudo; quia insolita magis mouent. Caietan. & 12. *p.10.tr.12.res.30.& p.11.tr.4.res.32.*

VII. Femina ornans se more patrio,etiam si sciat fore, vt ex hoc ornatu lasciuè ab aliquo ametur, non peccat mortaliter: vtitur enim iure suo, neque est causa illius scandali, nisi per accidens. Sanchez & 5.Quòd verum est

quamuis id faceret cum peccato veniali inanis ostentationis. Et idem dicendum est si choreas ducat. Quòd si aliquem in particulari sciret inde sumpturum occasionem ruinæ, tunc deberet abstinere si commodè potest: vt non potest si quis illam inuitet cui sine notâ, vel offensione negare non possit. Item si alius non ex malitiâ peccabit, sed ex infirmitate, vel passione: quod si id diu duret, non est passio, sed malitia. Hurtad. *part.* 2. *tract.* 15. *res.* 30. & *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 31. & 25.

VIII. Excessum immoderatum in pretio ornatûs muliebris esse mortalem, docet Suarez & Filliuc. Sed contrarium est probabilius, sepositâ alia prauitate. Lessius & 2. Quamuis ornatus immoderatus quicumque semper sit illicitus, & interdum mortalis. Lessius. *part.* 10. *tractat.* 12. *resol.* 30.

IX. Si femina vtatur veste virili vel contrà, sine iusta causa, solum ex leuitate, & absit tum scandalum, tum intentio, periculumque libidinis, tantùm erit veniale: aliàs erit mortale. Syluius, *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 32.

X. Potest vinum vendi tabernariis qui sciuntur illud aqua mixtum iterum vendere: sed non liceret tunc illis tradere tuo nomine vendendum, nisi ex non-venditione graue damnum patereris. Meroll. *Ibid. resol.* 39. & *part.* 3. *tr.* 6. *resol.* 44.

XI. Potest sine peccato suaderi minus malum etiam de quo alter non cogitabat: vt si dissuadens alteri adulterium nihil possit obtinere, ideoque proponat ei fornicationem ad explendam libidinem, quam aliter dissuadere non potest: Imò volenti furari à paupere posses suadere vt potiùs furetur à diuite, etsi personam determinares. Vasq. & 2. *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 18. & 19.

XII. Qui obiicit alicui occasionem peccandi ob bonum finem, non peccat: v.g. cum maritus offert vxori occasionem adulterandi, vt illam in adulterio deprehendat: vel cum dominus dat famulis occasionem furandi, vt in furto deprehensi resipiscant; quia id non est formaliter

cooperari ad peccatum ; sed potiùs illud velle impedire. Layman & 2.*p.*3.*tr.*5. *ref.* 18.

Secretum.

I. SEcreta Principum , vel exercitûs, vnde bonum Reipub. vel exercitûs dependet , reuelare non licet , etiam ad euitanda tormenta vel mortem : nam bonum publicum præferendum est priuato. Malder. & 1. Secluso autem illo casu boni publici,licet , quamuis inde mors proximo immineret. Lessius & 2.*p.*6.*tr.*6.*ref.*60.

II. Si Cardinales reuelent ea quæ in Consistorio acta sunt,quæ reuelata redundare possunt in odium , præiudicium,vel scandalum alicuiùs , incidunt in censuram Papæ reseruatam, etsi id specialiter non prohibuerit. Castrop. & Filliuc. Probabiliter tamen speciale præceptum ad hoc requirit Bonacin. & 2. Censuram etiam hanc non esse vsu receptam,docet Leone & 2. Sed de hoc tu cogita. Quamuis autem sit , non ligat eos qui audiuerunt à Cardinali, & posteà aliis reuelant. *p.*9.*tr.*8.*ref.* 41.

III. Litteras alienas aperire licet , si fiat iure belli, vel iustæ defensionis contra inimicum molientem nocere, vel si Prælatus aut Pater familias suspicentur aliquid mali patrandum in litteris contineri. Peyrin. Item litteras laceratas , & publicè abiectas collectis fragmentis legere non est peccatum : teneretur tamen talis ex caritate non manifestare ex illis secretum quod cederet in damnum, alterius. Layman & 2.*p.*3.*tr.*6.*ref.*55.

Sepultura.

I. PVblicus peccator qui absque externo pœnitentiæ signo moritur , vel etiam qui moriuntur in facto moraliter malo(nisi se ipsi occidant) licitè possunt donari Ecclesiasticâ sepulturâ : Imò & suffragia pro ipsis offerri. Hurtad. Idem est quamuis aliquis reperiretur laqueo suſ-

pensus, vel in puteo suffocatus; non enim propterea certum est se ipsum interfecisse. Villalob. & 4. Sed si publicè constaret aliquem non communicasse in Paschate, priuandus esset. Barbos. & 3. *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 99. *&* 100.

II. Excommunicatus toleratus moriens non est priuandus Ecclesiasticâ sepulturâ, etsi publicè constet fuisse excommunicatum. Suarez & 9. Neque polluitur Ecclesia si sepeliatur in eâ excommunicatus, nisi hic sit vitandus. Excommunicatio verò lata in sepelientes non-toleratum, tantùm spectat ad eos vel qui propriis manibus terræ tradunt (Caietan. & 2.) vel etiam qui id mandant: non autem ad comitantes, vel cantantes, vel lumina deferentes. Nec etiam ad cooperantes negatiuè, nisi fauor tantus esset vt iure dicerentur auctores. Suarez &, 4. *Ibid. res.* 140. *& tr.* 9. *res.* 97. *&* 98.

III. Qui sepeliunt in Ecclesiâ excommunicatum absolutum à laico in articulo mortis, non peccant, nec pœnas statutas incurrunt; est enim probabile validè esse absolutum. *p.* 8. *tr.* 7. *res.* 79.

IV. Vt Hæretici priuentur Ecclesiasticâ sepultura non est necesse vt sint denuntiati (etsi id velit Henriq.) Sed satis est manifestè constare eorum hæresim. Castropal. & 2. Debet tamen ita notoriè decedere hæreticus vt nulla tergiuersatione celari possit. Castrop. Qui tamen eum sepeliunt qui non est denuntiatus non incurrunt censuram. Neque Ecclesia per hoc polluitur, sed tantum per sepulturam denuntiati. Layman & 4. *part.* 9. *tract.* 8. *res.* 1. *& p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 98.

V. Religiosus persuadens moribundo vt velit sepeliri in sua Ecclesia peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem Bonifacij VIII. & talis electio seruanda non est, quamuis iurata. Portel. *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 101.

VI. Ad probandam electionem sepulturæ requiruntur saltem duo, vel tres testes, sicut ad quamlibet dispositionem ad pias causas. Genuens. & Lauor. Sufficere tamen dictum solius Confessarii, docet Molfes. *Ibid. res.* 106.

VII. Pater pro filio in vita eligere poteſt ſepulturam, non autem poſt mortem : ita ſacra Congregatio. Niſi tamen contraria ſit conſuetudo , qualem vbique videri eſſe vt pater pro filio ſaltem impuberi poſſit ſepulturam eligere,docet Villalob. & 2. Qui verò non habet facultatem eligendi ſepulturam , apud maiores ſuos humandus eſt. Barboſ. Quod ſi hi diuerſo loco ſint ſepulti quam Pater, ſepeliendus eſt apud maiores, non apud Patrem. Quod ſi Pater , & Auus , & Proauus ſinguli in diuerſis Eccleſiis ſepulti eſſent , ſepeliendus eſſet filius in parochiâ ; quia tunc nullam haberet certam ſepulturam ſuorum maiorum.Villalob.& 2. Vxor autem ſepelienda eſt apud virum, *&* quidem vltimum , ſi plures habuit. *Ibidem reſol.* 107. *&* 108.

VIII. Quando quis commiſit vxori, filio, aut alteri electionem ſuæ ſepulturæ , poſſe hos eam eligere etiam poſt mortem ipſius,docet Gutier, & 2. Sed negat Gemin. & 2.*p* 5.*tr.*3.*reſ.*105.

IX. Canonicus cathedralis Eccleſiæ , ſi ſepulturam non elegerit , ſepeliendus eſt in Cathedrali ; quia hæc eſt eius parochia. Bonacin. Peregrini autem & vagi in parochiali vbi moriuntur.Syलueſt. & *Ibid.reſ.*111. *&* 113. Serui autem in parochiâ Domini ſui. Poſſunt tamen hi cum puberes ſunt , eligere ſibi ſepulturam : vel cum impuberes pro ipſis eligit Dominus.Lauor.& Vbald.*part.*7. *tractat.* 7. *reſ.*74.

X. Religioſi extra clauſtrum mortui in ſuis tamen Eccleſiis ſepeliendi ſunt , niſi ſint ita remotæ , vt commodè eò portari non poſſint, tunc enim poſſunt eligere ſepulturam,aut ſi non elegerint , in Parochiali Eccleſiâ ſepeliendi ſunt,inſtar ſæcularium in itinere morientium. Sanchez & 5.Idem eſt de Nouitiis , qui tamen quouis loco ſepulturam poſſunt eligere , ſicut poſſunt Religionem deſerere, & ad ſæculum reuerti. Villalob.*p.*5.*tr.*3.*reſ.*110.*&* 109. Si tamen voluerint in ſuis Monaſteriis ſepeliri , non debetur Parocho quarta funeralis ; quia non ſunt eius parochiani, *part.*9.*tr.*7.*reſ.*62.

XI. Si aliquis sæcularis hospes apud Regulares, ibi moriatur, sepeliendum etiam esse in eorum Ecclesiâ, docet Peyrin.& 2. quod negat Trullench. Quod si quæ mulier habitans in monasterio Monialium, velit alibi sepeliri, spectare ad Confessarium Monialium, non verò ad Parochum, associare cadauer, & percipere quartam funeralis,aliaque iura sepulturæ, docet Pellizzar. Idemque probabile est de puellis quæ in similibus Monasteriis habitant educationis causâ,*p.9.tr.7.ref.62.*

XII. Regulares & Confraternitates volentes ad funera mortuorum accedere, congregari debent in Parochiali:aut si Capitulum Cathedralis interueniat, in Cathedrali,& non ad domum defuncti expectare, vel in viâ se adiungere, iuxta Rituale Pauli V. Parolet. Quod tamen in praxi multis locis non obseruatur.*p.11.tr.8.ref.65.*

Seruus siue Mancipium.

I. SEruitus iure gentium introducta,de iure ciuili veteri quoad vitam etiam & necem alteri subiiciebat, numquam de iure naturali. Fit autem quis seruus iure belli iusti, etiam infantes. Item ob delictum vel per sententiam particularem, vel per legem generalem, vti sunt Christiani prohibita deferentes ad Saracenos. Lugo & 4. Item cum quis seipsum vendit:ad quod tamen plures conditiones requiruntur iure Cæsareo, vbi hoc obligat. Molin.& 7. Sic etiam pater vrgente necessitate vendere potest filium,vel filiam non emancipatos,non tamen coniugatos;aut Clericum. Molin. & 3. De iure naturæ idem licet & matri. Pinell. Imò & de iure ciuili, æquè ac patri, Hunnius. Quod negat Acacius.Item seruus est qui nascitur ex matre seruâ Sed sufficit matrem aliquando à tempore conceptionis liberam fuisse etsi tantùm ad momentum, vt proles etiam sit libera.Molin.& *3.p.7.tr.7.ref.1.2.3.4.5.6.7.8.& 9.p.9.tr.7.ref.27.*

II. Inter Christianos bello capti non efficiuntur man-

cipia.Lessius & 22. Quod ex consuetudine extenditur etiam ad Hæreticos.Suarez & 8.*part.7.tractat.7.res.5.&p.11. tract.3.res.1.*

III. Potest sine peccato proponi lusus vt pro lucro exponant suam libertatem ad remigandum, quando & necessitas id exigit, deficientibus remigibus, & excluduntur personæ quæ absentia sua graue damnum familiæ suæ adferrent.Azor. *p.7.tr.7.res.43.*

IV. Emptionem mancipiorum quæ fieri solet in Angola, Guineâ, & Viridi promontorio, communiùs damnant vt illicitam.Garsias & 2. Eam tamen excusat Molin. & 2. *Ibid.res.70.*

V. Serui possunt à Dominis puniri etiam adustione accensi adipis,vel ceræ,modò id moderatè fiat, & delictum mereatur.Possunt etiam signari in facie, ne fugiant. Molin. & Marchad.Item possunt iis subtrahi alimenta, non tamen quæ necessaria sunt ad vitam. Azor & 2. Ob nimiam autem sæuitiam possunt Domini cogi vt seruos vendant. Menoch. *Ibid.res.*21.22.46.*&* 64.

VI. Serui tenentur obedire Dominis in iis quæ non repugnant iuri naturali, Diuino, vel etiam humano: etsi hoc posterius interdum non ita obliget, quin cedat præcepto Domini Azor & 2. Si tamen ob solum metum durioris reprehensionis obediant Dominis præcipientibus ne audiant Missam, vel vt laborent die festo, non excusantur à peccato;quia illud non est tam graue incommodum. Trullench. Etsi aliqui simpliciter ab istis præceptis excusent ob contrarium præceptum Domini. Machad. *Ibid. res.*48 *&* 52.

VII. Tenentur defendere vitam Domini etiam cum periculo vitæ suæ,si non temere se in pericula ingerat.Filliuc & 2. Sed hoc nimis rigidum dicit Molin. In casu tamen æqualis necessitatis potest seruus sibi potiùs quàm Domino alimenta ministrare. Nauarr. *Ibidem resol.* 49. *&* 66.

VIII. Seruorum furta quoad esculenta, non sunt mor-

talia, si ipsi ea consumant, sintque res ordinariæ. Aliud est si accipiantur ad eum vsum ad quem Dominus nollet concedere v.g. ad compotationes; quia tunc est inuitus quoad substantiam. Quod si serui damnum aliquod inferant aliis sine culpa Theologica Domini, non tenetur hic illud resarcire ante sententiam Iudicis. Molin. & 8. *Ibidem res.28. & 73.*

IX. Serui possunt esse executores testamenti. Sanchez & 2. Sed in his solùm quæ consistunt in nudo ministerio: non autem in his quæ ad arbitrium, iudicium, aut ius pertinent. Carpius. Possunt etiam validè contrahere, quantum ad ius naturale, & forum conscientiæ, vnde tam ipsi quam cum ipsis contrahentes obligantur, etsi non oriatur obligatio ciuilis. Sanchez & Filliuc. *Ibid.res.42. 23. & 24. & p.8.tr.5.res.3.*

X. Seruus potest vouere quæ non sunt in præiudicium Domini: alia verò vota omnia potest Dominus irritare; non autem illa. Suarez & 5. Imò etiam potest probabiliter irritare vota collata in tempus libertatis. Syluest *p.7.tr.7. res.25.26.& 27.*

XI. Non tantùm validè, sed & licitè matrimonium contrahunt sine consensu Domini. D. Thom. & 2. Neque possunt tunc à Dominis vendi in longinquam regionem amandandi in præiudicium matrimonij: nisi Dominus graui necessitate premeretur, nec inueniret sufficiens pretium serui in loco suo. Auersa & 6. Imò si Dominus in matrimonium consenserit, tenebitur seruus vxori potiùs parere quàm Domino, in iis quæ ad matrimonij vsum spectant: secus si non consenserit. Azor & 3. *Ibid.resol.36.37. & 38.*

XII. Potest Dominus iniuriam seruo facere quoad bona vitæ, & membrorum, quę obliget ad restitutionem, & potest iniuria esse tanta, vt non nisi libertate compensetur. Molin & 2. Vnde si Dominus mutilauerit seruum aliquo membro, debere ipsi restituere libertatem, docet Azor. Quod tamen alij negant; ideò quòd pro membro

ipso nihil debeatur, & vtilitas eius omnis spectet ad Dominum. Filliuc. & Trullench. Vtrimque probabiliter. Imò & heredibus serui restituendum, si Dominus eum occiderit, docet Molin & Fagund. Licèt hoc etiam probabiliter neget Azor & Filliuc. Qui autem seruum alienum inutilem reddit, vel occidit, tenetur non eius tantùm Domino restituere, sed & ipsi seruo. Molin. & Fagund. Quod de solo damno ex iniuriâ secuto ipsi seruo admittit Lugo. *Ibid. res.* 19. 45. 44. *&* 20.

XIII. Quod seruus accepit pro iniuriâ illatâ, vel pro vsu corporis, non tenetur Domino dare Lessius & 6. Neque quod lucratus est ludendo iis bonis de quibus poterat disponere. Molin. & 6. Neque quæ ipsi relinquuntur testamento, vel donantur absolutè, & sine conditione, & non intuitu Domini. Molin. & 8. Neque si sibi aliquid subtrahat sine incommodo Domini, quod liberè poterat consumere: aut si præter opera præscripta, alia faciat è quibus lucrum colligat. Lessius & 5. Et in his casibus si Dominus ea bona eriperet seruo, posset hic vti tacitâ compensatione. Molin. & 2. Possunt etiam serui de istis bonis donationes, vel eleemosynas facere, & seipsos redimere, vel etiam accipiendo mutuum quod posteà restituant. Azor. *Ibid. res.* 29. 30. 31. 32. 33. 34. *&* 43. *& p.* 2. *tr.* 17. *res.* 58. *& p.* 5. *tr.* 6. *res.* 8. *&* 9.

XIV. Libertatem dare seruis non est opus pium nisi cum ij boni sunt, & industriâ suâ facilè sustentare se possunt: aliàs enim fures fiunt, & furcas implent. Sanchez & 2. Si tamen Dominus alicui libertatem promisit, tenetur in conscientiâ dare; quia nascitur obligatio naturalis, etsi non ciuilis. Sanchez *p.* 7. *tr.* 7. *res.* 35. *&* 54.

XV. Qui in pœnam criminis condemnati sunt ad seruitutem non valde calamitosam, non possunt fugere. Lessius & 2. Neque qui à seipsis, vel à parentibus legitimè venditi sunt. Bello tamen etiam iusto capti, possunt fugere, etsi posteà fuerint venditi. Lessius & 4. modò ad suos & in patriam fugiant ad recuperandam libertatem: sed non

licet eis fugere ad euagandum extra potestatem Domini. Sanchez. Et quoties licitè fugiunt possunt alij ad hoc cooperari secluso scandalo: Neque possunt propterea à Dominis puniri, si rursus capiantur, etsi id affirmet Lessius. *Ibid. ref.* 12. 9. 10. *&* 40.

XVI. Si Dominus compellat seruum vel ancillam ad turpia, possunt hi ad Episcopum recurrere, qui eos libertate donet. Molin. & 4. Item si Dominus ægrum destituat non præbens alimenta: vel si solutus ancillam concubinam habuit vsque ad mortem, etsi de eâ moriens nihil statuerit, ipsa & filij fiunt liberi. Denique si Iudæus, vel Infidelis seruum circumcidat, fit liber. Hurtad. & 2. *Ibidem ref.* 13. *&* 16.

XVII. Si Dominus & seruus infideles simul conuertantur ad fidem, durat seruitus: secus si prior conuertatur seruus. Sanchez & Trullench. Item si Dominus seruum adoptet in filium, eo ipso liberum facit. Lugo. Vel si heredem instituit, aut tutorem filij. Vel si consentit in matrimonium serui cum personâ liberâ, ignorante illius seruitutem, nec Dominus eam patefaciat: aut si nubenti cum sciente seruitutem Dominus instrumentum dotis conficiat. Lugo & 2. Etsi Rebellus neget id locum habere in foro conscientiæ, quoties Dominus sine animo decipiendi, & per ignorantiam ita se gerit sine intentione dandi libertatem. *Ibid. ref.* 41. 15. 16. *&* 14.

XVIII. Seruus sine licentiâ Domini Religionem ingressus, nequit profiteri: & si professus est, potest à Domino repeti. Quod si per triennium, non repetat, cum facilè posset, censetur iuri suo renuntiare. Sanchez. Similiter sunt irregulares quamdiu durat seruitus. Quod si ordinentur Domino non contradicente, fiunt liberi: sin autem contradixerit tenentur adhuc seruire in iis quæ non dedecent statum per Ordines susceptum. Villalob. Quod si Episcopus scienter seruum alienum ordinauerit ignorante Domino; seruus fit liber, sed Episcopus tenetur duplicatum serui pretium Domino reddere. *cap. si seruus absente.*

distinct. 54.&c. *Ibidem resolution.* 60.*&* 53.

XIX. Si Dominus ab Inquisitione damnetur hæreticus, mancipia eius Christiana fiunt libera, & manent; etiamsi posteà Domino conuerso alia bona restituantur. Ex praxi Inquisitionis Hispanicæ. Molin. & 6. In Lusitaniâ tamen non fiunt per hoc libera. Fagund. *Ibid. ref.* 17.

XX. Christiana mancipia quæ Romæ fugiunt in Capitolium ad Conseruatores Vrbis, libertate donantur. Quod tamen in praxi non videtur se extendere extra dominium temporale Pontificis. Lugo. *Ibid. ref.* 18.

Sigillum confessionis.

I. Violatio sigilli Sacramentalis duplicem habet malitiam, & sacrilegii, & iniustitiæ ex virtuali pacto, quod est inter pœnitentem & Confessarium de seruando illo secreto in omni casu. Fagund. & *2.p.5.tr.11.ref.1.&2.* Neque hic datur materia parua: nec contrarium probabile est, Malder. & 2. Quamuis id doceant Ledesm. & Sotus. *Ibid. tr. 5. ref. 8.*

II. Potest Confessarius reuelare confessionem de licentia pœnitentis: (D. Thom. & 6.) sed debet esse formalis, & expressa; vnde non sufficit pœnitentem debere consentire, si de facto non consentiat. Malder. & Tanner. Item debet esse plenè libera, neque fraude, aut per preces importunas extorta, aut etiam per metum reuerentialem. Fagund. Non est tamen necessarium illam habere in scriptis. Suarez & Fagund. Imò in dubio an reuelatio illa facta sit cum licentia, credendum est Sacerdoti potiùs quam pœnitenti. Henriquez & Graff. Vel etiam quàm eius heredibus, quando ex licentiâ defuncti reuelat iis restitutionem faciendam. Rodriquez & 5. Ad reuelationem autem peccati complicis sufficit licentia solius pœnitentis, Suarez & 3. Etsi contrarium probabile sit. Vasquez & Kellison. *p.5.tr.11.ref.10.32.33.41.28.52.&* 24.

III. Posse sacerdotem ad euitandam mortem, si quæ-

ratur ab eo an talis persona sit ipsi confessa, affirmare, etsi persona illa occideretur, docet Leand. & 2. Sed hoc prorsus est reiiciendum. Lugo & 2. *part.* 11. *tractat.* 8. *resolution.* 50.

IV. Nullo modo licet vti scientia habita in confessione, nisi forte in iis per quæ nemo potest rationabiliter auerti à confessione: vt si quis intelligeret Petrum non esse Sacerdotem, posset deinceps illi non confiteri: aut si sciret vitæ suæ insidias parari, posset non exire domo, aut armis ad defensionem se instruere. Sanchez & 2. Non tamen licet ex eâ scientiâ aut negare suffragium, etiam occultum, aut amouere ab officio. Suarez & 9. Et contraria sententia est admodum periculosa. Si tamen is de quo eligendo agitur, habeat alios defectus, putà ætatis, scientiæ &c. non tenetur Confessarius ei dare suffragium, quem ex confessione nouit indignum, Maldel. & 6. Neque si Confessarius ex confessione sciat famulum suum esse furem, potest illum ideò dimittere. Malder. Neque si iter faciens sic intellexit se in siluâ occidendum, potest retrocedere, aut fugere. Neque si intellexit in calice mixtum esse venenum potest aut Sacrum omittere, aut aliud vinum petere. Suarez & 7. Quæ vera sunt etsi sciret se esse in peccato mortali; sed deberet tunc elicere contritionem, & se Deo commendare. Excipe nisi posset alio honesto titulo mortem effugere, ita vt nulla posset oriri suspicio illius peccati in confessione dicti. Suarez & 2. *Ibid. res.* 3. 4. 37. *&* 46. *&* *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 79.

V. Pobabile est licere vti scientiâ confessionis ad euitandam mortem corporalem, dummodo id fiat sine graui damno, aut periculo pœnitentis. v.g. nolendo bibere vinum quod ex confessione scitur esse venenatum, licèt complices inde coniiciant illud eo modo innotuisse; quia lex confessionis sic est instituta vt in nullo casu sit moraliter fere in obseruabilis vel pœnitenti, vel Confessario Palauic. & 2. sic qui nouit in calice venenum esse mixtum, posse alio prætextu Missam omittere, docet Coninc. & 2.

Imò teneri omittere ad vitandam tum mortem, tum irreuerentiam Sacramenti si in tali vino consecraretur, addit Coninc. Sic posse periculum mortis euitare domi suæ se continendo, vel siluam non ingrediendo &c. Item posse negare gladium petenti depositum apud Confessarium quo ex confessione intellexit se aliàs occidendum, docet Leand. *p.*11.*tr.*8.*res.*50.

VI. Similiter Confessarium posse dimittere famulum quem ex confessione nouit esse furem: aut res suas meliùs custodire, docet Vasquez & 3. Episcopum posse negare dimissorias, vel non conferre beneficium ei quem ex confessione nouit indignum: Item qui nouit proditionem parari, posse monere de diligenti custodiâ ciuitatis: Imò posse alium monere cui malum aliquod paratur vt tali loco & tempore sibi caueat, docet Tanner. & Ochagau. Sed contrarium in his omnibus tenendum est. *part.* 5. *tractat.* 11. *resol.*3.

VII. Sacerdotem qui ex confessione intelligit furtum sibi factum, posse furem accusare ex aliis indiciis extra confessionem cognitis, docet Vasquez. Quod tamen in praxi tutum non est, nisi indicia illa seorsim sumpta præbeant sufficientem notitiam ad accusandum, ita vt nullo modo vtatur scientiâ ex confessione. Præpos. *part.* 5 *.tract.* 11. *resol.* 17.

VIII. Qui ex confessione scit se à muliere vocari ad domum suam prætextu confessionis, sed re verâ ad malum finem, non potest tamen propterea recusare ad illam adire, sed potiùs debet se Diuinæ prouidentiæ committere, quo periculum euadat. Dicastill. *part.* 11. *tractat.* 5. *resol.* 15.

IX. Decretum Clementis IIX. de non vtendâ scientia in confessione accepta à Superioribus Religiosis, putant quidam non habere locum, quando id esset necessarium ad periculum à Repub. vel à proximo propulsandum, quòd in eo grauior sit obligatio: Imò etiam ex eo quòd sit sententia probabilis, & nullum ius humanum possit

impe-

impedire, ne quis in necessitate vtatur sententiâ probabili, ita Lessius & Mercer. Atque ita posset Superior Regularis, imò deberet ex tali notitiâ expellere subditum extra regnum, quæsito aliquo colore, quem nosset proditionem machinari: Item deberet ad alium locum amandare quem nosset feminam aliquam sollicitare aut aliud quid simile quod si manifestaretur, grauiter infamaret Religionem Sed an hæc omnia probabilia, iudicent viri docti, nam contrarium videtur dicendum, etsi nec alii nec ipse pœnitens possint intelligere illud fieri ratione alicuius auditi in confessione v. g. non eligi ad officium, vel ab eo amoueri. *p.4.tr.4.res.202.& part.10.tractat.12.res.34.& part.11. tr.5.res.15.*

X. Non obstante eo decreto posse Superiorem ex tali scientiâ priuare subditum officio, ad nutum amouibili, docet Vasquez & 6. Posse negare suffragium occultum ei quem ex solâ confessione nouit indignum. Vasquez & 11. negare licentiam exeundi foras, vel loquendi cum externis, occludere fenestram, & similia, docet Leand. Sed ego his non assentior. *p.3.tr.4.res.76.& p.5.tr.11.resol.3.& 4. & p.10.tr.12.res.34.* Imò quidam docent decretum illud non obligare sub mortali, ex eo quòd tantùm feratur verbis imperatiui modi. Caietan. & Rodriquez. Sed contrarium est verum. Castropal. *p.4.tr.4.res.202.*

XI. Confessarius rogatus de crimine audito in confessione, potest negare, etiam cum iuramento: (Vasquez & 5.) nisi ex illâ negatione sequeretur confessionem non fuisse integram v.g. si de publicâ meretrice rogaretur an non esset confessa fornicationem: tunc enim declinanda est directa responsio, dicendo; *illam confessam esse peccata sua, & se functum officio suo.* Henriquez & Granad. *part.5.tr. 11.resol.43.*

XII. Peccata publicè nota v. g. meretricis, etsi Confessarius diceret se in confessione audiuisse, non violatorum sigillum, docet Medin. & Sà saltem non sigillum strictè sumptum. Hurtad. cùm non sit reuelatio peccati

nec quoad substantiam, nec quoad maiorem certitudinem. Item si non potest Confessarius aliter explicare peccatum suum in confessione, posse reuelare circumstantiam peccati sibi confessi, licèt ex eâ deueniatur in cognitionem pœnitentis, docet Sotus & 2. Sed hoc nullo in casu est admittendum. Vasquez & 8. *p.5.tr.11.res.6.42.& 9.*

XIII. Quando Confessarius commisit aliquem defectum in confessione, quia v.g. non obligauit pœnitentem ad restitutionem, non potest cum illo loqui de supradicto defectu sine ipsius licentiâ, quam si negat, culpa erroris à Confessario in pœnitentem transfertur. Granad. & 3. Etsi contrarium doceat Suarez & 5. posse scilicet de illo defectu agere, etiamsi pœnitens rogatus licentiam negasset; quia est irrationabiliter inuitus. Eadem locum habent etsi is error statim à finita confessione deprehenderetur. Fagund. Sed contra sentit Henriquez & 2. Imò neque in sequentibus confessionibus potest loqui de prioribus sine expressâ licentiâ pœnitentis, nisi de illis peccatis quæ pœnitens tangit, vel confitetur in secundâ Fagund. Quãuis aliter sentiat Granad. & 4. *Ibid.resol.18.19. & 20. & p.2.tr.15.res.12. & p.3.tr.4.res.87.*

XIV. Non violari sigillum etsi Confessarius sine licentiâ pœnitentis cum ipso agat de peccatis in confessione auditis, modò id faciat studio promouendi eius salutem, docet Putean. Sed hoc prorsus est reiiciendum; imò talis Confessarius puniendus esset pœna ordinaria tamquam fractor sigilli. Sotus & Victoria. Etsi per hoc violari sigillum neget Vasquez & Medin. Alij verò volunt extraordinariâ puniendum, eò quòd non reuelet confessionem absolutè, & strictè loquendo. Granad. & Hurtad. *p.5.tr.11.res.6.*

XV. Quod quis alteri dicit tamquam in confessione dictum, non inducit obligationem sigilli, sed tantùm secreti naturalis. Raynaud. Sed si pœnitens vel verbo, vel facto v.g. clàm accedendo significet se nolle sciri se esse confessum, hoc solum reuelans Confessarius, violabit si-

gillum Reginald. & 2. Vti & si dicat pœnitentem confessum esse multa, vel grauia venialia. Hurtad. & Malderi Non tamen si dicat eum minutissimis peccatis scrupulosè caput obtundere. Leand & 17. Quamuis contrarium doceat Granad. Quod saltem valde periculosum est, quia odiosam reddit confessionem. *p.5.tr.11.res.54.47.49.& 50. & p.10.tr.12.res.34.*

XVI. Quæ in confessione dicuntur tantùm concomitanter, ita tamen vt pœnitens existimet illa seruire ad explicanda peccata, clauduntur sigillo, Reginald. & 2. Idem est de defectibus naturalibus pœnitentis. Malder. & 3. Itemque de iis quæ alios concernunt, & tamen peccata non sunt, modò à pœnitente dicantur tamquam ad explicationem suorum peccatorum, & non merè concomitanter. Sed aliud est de virtutibus & donis Dei; quia hæc ferè semper non dicuntur ad explicationem peccati. Malder. & 2. *Ibid. res. 5, 29. 38. & 30.*

XVII. Quando pœnitens propositum præsens peccandi, v.g. alterum occidendi dicit animo se accusandi, clauditur sigillo: secus si per modum simplicis solùm narrationis, vel etiam vt Confessarium inducat ad simile peccatum. Suarez & 8. Vnde si quis accederet sine vllo dolore peccati, vel proposito emendationis, non esset sigillum. Malder. & 6. *Ibid. res. 25. & 26.*

XVIII. Frangit sigillum Confessarius si dicat quam pœnitentiam imposuerit, quoties hæc est signum verosimile culpæ mortalis, vel grauium venialium, v.g. *Corona B. Virginis*, secus si pœnitentia esset vnius *miserere*, vel quinque *Pater* & *Aue*, &c. Granad. & 6. Imò neque ipsum pœnitentem monere potest de eâ adimplendâ. Numquam tamen pœnitens peccat contra sigillum si reuelet pœnitentiam sibi impositam. Suarez & 3. Si tamen pœnitens quæ à Confessario imprudenter dicta, vel facta sunt in confessione manifestet peccat mortaliter si illis honor, vel fama Confessarij notabiliter lædatur. *Ibid. res. 31. 20. & 8. & p. 11. tr. 5. res. 14.*

XIX. Confessarius qui dicit in aliquo loco vbi confessiones audit, committi graue aliquod peccatum, putà Sodomiæ, non violat quidem sigillum: si tamen coram infirmioribus, & sine spiritali vtilitate hoc dicat, grauiter peccat quia audientes facilè alienari possunt à confessione. Henriquez & 6. Frangeret autem si diceret, se audiuisse graue peccatum in certo monasterio, etsi non nominaret personam. Villalob. Imò etsi solùm diceret in certo Ordine Religioso illud committi, grauiter peccaret, sed non esset tamen puniendus ordinariâ pœnâ fractionis sigilli. Malder. *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 35. *&* *p.* 2. *tr.* 15. *res.* 13.

XX. Si Confessarius Nouitiorum, vel Monialium coram iis concionetur de vitiis in confessione auditis, scandalum dat; quia confessi facilè suffunderentur rubore. Malder. *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 36.

XXI. Confessarius tenetur dare schedulam pœnitenti quem non absoluit, ne aliàs inducat suspicionem peccati mortalis. Coninc & 7. Quòd si diceret se ipsum non absoluisse, violaret sigillum, nisi simul declararet honestam causam ob quam absolutus non esset. Suarez & 9. Imò & si diceret se eum non absoluisse quia non finiuerat confessionem ob superueniens impedimentum; nam & hoc malam suspicionem ingerit. Fagund. *Ibid. res.* 22. *&* 42. *&* *p.* 11. *tr.* 5. *res.* 14.

XXII. Si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem sui peccati in confessione, tenetur Confessarius complicis peccatum occultare sub sigillo confessionis. Suarez & 12. Solo tamen secreto naturali obligari, docet La Cruz: eò quòd tunc peccatum complicis materialiter solùm pertineat ad confessionem: & sic pro bono communi posset manifestari. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 111.

XXIII. Si Confessarius confessione vnius complicis sciat peccatum quod alter tacet, & in genere de aliis peccatis rogatus negat, non potest ideò negare, vel differre absolutionem; quia æquè vni, atque alteri fides est habenda, Tolet. & Fagùnd. *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 21.

XXIV. Non potest Superior v. g. monasterij dicere Prouinciali, sæpe in eâ domo peti facultatem absoluendi à reseruatis. Turrian.*Ibid.res.* 45.

XXV. Tenetur sigillo Confessarius etiam qui inuitus audiuit confessionem, modò pœnitens conatus fuerit ei loqui vt Confessario. Malder. Etsi contrarium doceat Suarez. Item qui chartam inuenit in quâ scripta erant peccata, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda obligatur secreto sigilli. Malder. & 14. Etsi solo secreto naturali obligari doceat Suarez & 15. *Ibid.res.*34. & 27.*&p.*3. *tr.* 4.*res.*112.

XXVI. Tenetur sigillo qui siue casu, siue de industriâ alterius confitentis peccata audiuit. Suarez & 16. Item cum in naufragij periculo, vel simili, plures simul confitentur aliis audientibus. Fagund. & 4. Item cui iniustè reuelata est confessio. Suarez & 9. Et Superior à quo petitur potestas absoluendi à reseruatis: (Suarez & 9.) & laicus qui confessionem audiuit alterius putantis in necessitate se etiam à laico posse absolui. Hurtad. & Præposit. Multò magis si laicus fingat se esse Sacerdotem. Suarez & 7. Item tenetur interpres: (Suarez & 3.) est enim confessio inchoatiuè. Etsi in his omnibus aliqui contrà sentiant. *p.*5.*tr.*11. *res.*16.23.7.13.14.15.& 48.

XXVII. Si pœnitens consilij causâ aliquem consulat in ordine ad confessionem etiam alteri faciendam, tenebitur consiliarius ille ad secretum sigilli; quia scit peccatum illud in ordine ad confessionem, & aliquo modo participat vsum clauis scientiæ dirigendo pœnitentem ad Sacramentum. Fagund. & 2. Etsi contrarium doceat Suarez & 2. *Ibid.res.*44.

XXVIII. Quando Confessarius petendi consilii causâ, cum licentiâ pœnitentis, aperuit alteri Sacerdoti Theologo peccata audita in confessione, si posteà hic Theologus cum aliis loquatur de illis peccatis, non frangit sigillum confessionis, sed tantùm secretum naturale; quia non reuelat audita in confessione. Vasquez & 3.*p.*2.

XIX. Confessarius qui dicit in aliquo loco vbi confessiones audit, committi graue aliquod peccatum, putà Sodomiæ, non violat quidem sigillum: si tamen coram infirmioribus, & sine spiritali vtilitate hoc dicat, grauiter peccat quia audientes facilè alienari possunt à confessione. Henriquez & 6. Frangeret autem si diceret, se audiuisse graue peccatum in certo monasterio, etsi non nominaret personam. Villalob. Imò etsi solùm diceret in certo Ordine Religioso illud committi, grauiter peccaret, sed non esset tamen puniendus ordinariâ pœnâ fractionis sigilli. Malder. *p.5.tr.11.res.35.& p.2.tr.15.res.13.*

XX. Si Confessarius Nouitiorum, vel Monialium coram iis concionetur de vitiis in confessione auditis, scandalum dat; quia confessi facilè suffunderentur rubore. Malder. *p.5.tr.11.res.36.*

XXI. Confessarius tenetur dare schedulam pœnitenti quem non absoluit, ne aliàs inducat suspicionem peccati mortalis. Coninc & 7. Quòd si diceret se ipsum non absoluisse, violaret sigillum, nisi simul declararet honestam causam ob quam absolutus non esset. Suarez & 9. Imò & si diceret se eum non absoluisse quia non finiuerat confessionem ob superueniens impedimentum; nam & hoc malam suspicionem ingerit. Fagund. *Ibid. res.22. & 42. & p.11.tr.5.res.14.*

XXII. Si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem sui peccati in confessione, tenetur Confessarius complicis peccatum occultare sub sigillo confessionis. Suarez & 12. Solo tamen secreto naturali obligari, docet La Cruz: eò quòd tunc peccatum complicis materialiter solùm pertineat ad confessionem: & sic pro bono communi posset manifestari. *p.3.tr.4.res.111.*

XXIII. Si Confessarius confessione vnius complicis sciat peccatum quod alter tacet, & in genere de aliis peccatis rogatus negat, non potest ideò negare, vel differre absolutionem; quia æquè vni, atque alteri fides est habenda, Tolet. & Fagùnd. *p.5.tr.11.res.21.*

XXIV. Non potest Superior v. g. monasterij dicere Prouinciali, sæpe in eâ domo peti facultatem absoluendi à reseruatis. Turrian.*Ibid.res.* 45.

XXV. Tenetur sigillo Confessarius etiam qui inuitus audiuit confessionem, modò pœnitens conatus fuerit ei loqui vt Confessario. Malder. Etsi contrarium doceat Suarez. Item qui chartam inuenit in quâ scripta erant peccata, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda obligatur secreto sigilli. Malder. & 14. Etsi solo secreto naturali obligari doceat Suarez & 15. *Ibid.res.*34. *&* 27.*&p.*3. *tr.* 4.*res.*112.

XXVI. Tenetur sigillo qui siue casu, siue de industriâ alterius confitentis peccata audiuit. Suarez & 16. Item cum in naufragij periculo, vel simili, plures simul confitentur aliis audientibus. Fagund. & 4. Item cui iniustè reuelata est confessio. Suarez & 9. Et Superior à quo petitur potestas absoluendi à reseruatis: (Suarez & 9.) & laicus qui confessionem audiuit alterius putantis in necessitate se etiam à laico posse absolui. Hurtad. & Præposit. Multò magis si laicus fingat se esse Sacerdotem. Suarez & 7. Item tenetur interpres: (Suarez & 3.) est enim confessio inchoatiuè. Etsi in his omnibus aliqui contrà sentiant. *p.*5.*tr.*11. *res.*16.23.7.13.14.15.*&* 48.

XXVII. Si pœnitens consilij causâ aliquem consulat in ordine ad confessionem etiam alteri faciendam, tenebitur consiliarius ille ad secretum sigilli; quia scit peccatum illud in ordine ad confessionem, & aliquo modo participat vsum clauis scientiæ dirigendo pœnitentem ad Sacramentum. Fagund. & 2. Etsi contrarium doceat Suarez & 2. *Ibid.res.*44.

XXVIII. Quando Confessarius petendi consilii causâ, cum licentiâ pœnitentis, aperuit alteri Sacerdoti Theologo peccata audita in confessione, si posteà hic Theologus cum aliis loquatur de illis peccatis, non frangit sigillum confessionis, sed tantùm secretum naturale; quia non reuelat audita in confessione. Vasquez & 3.*p.*2.

*tr.*15.*ref.*14. Sed contrarium est probabilius. Suarez & 10. *p.*5.*tr.*11.*ref.*11.

XXIX. Pœna Confessarii violantis sigillum est depositio ab omni munere Sacerdotali, & detrusio perpetua in monasterium. Sed vtraque requirit sententiam, neque spectat ad alios, qui præter Confessarium sigillo obligantur. Suarez & 5. Imò illæ pœnæ solùm debentur propter reuelationem peccati, non autem si aliquid aliud ignominiosum in confessione cognitum reuelasset. Granad, Nullo tamen casu fit irregularis; quia hoc nullo iure statuitur, Hurtad. & 7. *Ibid.ref.*51.*&* 53.

Simonia.

I. IN Simoniâ probabile est dari peccatum veniale ex materiæ paruitate. Molin. & 4. Qualis erit materia. quæ excusat à mortali in furto. Bonacin. *part.* 5. *tractat.*5 *resol.*2.

II. Licitum est Agnos Dei benedictos vendere ratione materiæ, ac laboris, & impensarum in eis asportandis. Suarez. & 6. Item licet illos retinere postquam in excommunicationem incurristi eos depingendo, non tamen ad vendendum. Sanchez & 3. Nec peccabunt laici, si absque contemptu illos tangantur; nam vsus obtinuit vt à laicis, etiam feminis tangantur. Sanchez. *p.*3.*tr.*6.*ref.*12.

III. Musici qui in Ecclesiis Diuina Officia canunt, si cantus ex munere clericali, aut Ordine, aut dono aliquo alio spiritali adhibeatur, non possunt sine simoniâ eius pretium, sed tantùm personæ sustentationem pacisci: secùs si aliunde ad populi deuotionem excitandam adhibeatur. Malder. *p.*11.*tr.*6.*ref.*34.

IV. Moniales recipientes aliquid pro sustentatione admittendæ, non sunt simoniacæ, etsi monasterium sit diues. Villaloh. Etsi id velit Renatus. Si tamen plus exigatur quam ad sustentationem necessarium sit, vel quia puella recipienda est vilioris conditionis, vel ad magni-

licentiam clariorem Monasterij, vel ad nouum Monasterium erigendum in quod ipsa non est admittenda, simoniacum est.*p.8.tr.7.res.29.* Potest etiam Abbatissa pascisci de certâ pecuniæ summâ, donec dos Monialis Monasterio soluatur, ratione damni emergentis. Rodriquez & 2. Non potest tamen à Nouitiis accipere aliquid vltra victum, & vestitum, ne mutuum quidem; propter particulam, *quocumque prætextu*, in Decreto Concili Tridentini *sess.23.c.16.* Si autem excessiua dos pro ingressu accipiatur, excessus est restituendus, nisi liberaliter concedatur. Suarez & *2.p.3.tr.2.res.97.& 100.*

V. Ad faciliùs impetrandam receptionem suam in Religionem, potest quis gratis, & sponte dare munera Superioribus, vel aliis. Valent. & 2. Habitus autem Ordinum Regularium Equestrium est hominum iudicio quid honorificum, proindeque pro eius impetratione pretium dari potest. Villalob.*p.3.tr.2.res.64.& p.6.tr.8.res.17.& p.9.tr.9.resol.35.*

VI. Commendæ Religionis Melitensis non sunt materia simoniæ; quia non sunt beneficia, sed dantur in stipendium pro seruitiis temporalibus. Suarez & 10.*p.6.tr.8.resol.17.*

VII. Vendere locum honoratiorem pro sepulturâ non est Simonia: non enim petitur pretium pro sepulturâ simpliciter, sed pro aptiori, aut honoratiori loco: hic autem honor potest pretio æstimari. Barbos. & 15. Quamuis alij contrarium doceant.*part.2.tractat.15.resol.57.& part.5.tr.3.resol.102,*

VIII. Pro labore intrinseco functionis spiritalis, & necessariò cum ea coniuncto non potest pretium accipi, sed solùm stipendium sustentationis quando aliàs actio illa spiritalis debita non est. Suarez & 3. Etsi alii contrà doceant. S. Bonauent. & *3.p.11.tr.6.res.34.*

IX. Probabile est quamlibet permutationem rerum spiritalium inter se (exceptis beneficiis) non esse Simoniã. v. g. elige me Prouincialem, ego te eligam in Priorem.

Sanchez & 3. Sed contrarium est probabilius. Villalob. & *7.p.3.tr.2.ref.125.& p.4.tr.4.ref.50.*

X. Quando consuetudo est vt dato vel accepto spirituali, detur vel accipiatur aliquid temporale, non esse simoniacum illud dare vel accipere; eò quòd probabiliter censeri possit eiusmodi vsum esse benè introductum, docet Rocafull. *p.11.tr.6.ref.31.*

XI. Si Titius promittat Caio se daturum eleemosynam loco pio, si ipsius operâ beneficium impetret, non est Simonia; quia nihil datur vt pretium. Turrian. & 2. Neque etiam si interrogatus de casibus conscientiæ, pro responsione pretium accipiat; quia per se tantùm est instructio intellectûs: secus si fieret per modum exhortationis. Suarez & *2.part.5.tractat.14. resol. 75. & 4. & p. 11. tr. 6. resol.31.*

XII. Non est simonia si quis det Titio pecuniam vt apud Collatorem beneficii exponat ipsius merita. Castropal.& Pasqualig. Est tamen valdè periculosum. Imò si quis det Paulo pretium, vt intercedat apud Petrum, vt ipse Petrus intercedat apud Ioannem collatorem beneficii vt illud conferat, non esse Simoniam, probabile docent Vasquez & 2. Quod an ita sit, aliis iudicandum remitto *p.4.tr.4.ref.151.& p.11.tr.6.ref.31.*

XIII Probabile docent aliqui esse tantùm simoniam iuris humani dare pecunias mediatori pro intercessione ad beneficium; eò quòd non emat beneficium, sed illam intercessionem: Et per consequens qui sic obtinuisset beneficium non incurreret pœnas simoniæ, sed collatio esset valida, & alter non teneretur restituere pretium, sicut probabile est per simoniam iuris humani has pœnas non incurri. Sanchez.*p.4.tr.4.ref.151.*

XIV. Si Petrus prætendens aliquod beneficium curatum ineat sponsionem cum Paulo, quod si obtineat beneficium, dabit Paulo 100. florenos: si non obtineat, Paulus ipsi tantundem dabit, vnde Paulus intercedens apud Collatorem obtinet beneficium Petro. Vtrum interue-

niat ibi simonia colligi potest ex iis quæ adducit Sanchez in consil.*tom.*1.*lib.*2.*cap.*3. *dub.*26. *num.* 12.vbi docet contractum initum inter Petrum & Paulum quod qui prior eorum obtineret beneficinm daret alteri tertiam partem fructuum, ex vi cuius etsi Paulus obtinuerit beneficium Petro, non esse simoniacum, nisi contractus ille non fuerit sincerè factus, sed reuera ad obligandum alterum ad procurandum illi beneficium. *Ibidem*

XV. Etsi beneficium ab amico pecuniâ obtineatur alicui non conscio, validam tamen esse collationem nec teneri ad restitutionem fructuum quos percepit ante eam simoniam cognitam: imò & post eam cognitam non teneri in foro conscientiæ renuntiare beneficio, aut ante sententiam restituere fructus posteà perceptos, docet Bauny & 2. & probabile Lessius. Sed ego non recedo à contrariâ sententiâ; cùm collatio illa sit ipso iure nulla. D. Thomas & 2. *p.* 11.*tr.* 5.*ref.*56.

XVI. Non est Simonia si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficii Collatorem, vel in compensationem alicuius damni quod inde patitur, aut alicuius lucri quod amittit. Suarez. Et quamuis pretium datum superaret iustam æstimationem laboris, non esset tamen simonia, sed potiùs iniustitia. Imò probabile est eo modo quo licet temporale accipere pro spiritali sine Simoniâ v. g. ob gratitudinem, amicitiam, mercedem laboris &c. licere etiam de hoc ipso pacisci. Valent. & 5. In praxi tamen hoc non est admittendum. *p.*2.*tr.*16.*ref.*37.*&* *p.*6.*tr.*7.*ref.*42.*&* *p.*11.*tr.*6.*ref.*31.

XVII. Quando elector inclinatur ad eligendum indignum, vel minùs dignum, non potest tamen dignior hanc vexationem pretio redimere, sine Simoniâ: quamuis contrarium docet Hurtad. & Castrop. Probabile est tamen Simoniam illam tantùm esse iuris humani, & collationem beneficii valere, nec alterum teneri restituere. Sanchez & Laym. *p.*4.*tr.*4.*ref.*152. *&* *p.*5.*tr.*7.*ref.* 17. *&* *tr.* 14.*ref.*1.*&* *p.*6.*tr.*8.*ref.*17.

XVIII. Quando alius etsi non vi, vel fraude, per subornationem tamen, preces, & munera impedit ne tu eligaris, potes pretio redimere illam vexationem, etsi subornans esset vnus ex electoribus, dummodo non des vt pro te suffragetur. Sanchez. Multò magis poterit pretio redimi vexa, si post beneficij collationem impediaris iniustè ab eius possessione adeundâ. Sanchez & 2. *part. 5. tract. 14. resol. 2. &* 3.

XIX. Quando iudex vel elector est à meo competitore pecuniâ corruptus, possum ostendere me esse paratum pecunias dare, si iudex, vel elector illas voluerit, sed non possum eas dare, vel mittere. Hurtad. *part. 5. tractat. 7. resol. 17.*

XX. Qui habet ius in beneficio sed litigiosum posse aliquid dare alteri ne litem prosequatur: vel aliquid accipere vt ipse à lite desistat, docet Io. Pontius, *part. 11. tract. 6. resol. 7.*

XXI. Iustam etiam vexationem posse pecuniâ redimi ab eo qui non habet obligationem opponendi: Item pro cessione iuris spiritalis posse dari pecuniam ad redimendam illam vexationem nolentis cedere: aut si quis electus vexetur per viam iuris circa possessionem iam habitam: Item posse dari pecuniam ne quis in electione exceptionem mihi opponat, vel vt quis à concursu desistat, vel pacisci vt ipse non concurrat in hac electione, & tu non concurres cum ipso in proximâ, vel vt quis Competitori metum incutiat ad hoc vt desistat à concursu: Item quando ius ad possessionem est dubium licere pretio redimere vexationem contra illam possessionem, docet Pasqualig. Sed ego illis eius opinionibus non adhæreo, cum sint singulares, & contra communem DD. sententiam. *part. 11. tr. 6. resol. 31.*

XXII. Qui resignat eâ intentione, & spe vt aliud sibi beneficium a Superiore conferatur, aliàs non resignaturus, non est simoniacus, etsi eam spem verbis, aut scripto exprimat Superiori, modò non intendat eum ad hoc obli-

gare obligatione aliâ præter antidoralem. Va'ent.& 4. Idē eſt cum alter cui reſignas, promittit ſe grat un futurum, modò illa promiſſio non contineat ſtrictam obligationem de implendâ naturali obligatione gratitudinis. Hurtad.& 4. Sed hæc aliis non placent, quòd videatur implicitum eſſe pactum.*part. 6.tractat. 7.reſol.*42. *& part.*10. *tractat.*15. *reſol.*5.

XXIII. Reſignans beneficium eà intentione vt reſignatarius maneat obligatus illud poſteà iterum reſignare v.g. nepoti reſignantis, vel fructus illi ſoluere:committir ſimoniam mentalem.: quod ſi intentionem illam exterius manifeſtet,erit realis etſi nullum aliud pactum explicitum vel implicitum accedat. Caſtrop. Licèt alii probabiliter illud requirant, Suarez & Nauar. *part. 9, tractat. 9. reſol.*18.

XXIV. Non ſola reſignatio beneficii cum acceſſu, regreſſu, vel ingreſſu continet ſimoniam confidentialem: ſed etiam permutatio, ſaltem quoad Collatorem,ſi ſub illis confidentiis permutanti conferat. Caſtropal. Etſi negent hanc eſſe confidentialem Suarez & Machad. *part. 9. tract. 9.reſ.*18.

XXV. Permutatio beneficiorum vel reſignatio eorum cum penſione, & idem eſt de quouis iure ſpectante ad beneficia. ſi fiant propriâ auctoritate, illicita ſunt & ſimoniaca. Suarez & 4. Quidquid contrà doceat Nauarra & 2. Et per conſequens non poterit beneficium ſic acceptum retineri.Leſſius & 3. Licitum tamen eſt partibus inter ſe tractare, & conuenire ſub conditione ſi Superior conſentiat,Sylueſt.& 4.*p.*10.*tr.*16.*reſ.*17.

XXVI. Etiamſi Epiſcopus penſionem imponat ſuper beneficia pinguia ſuæ diœceſis, non poteſt eſſe præſumptio confidentiæ,niſi penſio & imponatur ſine causâ probabili, & reſeruetur in fauorem perſonæ declarandæ, & collatio ſit de beneficio vacante ob ceſſionem per reſignationem.Filliuc.Aliàs poteſt Epiſcopus eiuſmodi penſiones reſeruare pro bono pacis, vel pro pauperibus, vel bene

meritis &c. modò non assignetur aliquota pars beneficii v.g. tertia, vel quarta, quod esset diuidere beneficium, sed vel certa summa pecuniæ, vel quantitas rei v.g. frumenti, & solutio eius non duret vltra vitam onerati. Suarez & 8. *p.9.tr.9.res.49.*

XXVII. In permutatione beneficiorum quæ sunt inæqualia quoad fructus temporales, non est simonia si inæqualitas ex auctoritate Prælati pecuniâ compenset ur, modò non intendas pretium dare pro spiritali titulo. Lessius & 5. Aut etiam si id fiat per impositionem pensionis ex consensu Episcopi. Nauar. & 2. *part. 6. tractat. 8. resolut.17.*

XXVIII. Omnes pensiones possunt pecunia redimi, exceptâ eâ quæ datur in titulum beneficii, ob aliquod ministerium spiritale futurum, Coadiutori Episcopi, vel Parochi senis, Et sic. I. redimi potest quę seni renuntianti beneficium datur ob labores præteritos. II. quæ datur Clerico pauperi; quia tantûm datur in alimentum eius, & est merè temporalis. III. quæ data est in renuntiatione, vel commutatione beneficii pinguioris; quia etiam est temporalis. IV. illæ quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio. V. quæ dantur personis omninò secularibus, vt Principibus, vel filio nobilis, etiam Clerico, propter obsequia quæ pater Ecclesiæ præstitit. Sanchez & 5. Sed non audeo recedere à contraria sententia stante stylo Curiæ, secundùm quem pensiones redimi nequeunt sine auctoritate Papæ: sed si fieret non esset tamen simonia. Bauny. Etsi multi contrarium doceant. Nauar. & 10. *part.4. tractat. 4. resol.* 153. *& part.11. tractat.5. resol.5.*

XXIX. Resignare beneficium cum pacto de pensione redimenda, simoniacum est. Lessius & 5. quia illud onus est pretio æstimabile. Idem est de quouis alio onere resignatario imposito v. g. vt fideiussorem, vel hypothecam assignet, vel vt anticipatè soluat, vel vt refundat expensas quas resignans fecit in beneficii impetratione. Suarez &

2. quia petit aliquod onus quod de iure non inest resignationi. Imò etsi Ordinarius haberet commissionem imponendi pensionem, non posset tamen approbare talem contractum. Suarez & Castropal. Ideoque pensio sic constituta posset non solui, & beneficium tamquam vacans propter simoniam posset impetrari. Lessius. *part.* 10. *tract.* 14. *ref.* 1.

XXX. In dubio nemò censendus est simoniacus; quia hîc probationes debent esse claræ, & concludenies. Sac. Rota. Item etsi, secundùm ius, simoniacus sit etiam is qui non intelligit se illicitum quid admittere, tamen qui processit ex auctoritate viri docti, excusatur culpâ, & pœna Zypæus & 2. *p.* 6. *tr.* 8. *ref.* 17.

XXXI. Propter Simoniam quæ tantùm est iuris humani, non incurruntur pœnæ Simoniæ, vt in permutatione beneficiorum facta propria auctoritate, & reseruata pensione, ac propterea valida est talis permutatio. Escobar & 4. Neque incurritur excommunicatio, nec priuantur beneficiis, nec tenentur fructus restituere. Idemque esse de eo qui pretio dato mediatori immediato obtinuit beneficium, docet Escobar & 6. Sed contrarium est tenendum ob stylum & praxim Curiæ Romanæ. *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 155. *& part.* 9. *tractat.* 9. *resol.* 17. *& part.* 11. *tractat.* 5. *resol.* 1. *& tr.* 6. *resol.* 30.

XXXII. Simoniam solam conuentionalem etsi quidam velint sufficere ad inducendas pœnas iuris, vt si promissa solùm sit pecunia, sed nondum soluta: ac propterea talem collationem esse nullam: (Garzias & 7.) contrarium tamen est probabile & tutum in praxi. Suarez & 30. Neque fit realis per chirographum datum de soluendo pretio promisso sed tantum per actualem solutionem pretii. Quod si pretium non solueretur statim, sed post aliquot menses, etsi in foro externo pœnæ retrottahantur ad tempus conuentionis, non tamen in foro conscientiæ. Hinc talis non tenebitur restituere fructus interim perceptos. Lessius & Castropal. Idem est de excommunica-

tione incurrendâ quæ numquam retrotrahitur. *p.10.tr.16. ref.15.& p.11.tr.5.ref.20.& tr.6.ref.30.*

XXXIII. Probabile est nullas pœnas contra simoniam confidentialem latas incurri ante sententiam præter excommunicationem. Suarez & 4. v. g. cum quis renuntiat beneficio cum pacto, vt sibi vel alteri posteà reddatur, vel cum reseruatione pensionis, non sibi, sed aliis soluendæ. Sanchez & 4. Imò & probabiliùs sibi soluendæ. Suarez & 3. Etsi probabiliter neget tunc esse simoniam confidentialem Lessius & 4. Hinc etsi Episcopus venderet Vicariatum, non teneretur pretium restituere ante sententiam. Sanchez & 3. Neque qui seruiunt Episcopo cum intentione recipiendi beneficium, vt pretium seruitii. Sanchez & 4. Et in qualibet confidentiâ si absit pactum, non est simonia: imò etsi adsit pactum, modò tamen non efficiat nisi debitum honestatis, fidelitatis, & gratitudinis; sine obligatione ciuili, Nauar. & Bauny. *p.4.tr.4.ref.167. & 168.& p.11.tr.5.ref.20.*

XXXIV. Nulla Simonia inducit pœnas iuris (in quibus est etiam restitutio accepti) nisi in Ordine, beneficiis & ingressu Religionis. Sanchez & 3. Vnde si quis vendat ius patronatûs, etsi sit simoniacus, non est tamen excommunicatus, nec incurrit pœnas simoniaci; quia illud ius non est beneficium. Idem est etsi Canonici Sede vacante inter se conuenirent, vt qui ex ipsis eligeretur Vicarius; diuideret cum reliquis emolumenta; quia etiam Vicariatus etsi sit quid spiritale, non est tamen beneficium. Et quamuis in *Extrauag. 2. de simoniâ* feratur excommunicatio in omnes qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam committunt in beneficiis, & officiis ecclesiasticis, hoc tamen solùm intelligitur quoad simoniam quæ committitur dando vel recipiendo aliquid pro Ordine, & beneficiis, de qua solâ ibi agitur: & nomine officiorum ecclesiasticorum intelliguntur beneficia. Sanchez. *p.4. tr. 4.ref.157.* Nulla tamen simonia inducit irregularitatem siue sit in Ordine, siue in beneficio. Suarez & 4. Quamuis

Auila hoc affirmet de ſimoniâ notoriâ in Ordine : & Megala quando quis per ſententiam de eâ damnatus eſt *p.* 1. *tr.*11.*reſ.*113.

XXXV. Officia illa Regularia, Prioratus, Prouincialatus &c. includuntur ſub nomine beneficij ad incurrendas pœnas Simoniæ Suarez & 12. Quamuis contrarium probabile putet Barboſ.& 3.*p*4.*tr*.4.*reſ*.156.

XXXVI. Qui beneficium ſimoniacè obtinuit non priuatur ipſo iure aliis beneficiis antè, vel pòſt ritè obtentis, neque redditur inhabilis ad ea obtinenda, ante ſententiam, non obſtante conſtitutione Pii V. quæ illam inhabilitatem ſtatuit; quia in hac parte non videtur recepta. Nauar. & 3. Neque incurrit ſuſpenſionem quamdiu crimen eſt occultum. Bauny & 4. Imò & ſimonia confidentialis requirit ſententiam declaratoriam criminis ad eam inhabilitatem. Leſſius. Rehabilitare autem in his probabiliter poteſt Epiſcopus. Sanchez & 4. Sed contraria eſt praxis Pœnitentiariæ, & declaratio Cardinalium. *p.*11. *tr.* 5.*reſ.*7.*&* 18.

XXXVII. Qui ignoranter ſimoniacè ordinatus eſt, vel beneficium accepit quia amicus aliquis ipſo licet contradicente Collatori pecuniam dedit, etſi hanc poſteà amico refundat, non approbando eius factum, ſed tantùm ne alter damnum illud patiatur, non incurret pœnas ſimoniæ, nec tenebitur beneficium reſignare, aut fructus reſtituere. Leſſius & 3. Imo probabile eſt non teneri etiamſi id faceret approbando factum amici : mereretur tamen tali ſpriuari per ſententiam. Leſſius & 1.*part.*11.*tr.* 5. *reſol.*16.

XXXVIII. Pœnæ ſtatutæ in ſimoniacè ordinatos non extenduntur ad initiatos primâ tonſurâ; quia hæc non eſt Ordo. Caſtropal. & 2. Neque ad dantes aliquid pro ſigillo, aut litteris teſtimonialibus. Leſſius. Et ſuſpenſio lata in ſimoniacè ordinatos intelligitur ſolùm de Ordinibus ſacris, non autem de minoribus. Bauny. Neque per ſaoros etiam ſic ſuſceptos incurritur irregularitas.

Suarez & 2. *Ibidem resolution*. 17.

XXXIX. Bulla Sixti V. contra malè promouentes vel promotos ad Ordines non videtur vsu recepta quoad reseruationem absolutionis, cùm plerisque locis ignoretur. Lessius & 2. Sed hoc solùm verum est vbi illa ignoratur; cùm absolutè deroget priuilegio Episcoporum quoad censuras occultas concesso per Tridentinum *sess. 24.c. 6.de reform.* Tancredi & 3.*p.*11.*tr.*5.*res.*19.

XL. Pretium simoniacè acceptum pro collatione Sacramentorum non esse necessariò restituendum; eò quòd simonia non obliget ad restitutionem ex iure naturali, sed ex positiuo: & ius eam præscribens non agere de illâ simoniâ, sed de eâ quæ committitur in beneficiis, docet Turrian.ex Vasquez.*p.*4.*tractat.*4.*res.*157. Quandocumque autem pretium ex simoniâ est restituendum, debet restitui Ecclesiæ in cuius iniuriam talis simonia commissa est, vel paupetibus. D. Thomas & 5. Vel etiam ipsi danti saltem ante sententiam Iudicis. Molin. & 6. Hinc si restituens sit pauper, posset sibi retinere. Sanchez.*Ibid.res.*167.

XLI. Pontifex scienter committens simoniam cum aliquo tertio, dispensat ipso facto vt is non incurrat pœnas canonicas. Lessius & 6. Etsi communior sententia contrarium doceat.Nauar. & 12. Ipse autem Pontifex siue possit incurrere crimen simoniæ iuris humani, siue non pœnas tamen numquam incurret. Suarez. *part.* 10. *tractat.* 16.*res.*16.

XLII. Posse Episcopum ex concessione Tridentini, in inhabilitatè contractâ ex occultâ simoniâ dispensare per modum irregularitatis, non solùm ad alia beneficia obtinenda, sed etiam ad illud ipsum simoniacè acquisitum sine aliâ nouâ collatione retinendum, docet Sanchez & 5. Et consequenter etiam secum si fuerit complex simonię. Sed etsi hoc probabile sit, ego tamen contrarium teneo cum communi.*p.*7.*tr.*2.*res.*36.

Sodo-

Sodomia.

I. QVi commisit actum sodomiticum cum personâ cuiuscumque gradûs consanguinitatis, vel affinitatis, sufficit si in confessione dicat se sodomiticè peccasse cum consanguineo, vel affine, sine explicatione gradûs primi, vel secundi. Candid & 3. Quando autem solùm ex lege Ecclesiasticâ vel ciuili sunt cognati, vt per baptismum vel adoptionem, nihil de hoc est explicandum: quia nulla lex specialiter eos coitus prohibet præter legem naturalem prohibentem in genere sodomiam. Azor & 2 Per ipsam autem sodomiam nulla contrahitur affinitas: Vndè etsi quis illam cum duobus fratribus commisisset, non teneretur hoc explicare. Candid.& 2. *p.3.tr.4.resf.*101.*&* *p.7. tr.*12.*resf.*17.*&* 18.*&* *p.9.tr.9.resf.*20.

II. Non est in confessione necessariò explicandum an quis fuerit agens vel patiens Leone & 5. *p.5.tr.* 14.*resf.* 56.*&* *p.6.tr.6.resf.*36.*&* *par.9.tr.9.resf.*3. Imò probabile est omnia peccata contra naturam esse eiusdem speciei infimæ, & non subalternæ. Filliuc.& 4. Et sic qui commisisset sodomiam, vel bestialitatem, vel pollutionem, non teneretur hoc explicare, sed sufficeret dicere se procurasse pollutionem. Sed contrarium est probabilius. *p.*3.*tr.*4. *resol.* 159.*&* *p.7.tr.*10.*resf.*8. Nunc verò iudico hoc certum, & aliud esse intolerabile & improbabile cum Ouiedo. *p. 9. tr* 8.*resol.*31.

III. Si coniugatus sodomiticè cognoscat vxorem, probabile est non teneri dicere id factum esse cum feminâ; multo minus cum vxore: imò non tenetur dicere se esse coniugatum. Mazuchell. *p.7.tr.*12.*resf.*23.

IV. Vbi sodomia est reseruata non incurrit tamen reseruationem. I. femina cum feminâ ita congrediens vt vice maris fungatur, & seminis effusio intra vas naturale sequatur. Mazuchel. II. Neque qui in actu est patiens. Leone & 2. Etsi communiter contrarium doceant. III. qui in-

choato actu, posteà semen effundit extra vas. Bordon. & 2. IV. Neque impuberes etsi patiantur à pubere. Bordon. & Lupus. V. exercens eam cum feminâ; quia non est propria sodomia. Lupus & 2. *Ibidem resol.* 13. *& part. 2. tractat.* 15. *resol.* 1.

V. Probabile est Bullam pij V. contra Clericos sodomitas non esse vsu receptam, neque in conscientiâ obligare. Henriquez & 5. Et quamuis esset vsu recepta. Clericus feminam cognoscens in vase præpostero, illius pœnas non incurreret: quia non committit propriè Sodomiam. D. Thom. & 10. *p.* 2. *tr.* 17. *res.* 21. 61. *&* 62.

VI. Si Clericus rem habens cum masculo, non emittat semen intra vas, non incurrit in pœnas Bullæ; quia delictum non est consummatum. Suarez & 16. *Jbidem resol.* 63.

VII. Incidunt in pœnas huius Bullæ Clerici tam agentes, quàm patientes; quia correlatiuorum eadem est ratio. Bonacin. & 4. Contrarium tamen docet Leone & Marchin. *Jbid. res.* 64. *& p.* 9. *tr.* 4. *res.* 41.

VIII. Clerici qui non nisi bis, aut ter in Sodomiam sunt lapsi, non incurrerunt pœnas Bullæ; quia Pontifex has infligit Clericis exercentibus Sodomiam: non dicuntur autem exercere qui semel atque iterum committunt. Suarez & 18. *p.* 2. *tr.* 17. *res.* 65.

IX. Clericus vitium bestialitatis exercens in pœnas huius Bullæ non incurrit; quia non est propriè Sodomia & lex pœnalis ad alios casus non expressos, non est extendenda. Barbos. & 2. Etsi multi contrarium doceant. Ledesm. & 9. *Ibid. res.* 66.

X. Ante sententiam declaratoriam, Clerici sodomitæ pœnas Bullæ non incurrunt in foro conscientiæ; nulla enim lex pœnalis obligat homines ad se prodendum, & ad durissimam pœnam in se exercendam. Suarez & 15. Vnde sequitur Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, esse absoluendum. *Jbid. res.* 67. *&* 68.

XI. Clericus sodomita occultus, neque est suspensus, neque si celebret, incurret in irregularitatem; quia nullum crimen inducit irregularitatem, nisi sit notorium præter homicidium. Barbos. & *6. Ibid. res. 69.*

Spes.

PRæceptum spei obligat I. quando adultus baptizatur; vel si infans baptizatus est quando suscipit Sacramentum Pœnitentiæ. vel Confirmationis. & II. in articulo mortis. Hurtad. Sed huic satisfit tum per dolorem de peccatis, tum per propositum numquam peccandi mortaliter: (Castropal.) quia illa procedunt ex virtute spei, vel caritatis quæ nobiliùs mentem erigit ad beatitudinem. Granad. *p. 5. tr. 14. res. 106.*

Sponsalia.

I. AD contrahenda Sponsalia sufficit septennium esse moraliter completum, etiamsi duo vel tres dies desint. Henriquez & 2. Imò etsi octo vel decem. Rodriquez & 2. Quod Gutier. ad dimidium annum extendit. Quæ intellige pro foro externo: nam in foro conscientiæ valida sunt quando sufficiens adest vsus rationis. Est autem hîc sufficiens qui sufficit ad peccatum mortale. Sanchez & 2. Etsi perfectiorem requirat Henriquez & 2. Neque peccant pueri ante septennium sponsalia contrahentes. Sanches & *7. p. 3. tr. 4. res. 274. 273. & 275. & par. 9. tr. 6. res. 65. & 63.*

II. In sponsalibus non sufficit consensus fictus, quia promissio, quæ fit animo ficto non obligat. Sanchez & 13. Quod verum est etsi eodem animo iuramentum adderetur. Sanchez & 2. Etsi sola verba promissionis sine intentione verè promittendi prolata sufficere doceat Vasquez & 2. Si quis tamen sub conditione coniugii corru-

pisset virginem, teneretur eam ducere, etiamsi fictè promisisset; nisi sit longè nobilior, vel opulentior, aut nisi legitimum interuenerit impedimentum, aut si putabat illam esse virginem, & in coitu deprehendat reuerà non fuisse Sanchez & Lessius. Quamuis hoc etiam neget Praepos. *p.3.tr.4.res.205.* & *tr.6.res.81.* & *p.5.tr.14.res.53.* & *32.* Quantumuis autem imparis sint conditionis, non inde reddantur inualida sponsalia, nisi scandalum magnum probabiliter timeretur. Sanchez & 2. *part.9.tractat.7. resol.71.*

III. Si alter promittit matrimonium, & alter non repromittat tacitè, vel expressè, neuter obligatur: quod si vno promittente, alter simpliciter acceptet sine aliâ repromissione, sunt Sponsalia: quia cùm promissio matrimonij non possit esse nisi sub conditione repromissionis, eo ipso quo acceptat, etiam repromittit. Pontius. Contrarium tamen etiam probabile est; & in praxi tutum. Sanchez. *p.3.tr.4.res.244.*

IV. Pactum in contractu sponsalium, vel matrimonij appositum, vt vir perpetuò habitet in domicilio vxoris, est validum, nisi noua, eaque iusta causa emergat mutandi domicilii, tunc enim vxor tenebitur virum sequi. Sanchez & 2 *Ibid.res 212.*

V. Sponsalia inter consanguineos inita sub conditione *si Papa dispensauerit*, sunt nulla: ideoq; licet vtriq; contrahenti ante & post impetratā dispensationem, altero inuito, à spōsalibus resilire, etiamsi sint iuramento confirmata. Barbos. & 10. Quamuis contrarium probabiliter doceat Sanchez & 4. Et in priori etiam sententiâ, si magnæ factæ sunt impensæ pro dispensatione impetrandâ, resiliens tenetur illas restituere. *Ibid.res.290.*

VI. In contractu sponsalium licitè potest apponi pœna iniustè resilienti. Coninc & Pontius. Tamen ex communi DD. sententiâ resiliens etiam iniustè non tenetur pœnam persoluere, etiamsi iuramento firmetur. Sanchez & 3. *Ibid.res.211.*

VII. Sponſalia metu graui contracta, ſunt inualida, etiam accedente iuramento ; quia iuramentum metu extortum non confirmat contractum,imò nec obligat , ac proptereà tale iuramentum non indiget relaxatione. Sanchez & Barboſ.*Ibid.reſ.*278.

VIII. Quando aliqui non parentes vel Tutores , nec ex mandato, pro aliis præſentibus , & tacentibus contrahunt ſponſalia , horum taciturnitas non eſt ſignum ſufficiens interni conſenſûs. Sanchez & 2. Contraria tamen ſententia eſt etiam valdè probabilis. Pontius & 8. Imò etſi Tutor vel Curator puellâ tacente pro eâ reſpondeat, non ſunt tamen valida ſponſalia, aut matrimonium ; quia textus in *cap. vnico.de ſponſal in* 6. loquitur tantum de parentibus : nec eſt eadem ratio de aliis. Sanchez & 2. Etſi illud doceat Rebell. *Ibid. reſ.*270.*& p.*10.*tr.*13.*reſ.*21.

IX. Quando parentes & Tutores pro filiis,& pupillis contrahunt ſponſalia , non ſufficit poſteà id ſcientes non contradicere, ſed requiritur vt expreſsè , vel tacitè ea aliquo ſigno ſufficienti ratificent. Sanchez & Pontius. Quãuis illud affirmet Henriquez & Sotus. Quod ſi pro præſentibus & tacentibus parentes contrahant ſponſalia vel matrimonium , valet contractus ex conſtitutione Bonifacij VIII. *c.vnico.de deſponſ.impub.in* 6.Quam tamen de matrimonio agere negat Henriq. & 3..*p.*3.*tr.*4.*reſ.*271.*&*272. *& p.*10.*tr.*13.*reſ.*21.

X. Contrahens non tenetur aperire ſuos defectus qui reddunt nuptias minùs appetibiles , non tamen perniciosas , præſertim cum aliquam infamiam habent adiunctam. Sic ſponſa vti poteſt aliquo artificio , ne vir deprehendat corruptam:imò licet apertè diceret ſe eſſe virginem , non peccaret mortaliter : poſſetque cogere ſponſum huius defectûs ignarum, ad ſtandum ſponſalibus. At verò ſi defectus ſunt pernicioſi , vt morbus contagioſus , grauis infamia &c. non licet cum horum ignaro contrahere , niſi ſimiles defectus ipſe pateretur. Coninc & Pontius. *p.*3.*tr.*4. *reſol.*287.

XI. Qui contraxit sponsalia nullo præfixo termino, non tenetur promissionem implere nisi requirente eo cui facta est promissio, id enim commune est omni debito absque diei præfixione, vt solùm tenearis soluere à creditore requisitus Sanchez & Villalob. *Ibid res.* 245.

XII. Si is qui contraxit sponsalia adimplere nolit, primùm monendus est, deinde per censuram compellendus; compulsione tamen moderatâ. Pontius & Villalob. *Ibidem resol.* 206.

XIII. Si quis post sponsalia emittat votum Religionis, potest adhuc matrimonium contrahere, animo ingrediendi Religionem ante consummationem. Caietan. & 3. Etsi contrarium etiam probabiliter doceat Sanchez & 2. Imò poterit eo animo contrahere etsi nullum votum fecerit; quia nulli facit iniuriam, & ingrediendo vtitur iure suo. Quiuis etiam post sponsalia, licèt iurata, potest iis desertis Religionem ingredi: (Pontius) iuramentum enim sequitur naturam actûs cui adhæret. Et per ingressum sponsalia dissoluentur independenter à professione. Sanchez & Tolet. Qui autem contrà post emissum votum Religionis vel castitatis corrupit virginem sub spe & pacto coniugij, tenetur illam ducere, nisi remittat obligationem, aut aliâ ratione illi satisfiat. Vasquez & 5. Contrarium tamen est probabile, quia promissio fuit nulla, vtpote rei illicitæ contra votum. Layman & 2. *Ibid. resol.* 207. 203. *&* 280. *& p.* 5. *tr.* 14. *res.* 38. *& p.* 9. *tr.* 7. *res.* 75.

XIV. Qui post sponsalia sacros Ordines suscipit, non peccat: quia videtur subintellecta conditio: *nisi impediat electio melioris status.* Pontius & 2. Imò non tantùm votum suscipiendi Ordines, sed etiam castitatis seruandæ licitè emittitur post sponsalia, & hæc dirimit Suarez Vasquez & Pontius. Etsi contrarium in his omnibus etiam probabiliter doceat Sanchez & 4. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 208.

XV. Per matrimonium validum dissoluuntur priora sponsalia quoad eum qui non contraxit matrimonium: Quoad eum verò qui contraxit, est probabile obligatio-

nem non extingui(ſi alter expectet)ſed ſuſpendi, & ſoluto eo matrimonio teneri ad implenda priora ſponſalia, ſicut tenetur qui poſt votum caſtitatis, vel Religionis,matrimonium contraxit,& conſummauit. Pontius. Sed contrarium etiam eſt probabile. Sanchez & Villalob, *Ibidem reſ.209.*

XVI. Si poſt ſponſalia cum primâ, ſequantur ſponſalia cum ſecundâ,vna cum copulâ, probabile eſt priora diſſolui; poſterior enim promiſſio eſt fortius vinculum, & ſtrictior obligatio reſarciendi damnum. Pontius & 2. Quamuis id etiam probabiliter negent Sanchez & Villalob.*Ibid. reſol.210.*

XVII. Poteſt quis pubes factus, non expectatâ alterius pubertate,reſilire à ſponſalibus; quia fruſtra expectatur euentus cuius nullus eſt effectus. Sanchez & 4. Aliud eſſet ſi fuiſſent iuramento firmata, quamuis id etiam probabile putet Villalob. & Pontius. *Ibid. reſ.* 282. 288. *&* 246.

XVIII. Si ſponſalibus appoſitum ſit iuramentum intuitu pietatis, non poſſunt mutuo conſenſu diſſolui v.g. quando quis principaliter ad honorem Dei iurat puellæ pauperi ſe eam ducturum vxorem; quia Deus tunc eſt principalis creditor.D. Thom.& 5. Contrarium tamen eſt probabile.Sanchez & 5. Idem eſt de quouis alio iuramento in fauorem alterius facto intuitu pietatis. Sanchez & 6. *p.9.tra.7.reſ.76.& tr.8.reſ.13.*

XIX. Probabile eſt ſponſam reſilire poſſe à ſponſalibus propter tactus impudicos, vel oſcula ſponſi cum aliâ. Caſtropal. & 3. Contrarium tamen eſt probabilius; quia hoc ſponſæ non eſt graue dedecus: niſi indicarent valdè propenſum ſponſi in alteram animum, vt meritò timeri poſſit ne fidem ſponſæ non ſit ſeruaturus. Sanchez & 3.*p. 3.tr.4.reſ.283.& p.10.tr.11.reſ.28.*

XX. Si vterque ſponſus fornicetur poſt ſponſalia,ſolus vir poteſt à ſponſalibus reſilire; nam delicta ſunt valdè imparia, & longè grauius damnum imminet ſponſo pro-

pter incertitudinem prolis. Sanchez & 6. Sed æquè probabile est etiam sponsam posse resilire: sicut æquè per adulterium stante matrimonio datur causa diuortij. Eadem sunt quoad fornicationem spiritalem siue hæresim, quando vel infamia inde generatur, vt in Italiâ,& Hispaniâ: vel quando cohabitatio, periculosa est. Sanchez & Pontius.*part.* 3.*tractat*.4.*resol*.284.*&* *part*.10. *tractat*. 11.*resol*.28.

XXI. Certum est sponsum posse resilire à sponsalibus si sponsa oculum,aurem, vel nasum amiserit, vel si morbus contagiosus, vel lepra superueniat: item ob graueolentiam oris immedicabilem, aut vehementem morbi gallici suspicionem.Idem dicendum est de notabili deformitate; tunc enim sponsus habet ius resiliendi: (Sanchez & 4.) non item sponsa si hæc deformitas accidat sponso; quia in viris non admodum requiritur pulchritudo: nisi sponsus ita fieret deformis, vt spectantibus horrorem incuteret, aut ineptus redderetur ad officium, seu opificium exercendum.Coninc.*p*.3.*tr*.4.*res*. 285.

XXII. Quando nulla præcessit promissio dotis, dissolui possunt sponsalia,ob paupertatem sponsæ superuenientem: hæc enim est notabilis mutatio. At si sponso noua repentè hereditas obueniat, ita vt sponsa iam illi sit inæqualis,non ideò habet ius resiliendi; quia non fuit deceptus in sponsæ conditione, in quâ nulla facta est mutatio. Idem dicendum de sponsâ, si noua illi hereditas accedat. Sanchez & 3.*Ibid.res*. 286.

XXIII. Si post cognitam causam sufficientem dissoluendi sponsalia, sponsus carnaliter cognoscat sponsam, cedit iure suo, etiamsi haberet voluntatem non cedendi iure suo: quia illa remissio iuris non fit ab homine, sed à iure. Ochagau. Aliud tamen est quoad forum conscientiæ,in quo nolens ius non amittit.Perez.*p*. 10.*tr*.11.*res*.18.

Sponsio.

I. SPonsio contractus est per se licitus etiam probabiliter illi qui certus est de euentu, vel rei veritate, siue experientiâ sensuum, siue scientiâ, siue Diuinâ reuelatione, siue aliter. Idque verum est quamuis alter eius certitudinem ignoret. Hurtad. & 6. Afortiori ergo si quis antè protestetur se esse certum. Sanchez & 5. *p.4.tr.4.ref.* 186. & *p.7.tr.9.ref.*61.62.&63. Item etsi quis ex ipso Pontifice sciret aliquem creandum esse Cardinalem, adhuc posset sponsione certare; quia voluntas Pontificis sæpe mutari solet. *p.7.tr.9.ref.*67.

II. Multo magis si quis, cum certò rem sciat vel ex asseueratione alterius, vel aliunde, incipit posteà dubitare, potest licitè spondere: vel si quis reputans omninò certum spoponderit, & lucratus sit, posteà autem deprehendat non fuisse ita certum, potest lucrum retinere; quia à parte rei erat incertum, & ipse periculo se exposuit. Molin. & 2. *Ibid.ref.* 68.

III. Sponsiones super vitâ, vel morte, vel electione Pontificis, vel Cardinalium irritæ sunt, & prohibitæ sub pœnâ excommunicationis reseruatæ per Bullam Gregorij XIV. Hurtad. *Ibid.ref.* 67.

IV. In casu quo plures v.g. quatuor adspirant ad idem officium, si quis cum singulis separatim certet eos non adepturos officium, probabile est iustè lucrari, nec teneri restituere, quamuis sic necessariò debeat vincere à tribus, nec possit vinci nisi ab vno. Sanchez. & Lugo. *Ibid.ref.*64.& *p.4.tr.4.ref.*185

V. Si Petrus spondeat cum Paulo quod illum saltu vel cursu superabit, & posteà Petrus nolit currere, tenetur soluere sponsionem; quia eo ipso quo per Petrum stat quod cursus non fiat, censetur impleta conditio. Azor. & 3. Hoc tamen solùm videtur verum quando fit per modum sponsionis, & quasi concertando de veritate rei; non autem si

fiat per modum prouocationis ad lusum tali pœnâ vel præmio addito; nam in hoc casu ante cœptum lusum non est obligatio incipiendi. Lugo *p.7.tr.9. ref. 66.*

VI. Sponsio cum conditione illicitâ v.g. quod plus altero potabit, vel quod occidet Titium, illicita est; quia inducit ad peccatum: posteà tamen lucrum non est restituendum. Similiter sponsio super morte alicuius per se non est illicita: vti nec super peccato alicnius tertij: Sed illicitum est acceptare sponsionem qua quis affirmat se commissurum aliquod peccatum; quia hoc esset alterum confirmare in proposito peccandi. Sanch. & Lugo. *Ibid. ref. 69.*

VII. Census vitalitius licitus est, quia est virtualis sponsio quæ nititur fortuito euentu an quis tamdiu sit victurus vt recipiendo quotannis partem, sit denique recepturus plus quàm dedit. Filliuc. *Ibid. ref. 70.*

VIII. Si pater det alicui mercatori 100. cum pacto vt si filia recens nata peruenerit ad annum tertiumdecimum, teneatur reddere 300. licitus est contractus; reducitur enim ad sponsionem de futurâ vita. Philiarc. & Scacia. Idem est de contractu quo Caius dat alicui 100. eâ lege vt hic teneatur reddere 200. si post duos annos in patriam redierit, vel vxorem duxerit &c. Azor & 2. Vel si det 100. eo pacto vt si post annum vixerit reddantur 200. sin autem moriatur, nihil reddatur; æquali enim se periculo lucri vel damni vtrimque exponunt ad euentum incertum. Azor. & 3. *Ibid. ref. 71. 72. & 73.*

Statutum.

I. Statuta laicorum, sunt contra immunitatem Ecclesiasticam I. quando Ecclesia, & personæ Ecclesiasticæ impediuntur vti rebus aut facultatibus sibi à iure concessis. Felin. & 4. II. quando tolluntur priuilegia ipsis concessa à Deo, Pontifice, vel Principibus. Baldus & 5. III. quando ipsi efficiuntur timidiores. Bartolus & 2. IV. quando efficerentur deterioris conditionis quàm laici. Fe-

lin.& 2. Denique si ipsis auferatur aliquid quod eis competit de iure communi.Felin. & 19.*p.4.tr.1.res.52.& 55.& p.5.tr.1.res.8.& p.6.tr.8. res.* 4. Vnde multæ constitutiones Iustiniani Imperatoris inualidæ sunt & abrogatæ.Azor & Tanner. *p.1.tr.2.res.*106.

II. Quælibet statuta laicorum si faciant mentionem Clericorum, sunt inualida, etsi essent illis fauorabilia.Nec refert si fundentur in publicâ vtilitate;quia aliàs cum hoc debeat inueniri in omnibus, etiam omnia possent ligare Clericos.Suar. & *5.p.4.tr.1.res.* 14. Excipe nisi continerent merum priuilegium, & nullum præceptum, vel necessitatem. Surdus. *p.3.tr.1.res.* 13. Priuilegium autem semel iis concessum, etsi nondum à Pontifice confirmatum, non possunt Principes per aliud,statutum reuocare. Azor & 9. Etsi quidam id putent.Villalob. & 2. p.1.*tr.2.res.*61.

III. Statutum Principis quo excludit aliquos (inter quos nominat quemdam Ecclesiasticum) à priuilegio quo ciuitas fruitur, officit Ecclesiasticæ immunitati; quia tollit illi priuilegium quo fruuntur Clerici iure communi, quandoquidem est toti communitati concessum *p.1.tr. 2. res.59.& p.4.tr.1.res.*15.Item si Princeps statuat,ne suis priuilegiis fruantur ij qui subditi non sunt, facit contra libertatem Ecclesiasticam; quia de iure communi Clerici frui possunt priuilegio alicui communitati concesso.Filliuc.& 3.*p.1.tr.2. res.*60.

IV. Si constet aliquod statutum officere Eccesiasticæ libertati, debet Episcopus pręcipere vt tollatur; si id non fiat,debet ipse auctoritate suâ tollere, & inualidum declarare. In dubio verò an statutum sit contra libertatem Ecclesiasticam potest cogere conditorem statuti ad declarandum Clericos non comprehendi. Sayr. & 2.*p.3.tr.1. res.*68. Ceterùm vniuersim in dubiis sequenda est opinio quæ fauet Ecclesiæ.Felin. & *5.p.1.tract.2.res. 66. & part.6. tract.8.resol.*4.

V. Lex inualidans donationem omnium bonorum factam filio Clerico,multis DD. videtur esse contra immu-

nitatem Ecclesiasticam quia non potest lex ciuilis hanc præsumptionem inducere, vt alienatio bonorum facta in fauorem Ecclesiæ, fieri videatur in fraudem fisci. Quamuis contrarium doceat Vasqn.& 2. *2.p.3.tr.1.res.3.*

VI. Statutum prohibens ne vinum aut frumentum extra territorium exportetur, vel in illud importetur, Clericos non comprehendit; quia per hoc adimitur quod eis competit de iure communi. Aliud est quando id requirit publica necessitas cui aliter occurri non possit, tunc enim tenentur vi rationis naturalis, & ex caritate, tamquam pars Reipub. non vi edicti Magistratûs laici. Azor & 8. Vnde non possunt laici auferre annonam Clericorum quæ sic inuehitur, vel exportatur; sicut non possunt eos vllâ pœnâ plectere ob violatas leges communes Azor & *4.p.1.tr.2.res.69.&70.&p.4.tr.1.res.8.&p.5.tr.1.res. 6. & p. 6.tr.8.res.4.*

VII. Quando Clerici siue per se, siue per famulos vendunt vinum, vel alios fructus, si statuat laicus, vt generatim omnes venditores vini debeant præstare fideiussionem ad soluendas pœnas, si ad illas damnandi sunt, faciet contra libertatem Ecclesiasticam; quia vel Clericus sic indirectè obligabitur ad illas pœnas, vel non inueniet emptores, si nolit eos seruare indemnes. Onus ergo quod non potest ipsis Clericis imponi, non potest etiam imponi contrahentibus cum ipsis, Aponte & 2. Idemque est, si statueret vt nemo possit vinum vendere, nisi quartâ domo, ab Ecclesiâ; quia hoc magnum onus Clericis imponeret quod de iure ipsis non est impositum.*p.4.tr.1.res.52.* Statutum verò ne quis similia vendat, præter deputatum à Domino loci, non obligat Clericos, quamuis id fieret ad subleuandam publicam necessitatem ciuitatis. Azor & Faust. *p.5.tr.1.res.20.&p.6.tr.8.res.4.*

VIII. Statutum iudicis sæcularis, vt concubinæ non teneantur pro furtis quæ fortè commiserint, non potest ligare Clericos quin illis maneat actio furti, vtpote quæ ipsis de iure communi conuenit. Felin.& *7.p.4.tr.1.res.11.*

IX. Statutum laicorum quo prohibetur generaliter ne quis librum vllum imprimat sine ipsorum licentiâ, non ligat Clericos. Bariola. *Ibid. resol.* 60.

X. Principes prohibentes laicis ne vendant Ecclesiasticis, ne molant, coquant panem &c. incurrunt in excommunicationem: hoc enim derogat Ecclesiasticæ libertati. Suarez & 4. *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 54.

XI. Non valet statutum vt quis, qui nondum habet ius in re bonorum quæ possessurus est, non adeat illorum possessionem, si Religionem ingrediatur. Pontius & Docius. *Ibid. res.* 125.

XII. Statutum quo princeps cauet, ne beneficia exteris conferantur, vel ne quis sine suâ facultate adeat possessionem alicuius beneficij, est contra libertatem Ecclesiasticam, nisi Princeps ex priuilegio Romani Pontificis habeat collationem beneficiorum, vel priuilegium, vt in suâ ditione nullus externus beneficium obtineat. Azor & 6. *Ibid.* . *res.* 63. *&* *p.* 3. *tr.* 1. *res.* 26.

XIII. Lex prohibens ne bona vulgò dicta *de Realengo*, sine licentiâ Regis ad Ecclesias, vulgò *A manomorta* transferantur, est contra Ecclesiasticam immunitatem. Valer. & Gueuara. *part.* 1. *tract.* 2. *res.* 104. *& part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 14. *& part.* 4. *tr.* 1. *res.* 13.

XIV. Statutum ne immobilia alienētur in extraneos, & Ecclesiasticos, aduersatur Ecclesiasticæ libertati; nullo enim iure nec naturali, nec diuino id prohibetur, imò nec humano. Secus autem si in statuto Ecclesiastici non exprimantur, quamquam Episcopi cogere possunt ita statuentes, vt declarent Ecclesiasticos illo statuto non comprehendi. Suarez & 73. *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 58. *&* *p.* 4. *tr.* 1. *res.* 70. *& p.* 6. *tr.* 3. *per totum.* Idem est si Ecclesia bona immobilia sibi relicta iubeatur vendere intra certum tempus. *p.* 5. *tr.* 1. *resol.* 3. *&* *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 64.

XV. Lex amortizationis non faciendæ sine licentiâ Principis, est contra Ecclesiasticam libertatem, nisi id fiat ex speciali concessione Pontificis. Quare talem le-

gem latam in regno Castellæ à Ioanne II. sustulit Philippus II. *p.3.tr.1.res.14. & p.4.tr.1.res.57.*

XVI. Princeps, vel Respubl. statuens ne in suo dominio, Ecclesiæ vel Monasteria construantur sine suâ licentiâ, derogat immunitati Ecclesiasticæ & ita statuentes sunt excommunicati. Comitol. & 12.*p.1.tr.2.res.62.& 129.*

XVII. Princeps, non potest per statutum irritate iuramenta, quæ in certis contractibus apponuntur: quia est res merè spiritalis. Graff. & 2.*Ibid.res.74.*

XVIII. Princeps sæcularis potest impedire ne fiat iuramentum: si tamen fiat, erit obseruandum, nisi Episcopus relaxet. Suarez & 5. Neque relaxari potest à Principe sæculari. Ledesm. & 3.*Ibid.res.114.& 115.*

XIX. Magistratus non potest disponere de iis quæ ad funera, & exequias pertinent, in iis quæ spectant ad Clerum, vel cultum diuinum: potest tamen prohibere abusum, & luxum circa pompam funeris. Reginal. & 7. *Ibid.res.65.*

XX. Non potest Princeps sæcularis leges condere ad substantiam matrimonii pertinentes: licet enim materia huius Sacramenti sit contractus, hæc tamen materia per Christum facta est sacra. Pontius & 2. Et quamuis ex naturâ suæ potestatis id possent statuendo etiam impedimenta dirimentia: nunc tamen ob prohibitionem & reseruationem Ecclesiæ non possunt Sanchez & 15. Vnde nec pœnas potest imponere contrahentibus cum consanguineis ex dispensatione Pontificis. *Ibidem resol.* 128.*& p.5.tr.1.res.16.& 17.*

XXI. Statutum Principis, quo cauetur ne filii possint contrahere sine consensu patris, aut alioquin excidant hereditate: non est validum: quia disponit de spiritualibus, Laici enim nihil possunt statuere, quod matrimonij liberum consensum impediat. Couarr. & 10. Etsi quidam contra sentiant. *p.1.tr.2.res.75.*

XXII. Statutum quo mulier, eiusque liberi priuantur hereditate, si illa extra territorium nubat, est contra im-

munitatem Ecclesiasticam quia matrimonia libera esse debent ab omni coactione. Barbosa & 5.*Ibid.res.*57.

Suspensio.

I. POtest aliquis suspendi pro culpâ alienâ, vt si omnes subditi suspendantur in pœnam delicti Superioris D. Thom. & 2.*p.*5.*tr.*10.*res.*22.

II. Omnis suspensio per appellationem suspenditur, præter suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, quæ secum defert executionem. Coninc & 3.Imò si censura ab Episcopo v.g. sublata sit ad reincidentiam, & interim detur appellatio suspendit sententiam ne posteà reincidas. Alter. & Bonacin. Valet autem appellatio facta generalibus solùm terminis, sed tunc instituenda est apud Iudicem proxime superiorem. Quod si appellatio sit alternatiua v. g. ad Archiepiscopum, vel ad Papam, vel ad quemcumque iure possum, non est propterea inutilis,sed potest appellans aliquem ex illis determinatè eligere: sed si hoc non fecerit intra debitum terminum appellandi, hoc est intra decem dies à tempore sententiæ,tunc redditur inutilis. Baldus & 2.*Ibid.res.*16.17.*&* 18.

III. Non incurrit suspensionem Episcopus qui subditum alienum ordinat ex ratihabitione: sed quidam casus hinc excipiendi. Neque qui Episcopatum recipit censurâ ligatus; quia Episcopatus non est Ordo. D. Thom. & 8. Neque si in alienâ diœcesi conferat primam tonsuram: quia etiam hæc non est Ordo. Tolet.& 4.Neque Abbates qui aliis quàm subditis suis Regularibus tonsuram, & minores Ordines conferunt. Bonacin. Neque qui dimissoriales pro Ordinibus concedunt suis Nouitiis.Sanchez & 3.*Ibid.res.*38.41.45.42.*&* 43.

IV. Non est suspensus qui ab Episcopo excommunicato vitando ignoranter suscepit Ordines. Turrian. Neque qui ordinatus est cum patrimonio ficto. Coninc & 4.Neque qui sine titulo cum solâ fideiussione alimentorum,

Grilenzon. Neque qui post susceptum ordinem renuntiat patrimonio. Turrian. & Gordon. Neque qui suscepit subdiaconatum, non susceptis minoribus Ordinibus; quia textus solùm agunt de transilientibus sacros Ordines. Poltel. Et tunc solùm suspenduntur ab eo Ordine quem per saltum susceperunt: non atem ab vsu inferiorum legitimè susceptorum. Suarez & 6. Quidquid velit Nauarr. & Maiol. *Ibid.res.* 39.50.48.57.47.*&* 28.

V. Simoniacè ordinatus ignoranter ex eo quòd alius clam munera dederit vt ordinaretur, non est suspensus, etsi posteà ratificet promissionem simoniacam ab amico factam: quia ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi iure exprimatur. Henriquez & Bonacin. Item in Clericos publicè concubinarios si quod fuit ius ferens suspensionem, consuetudine est abrogatum. Suarez & 8. *Ibid.res.* 56.*&* 49.

VI. Qui ficto titulo impetrat dimissorias, non incurrit suspensionem latam in eos qui sine dimissoriis ordinantur; spectat enim ab Episcopum examinare veritatem. Henriq. & 2.*Ibid.res.* 55.

VII. Suspenduntur ordinati cum dimissoriis Capituli Sede vacante datis infrà annum ex Tridentino *sess.* 7. *cap.* 10. Item Clericus vtens vestibus prohibitis, nisi id fiat vel occultè, vel ob iustam causam, vel ob celebrationem festiuitatis, aut nuptiarum. Auila & 3. Item si Religiosus excommunicatus ob percussionem Clerici, vel quiuis alius stante matrimonio etiam non consummato Ordines suscipiat. Sed in vtroque hoc casu excusat ignorantia, etiam supina, & soluto matrimonio potest in Ordinibus ministrare: quod non potest si præsumpserit suscipere, imò nec alium Ordinem tunc potest suscipere; neque potest vllus cum eo dispensare præter Pontificem, nisi profiteatur in Religione approbatâ iuxta *extrauag. Antiquæ.de Voto.* Præposit. *Ibid.res.* 46.51.58.*&* 59.

VIII. Episcopus ordinans aliquem acceptâ ab eo promissione, aut iuramento quòd non petet beneficium, aut alimenta,

alimenta, suspenditur ad triennium à collatione Ordinum: ordinatus verò, ab executione suscepti, donec à Papa absoluatur. Excusat tamen in foro interno ignorantia iuris. Suarez & 2. *Ibid. res.* 54.

IX. Suspensus ab Ordine inferiori non suspenditur à superiori, nisi hic inuoluat exercitium inferioris. Coninc. & 3. Neque Episcopus suspensus à collatione Ordinum minorum impeditur conferre maiores. Suarez & 5. *Ibidem resol.* 5. *&* 6.

X. Suspensio ab officio per se non includit suspensionem à beneficio, & ideo non priuat fructibus beneficij. Suarez & 16. Sicut nec suspensio à beneficio, illam ab officio, sed solam dicit priuationem fructuum. Imò si talis adhuc præstet officium, lucratur omnes fructus. Præpos. & 3. Et suspenso ab officio etiam licite beneficium confertur. Hurtad. & Acugna. *Ibid. res.* 13. *&* 2.

XI. Suspensus à beneficio probabiliter non priuatur fructibus pensionis collatæ etiam titulo clericali. Alter. & Megal. Item validè potest aliud nouum acceptare. Coninc & 6. Et potest conferre beneficia, confirmare, eligere, &c. quamuis hæc ipsi competant ratione beneficij à quo suspensus est; nam illa non spectant ad fructus beneficij, sed potiùs ad officium. Suarez & 7. Imò nec ab Ordine suspensus priuatur iure eligendi. Cornejo. *Ibidem resol.* 15. 7. 8. *&* 21.

XII. Sacerdos suspensus valide absoluit; supposito quòd antè habuerit iurisdictionem. Caietan. & 3. Et reliqui actus Ordinis validi sunt, præter illos qui postulant iurisdictionem, qui etiam valent si suspensus est ab Ecclesia communiter toleratus: imò si non sit specialiter denunciatus. Suarez & Tanner. Communicare autem cum suspenso non est prohibitum, sicut cum excommunicato. *Ibid. res.* 52. 11. *&* 20.

XIII. Episcopus suspensus à Pontificalibus non fit irregularis etsi Missam celebret in Pontificalibus; quia Missa non est munus Episcopi, sed Sacerdotis. Præpos. *Ibid. res.* 4.

XIV. Suspensus ab officio prædicandi non fit irregularis etsi concionetur : quia hoc per se non est actus Ordinis, Tanner. & 4. Neque si suspensus à susceptione Sacramentorum illa suscipiat. Neque si propter ordinationem, suspensi canant Epistolam, vel Euangelium in illa Missa sub qua ordinantur : quia illa non censentur fieri post ordinationem, quæ censetur durare quamdiu durat Missa sub qua fit. Idem est quoad consecrationem cum Episcopo in illa Missa. Suarez & 3. Neque si Clericus suspensus ab officiis diuinis, assistat illis vt laicus : imò tunc nec peccabit. Filliucius, Aliàs exercens actum à quo suspensus est, peccat mortaliter, si materia grauis est:& exercendo actum alicui Ordini annexum, incurrit irregularitatem Pontifici reseruatam. Nauar. A qua tamen excusatur quoties excusatur à culpa ratione infamiæ, vel scandali. Suarez & 2, *Ibid.res.*10.26.37.12. *&* 9.

XV. Suspensus ob promotionem ad Ordinem ante legitimam ætatem, potest virtute Bullæ Cruciatæ absolui, non tamen in Ordine ministrare ante ætatis complementum. Auila & 4. Omnis verò suspensio lata à iure, quæ est censura, potest tolli ab Episcopo, nisi Pontifici reseruetur. Laym. & 4. *Ibid.res.*53.*&* 23.

XVI. Suspensio lata sub conditione v. g. donec satisfacias ; vel restituas posita conditione tollitur ipso facto sine alia absolutione. Hurtad, & 5. Idem dicendum de ea quæ lata est ob contumaciam. Couarr. & 2. *Ibidem resol.*24. *&* 25.

T.

TESTAMENTVM.

I. VAlet consuetudo vt minor numerus testium quàm septem sufficiat ad valorem testamenti.*p.6,tract.5. res* 30. Imò & schedula non obsignata vllis testibus valet pro testamento inter liberos. Hunnius & 3. Quod à for-

tiori procedit in foro conscientiæ, vbi probabiliter valet testamentum non solenne. Bauny & Vvigers. *part.* 9. *tr.* 7. *resol.* 41.

II. Quamuis lex statueret vt testamentum sine talibus solennitatibus nullam faceret fidem in iudicio, vel extra, per hoc tamen non irritaretur pro foro conscientiæ. Molin. & 2. *p.* 10. *tr.* 16. *res* 55.

III. Qui non vult in testamento exprimere restitutiones faciendas, vel quid simile, ponat in eo se chartam dedisse Confessario, vel alteri, quam velit habere vim testamenti. Imò talis nominatio heredis esset sufficiens. Et quoties testator sic declarauit se velle per Confessarium summam aliquam pecuniæ erogari certis personis quas ipso secretò nominauit, non tenetur Confessarius personas illas heredibus nominare. Figuer. *part.* 5. *tractat* 5. *resol.* 115.

IV. Testamentum inchoatum, & morte interueniente non absolutum, validum est quoad legata pia quæ in eo iam expressa sunt. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 126.

V. Testamentum ex metu graui & iniusto factum, esse ipso iure nullum, docet Molin, & 7. Alij negant. Menoch. & 3. vtrimque probabiliter. *part.* 8. *tract.* 6. *res.* 129.

VI. Clerici eo ipso quo gaudent priuilegio fori, gaudent etiam priuilegio *c. cùm esses de testament.* vt testamenta eorum valida sint, licet non adsint solennitates iuris. Quamuis autem de bonis beneficialibus testari licitè non possint in vsus non pios, licitum tamen erit, si per modum iustæ remunerationis, siue consanguineis, siue famulis. Malder. Potest etiam Pontifex concedere potestatem testandi ad vsus non pios Molin. *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 124. & 125. Potestas autem testandi concessa, facit conualescere etiam testamentum iam antè factum. Sanchez & 6. *part.* 8. *tr.* 3. *res.* 99.

VII. Etsi Clerici iure communi non possint testari de bonis beneficialibus: ex vi tamen consuetudinis illicitè quidem, sed tamen validè testantur etiam ad causas ro-

sanas. Hinc consanguinei heredes licitè ab intestato succedunt, vel alij à defuncto instituti hereditatem, aut legatá accipiunt, nisi induxerint ad sic disponendum, tunc enim eiusdem peccati cum Clericis sic disponentibus rei essent: Aliàs obligatio illa Clericorum disponendi de illis bonis invsus pios est personalis: & sicut ea non obstante possunt validè, etsi illicitè, sic donare; ita & heredibus vel alijs testamento relinquere. Dicastill. & 7.*part.* 10.*tract.* 15. *resol.* 10.

VIII. Clericus filius-familias potest testamentum condere, licet adhuc sub patris sit potestate, non quidem de bonis ex redditibus beneficij; sed quæ intuitu personæ suæ acquisiuit. Sed non potest in eo præterire liberos, vel parentes. *p.* 7. *tr.* 12. *res.* 2. & 35.

IX. Commendatarij Equites D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ &c. quibus matrimonium licet, possunt testari etiam de fructibus commendarum, in vsus non pios: non autem Equites S. Ioannis. Sanchez & Villalob. *part.* 5. *tr.* 3. *resol.* 129.

X. Etsi captiuus non possit testari in loco captiuitatis, nec validum illud sit etiam posteà cum rediit: hoc tamen non habet locum quoad Christianos captiuos apud Turcas, qui testari possunt etiam in statu, & loco captiuitatis. Molin. & Amic. *p.* 7. *tr.* 7. *res.* 50.

XI. Pœna inhabilitatis ad testandum quoad vsurarios, solùm spectat ad vsurarios publicos ex mutuo, non autem qui ex venditione, vel emptione sunt vsurarij; quia hæc posterior non est vera & propria vsura. Wading. & 3. Eadem autem illa pœna extendit se etiam ad donationes causa mortis; quia cui non licet testari, non licet etiam donare causa mortis. Lugo & 5. *part.* 11. *tractat.* 4. *resol.* 22.

XII. Damnatus ad mortem si eius bona non confiscentur, potest testamentum condere: vti & quod antè conditum fuerat, valet ex consuetudine ferè vbique obtinente. Malder. Etsi de iure Codicis testari non possit. *p.* 5.

tr.3.res. 120. & *p.7.tr.6.res.7.*

XIII. Surdus vel mutus à natiuitate testari non potest ex dispositione iuris; secus si ex morbo tales sint. Alij tamen hoc solùm intelligunt cum quis simul mutus est & surdus. Cæcus autem quamuis testari possit, plures tamen solemnitates ius requirit, ob maiorem suspicionem fraudis. Sed quoties inter liberos testatur, vel ad pias causas, duo testes sufficiunt. Potest tamen Princeps mutos à natiuitate habilitare ad testandum. Molfes. Quòd si mutus sciat scribere, semper potest testamentum facere: aliàs signis non videtur satis claré posse exprimi heres, *p.5.tr.6. res* 23.24 *et* 26.

XIV. In testamento cæci non est essentiale vt priùs scribatur heres, ac tunc deinde scribantur legata Hunnius & 5. Etsi alij contrà doceant. Bartol. & 6. Imò cessante suspicione fraudis valeret testamentum cæci etiamsi careret solemnitatibus requisitis in *l. has consultissimà.* Baldus & 3.*p.*11.*tr.*7.*res* 41.

XV. Nouitij vel Clerici in testamentis tenentur seruare formam à iure ciuili statutam. Molin. & 5. Contrarium tamen probabile est. Suarez & 7. Et sic posset heres ex tali testamento hereditatem adire pro foro conscientiæ.*p.9.tr.9.res.*16.

XVI. Potest restator prohibere ne detrahatur à fideicommissis Trebellianica, sicut & ne à legatis Falcidia. Malder, & 4.(Et si alij hoc negent de Trebellianica. Sarmiento & 3.) Ad hoc autem sufficit prohibitio tacita. Wading.& 3. Sed difficulter explicatur quandonam ea adesse censeatur. Quod si diceret: *mando vt restituat sine vllâ diminutione* cens eretur detractionem illam prohibuisse; eò quòd illa verba nullum alium sensum commodè admittant Felin. Prohiberi autem illam posse non tantùm heredi extraneo, sed etiam filiis, docet Cynus & Alciat. Sed contrarium est probabilius ex *l. iubemus.c. ad S. C.Trebell.* quæ Trebellianicam quoad filios vetat minui per computationem fructuum, multo ergo minùs poterit in totum

tolli. Neque hæc lex correcta est per *Nouell.* 1. *c.* 2, §. *finali.* *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 46,

XVII. Si Pater filium grauet vel sub conditione, vel in diem restituere hereditatem, v. g. *si moriaris sine liberis* vel *quando morieris dabis hereditatem Titio*, poterit filius priùs ex hereditate detrahere legitimam vt filius, & posteà eueniente conditione quartam Trebellianicam vt heres. Sed si purè & sine conditione filius esset grauatus v. g. si iussus esset statim, simul atque hereditatem adierit eam restituere, tunc vel solam legitimam vel solam Trebellianicam posset detrahere. Vvading. *Ibidem.*

XVIII Quando dubium est an fideicommissum sit institutum, vel an expiret, potest vltimus vocatus ex heredibus liberè de illis bonis disponere. Homobon. *part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 73.

XIX. Qui testamentum perfectum, & iuratum, sine iusta causa, reuocat, peccat mortaliter. Molin. & 7. Sed reuocatio valet. Lugo & 10. Est tamen probabile tale iuramentum esse inualidum tanquam de re impossibili, & contra bonos mores. Gomez & 3. quod si tamen iuramentum illud fuisset acceptatum, teneretur heres in posteriori testamento institutus restituere priori hereditatem propter ius ad eam acquisitum ex vi iuramenti. Dicastill. *part.* 5, *tract.* 3. *ref.* 122. & *part.* 9, *tract.* 7. *ref.* 42. & *part.* 10. *tract.* 15. *ref.* 11.

Testam. ad pias causas.

XX. Testamentum ad pias causas, quod est quoties hereditas deuenire debet ad piam causam, valet sine solennitatibus de iure communi requisitis, modò habeat eas quæ sunt iuris naturalis: idque ex priuilegio non iuris ciuilis, sed canonici: tamen etiam in terris non subiectis Pontifici. Molin. Vnde statuta particularium locorum circa testamenta non nocent ijs quæ sunt ad pias causas; quia contra hæc nihil potest ius positiuum sæculare. Bar-

bos & 4. *p.* 7. *tr.* 6. *res.* 1. 2. *&* 28.

XXI. Testamentum ad pias causas sine solennitatibus valet etiam quoad legata profana in eo contenta. Molin. & 8. Imò & alia testamenta sine illis solennitatibus valent quoad legata pia quæ continent. Vasquez & 11. *Ibid. resol.* 4. *&* 3.

XXII. Ad valorem requiritur solùm vt constet de voluntate testatoris v. g. per scripturam eius ; quia hoc sufficit de iure naturæ. Molin. & 4. Hinc duo testes qui requiruntur, non sunt pro foro conscientiæ, sed ad probandum in foro externo. Lugo & 3. Et quoties heredi constat de voluntate testatoris quoad relicta in causas pias, tenetur ea soluere, etsi probari non possint. Layman & 2. *Ibid. resol.* 14. *&* 18.

XXIII. Quando testes non sunt idonei, & omni exceptione maiores, requiruntur tres. Tuschus & 2. Sed etiam tunc duos sufficere, docet Castrus. Præsumuntur autem legitimi donec contrarium probetur. Couarr. Imò possunt etiam feminæ hîc esse testes ; quia hoc iure gentium sufficit. Couarr. & 12. Neque necesse est vt sint rogati. Bartol. & 13. Neque requiritur vt subscribant. Hunn. & 2. Sed etsi aliqui eorum ante actum absolutum discedant, possunt alij in eorum locum substitui Hunn. & Vasquius *Ibid. res.* 15. 16. *&* 17.

XXIV. Testamentum ad pias causas valet sine institutione heredis. Molin. & 6. Et sufficit filiis relictam esse legitimam, etsi non titulo institutionis ; quia illa sunt solius iuris ciuilis, quod non præualet contra causam piam. Bartol & 8. Nec est necessaria adscriptio anni, mensis, & diei : quia hæc tantum requiruntur vt constet quodnam testamentum sit posterius, tale autem semper præsumitur quod est ad causas pias. Tuschus & 6. Neque etiam ad scriptio loci : neque vt sit sine abbreuiationibus scriptum: neque vt factum sit vno contextu. *Ibid. res.* 22 23. *&* 24.

XXV, In testamento incepto & non finito morte præueniente, quæ statuta sunt in causas pias valida sunt; quia

iure naturali, & canonico id sufficit. Molin & 6. Ob eandem causam valida est similis dispositio captatoria, hoc est, quæ confertur in arbitrium alterius. Less. & 2. Imò etiamsi talis non esset expressé in pias causas testatus, sed tantùm simpliciter commisisset bona sua dispositioni Titij, censebitur voluisse à Titio ea expendi in pias causas, & valebit. Molin. & 12. Denique quibus casibus valet testamentum patris inter liberos, iisdem etiam valet ad pias causas. Tuschus & 2. *Ibidem resol.* 19. 20. *&* 33. *& part.* 5. *tr.* 3. *resol.* 127.

XXVI. Qui de iure communi testari prohibentur, nequeunt etiam testari in pias causas. Hinc impubes etsi sit doli capax, non potest. Villalob. & 4. Quamuis id asserat Bonacin. Filius tamen familias ita testari potest, non tamen sine consensu patris, etiam de bonis aduentitiis. Couarr. & 9. Sed legata profana in eodem testamento, non valent. Bald. & 2. *p.* 7. *tr.* 6. *res.* 5.7. *&* 6.

XXVII. Damnatus ad mortem ciuilem v. g. deportationem, potest ita testari. Graff. & Maulius. Etsi alij id negent. Vti & prodigum posse negat Molin. & 4. Quod tamen affirmat. Less. & Dicastill. Potest autem ita testari surdus & mutus; quia hic valet testamentum solo nutu factum. Molin. & 19. Imò si ad pias causas testatus est furiosus qui lucida habet interualla, præsumi tempore furoris conditum, affirmat Sanch. Sed negat. Henriq. Quod tamen melius videtur iudicandum ex modo, & antecedentibus, & consequentibus. Lugo. *Ibid. res.* 8. 9. 13. 21. *&* 12.

XXVIII. Mancipium si dubitet de libertate sua, & à parte rei iam sit liberum redditum potest in pias causas testari quod tamen de iure ciuili, stante eo dubio non posset. Molin. & 3. Item & vsurarius si non potens præstare cautelam cum signis contritionis decessit, modò priùs restituantur vsuræ, quos debitas esse constabit. Molin. & 5. Quamuis id neget Vasq. & Lugo. *Ibid. resol.* 11. *&* 10. *& tr.* 7. *res.* 50. *&* p. 11. *tr.* 4. *res.* 22.

XXIX. Testamentum ad pias causas non solemne re-

vocat aliud solemne, etsi huius mentionem non faciat. Tiraquel. Imò id verum esse quamuis prius esset etiam ad pias causas docet communis sententia (Molin. & 6.) à qua non audeo discedere, etsi non careat difficultate. An autem censeri possit virtute continere clausulam derogatoriam posteriori, vt continet testamentum inter liberos, dubium est. Molin. *p.7.tract.6.res.26.& 27.*

XXX. Executio legatorum piorum est mixti fori, etiamsi testator prohibuisset Episcopum se ingerere. Ciarlin. Quilibet etiam de populo potest agere vt legata pia & testamenta executioni mandentur. Barbos. & 2. *Ibid. resol. 31.& 32.*

Testam. tempore pestis.

XXXI. In testamento tempore pestis sufficiunt eæ solemnitates quæ requiruntur iure gentium, sine illis quæ sunt de iure ciuili: hinc sufficiunt duo vel tres testes. Layman & 12. Etiam feminæ. Iason & 6. Et potest Notarius inter testes computari. Maulius & 2. Nec debet esse matriculatus, modò non sit consanguineus, vel affinis defuncti. Menochius & Patladon. Nec testes debent esse rogati, satis est si sint fortuiti. Maulius & 4. non tamen satis est eos audire vocem testantis, sed debent eum videre. Menoch. & 4. Quod tamen negat Marchin. & 3. Neque definit esse validum eiusmodi testamentum, quamuis æger conualescat. Mascard. & 7. Eademque omnia iam dicta locum habent etiam quoad codicillum. Marchin. Etsi alij id negent. Parisius & 2. Imò testamentum exceptum à Parocho coram vnico teste, habet vim testamenti nuncupatiui. Marchin. & Molan. *p.7.tr.6.res.34. 35.36.37.38. 39.40. & 41. & p.5.tr.3.res.123.*

Testam. militare.

XXXII. Milites nostrates gaudent iisdem priuilegijs testandi quæ olim militibus concessa. Viglius & 14. Ad quod requiritur vt actu sint in numerum militum relati,

& in castris seu expeditione versentur, aut certè ad modicum tempus legitimè absint, mox reuersuri: non autem si sint in hibernis, aut similibus locis commorandi potiùs causa quàm pugnandi. Bocer. & 4. Sufficit tamen si sint milites limitanei, hoc est, qui in finibus ad hostium incursiones intendunt: aut stationarij hoc est, qui ad tuendam prouinciæ quietem aluntur. Bocer. & 5. *part.* 7. *tractat.* 6. *resol.* 42. 43. *&* 44.

XXXIII. Omnes qui in castris reperiuntur, etsi milites non sint, gaudent illo iure testandi, modò in loco hostili sint, etiam mercatores castra sequentes &c. Molin. & 6. Et filius-familias, si miles sit, testari poterit; de solis tamen bonis castrensibus Hunnius & 2. Quod si miles ab hostibus sit captus, non potest iure militari testari, vti nec obsides. Sed deportatus, vel ad mortem damnatus ius habet testandi, si ex delicto militari damnatus est, nec Sacramenti fides rupta sit, & de bonis castrensibus testetur. Bocer. *Ibid. ref.* 59. 60. 50. *&* 51.

XXXIV. Iure militari surdus & mutus à natura testari potest. Lugo. & 2. Certum est saltem posse, si auditum & vocem in castris amiserit; quia sufficit si solo nutu testetur. Tiraquel. & 7. *Ibid. ref.* 48. *&* 49.

XXXV. In testamento militari communiùs duos saltem testes requirunt. Molin. & 9. Sed alij id negant, modò aliter constet de voluntate defuncti. Non est tamen necesse testes esse rogatos. Viglius & 3. Et idonei hîc sunt qui alias inidonei, modò non sint impuberes, vel cæci, vel serui. Lugo & 3, *Ibid. ref.* 45. 46. *&* 47.

XXXVI. In dubio miles præsumitur testatus non iure communi, sed militari. Bocer. & Vasquius. Non potest tamen liberos præterire, nisi eius causam exprimat, aliàs esset inualidum. Couarr. & 12. *Ibid. ref.* 54. *&* 62.

XXXVII. Potest miles testamentum cum breuiaturis, vel notis scribere. Tiraquell. & 6, Potestque pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere, ac pars illa pro qua testatus non est, ad eius heredes ab intesta-

to pertinet. Bocer. & 4. Potest etiam plura testamenta simul valida facere, si singula non disponant de omnibus bonis Bocer. & 3. Et instituere heredem à certo solùm tempore post mortem, ita vt antè quàm hoc adueniat sit intestatus. Similiter potes tantùm ad certum tempus vel conditionem, ita vt tunc testatus esse desinat. Bocer. & Enenkel. *Ibid. resol, 52. 53. 55 & 56.*

XXXVIII. Potest miles codicillo heredem instituere & substituere, & hæreditatem adimere. Bocer. Neque debet eius testamentum esse factum vnico contextu; quia ea solennitas tantùm est iuris ciuilis, Bocer, & 2. Imò tam in legatis, quàm fidei commissis cessare legem Falcidiam. non obstante generali decreto *Authent. de hered. & Falcid. §. vlt. vers. vlt.* docet Enenkelius, *Ibid. res. 58. 57. & 63.*

XXXIX Testamentum tempore militiæ factum valet etiam post missionem, modò hæc ignominiosa non fuerit. Neque tamen diutiùs quàm vno anno pòst Molin. & 9, *Ibid. res. 61.*

XL. Doctores & Aduocati actu patrocinantes, gaudent priuilegiis testandi quæ militibus concessa sunt non intuitu simplicitatis, & ignorantiæ, sed intuitu prærogatiuæ, & meritorum. Halbritt. & 3, *Ibid. res., 64.*

Testam. Executores.

XLI. Executores testamenti alij dicuntur datiui qui scilicet vel à testatore vel à Iudice statuti sunt: alij verò legitimi qui à iure sunt constituti, vt Episcopus, Iudex laicus &c. Tales esse possunt quiuis Clerici ad quasuis etiam causas. Sanch. & Vvading. Minor esse potest quoad negotia, si expleuerit annum 17. non tamen potest esse quoad iudicia ante annum 25. Imò & mulier esse potest. Sanch. & 4. Et cum executio generatim fratribus committitur, per eos intelliguntur & sorores. Carpius. Quamuis id neget Sanch. & Lugo nisi quando testator non habebat nisi vnum fratrem, & vnam sororem. *part. 8. tract. 5. res. 1. 7. 6. 4. & 5.*

XLII. Si nullus creatus est executor, spectat executio

ad heredem, etiam quoad pias causas, nisi si quid relictum sit pro redemptione captiuorum, vel pro eleëmosynis pauperum; nam horum executio spectat ad Episcopum. Molin. & 3. contra Wading. Quicumque autem sit executor, non potest officio fungi per alium, nisi testator hoc permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti iam declarati &c. Sanchez & Carpius. *Ibid. res* 41. *&* 26.

XLIII. Mutus & surdus non possunt esse executores testamenti. Sanch. & 2. Nec mutus potest esse Curator, vel Tutor, Gratian. Imò surdo & muto debet dari Curator: maximè si sit surdus & mutus à natiuitate, Gizzarell. & Spino *p.5 .tr.6. res.*28. *&* 35.

XLIV. Religiosi non possunt esse executores nisi ex licentia Superiorum, exceptis iis qui extra claustra habitant, vt beneficiati. Wading. & Dicastill. Sufficit autem licentia Prælati conuentualis, qui & sibi eam dare potest. Molin. & 6. In Societate tamen IESV, à solo Generali ea concedi potest: sine licentia autem peccaretur mortaliter ex vi iuris communis. Sanch. & Dicastill. Quamuis id neget Lugo. Validum tamen esset quod Religiosus sine licentia exequeretur, Sanchez & 3. Quod tamen alij etiam probabiliter negant. Fagund. & 2. Et secundùm hos inualidum erit quod aget, vsque dum concessio licentiæ ad eius notitiam peruenerit: aut si ipse nuntium ad eam petendam miserit, donec illi nuntio fuerit intimata. Sanchez. Porrò licentia illa debet esse expressa, nec sufficit tacita: non tamen debet necessariò haberi in scriptis Carp. Et quamuis semel à Superiore sit concessa, reuocari tamen potest etiam re non integra. Sed si Superior id faciat sine iusta causa, peccabit. Sanch. & 10. *p.8 tr 5 resol.*9.10.11.22. 23.16 *&* 17.

XLV. FF. Minores non possunt esse executores, sed tantum executoribus dare consilium. ex *Clement. Exiui. de verb. signif.* Possent tamen esse quando simul cum ipsis statuerentur alij sæculares. Portel & Rodriq. Imò censet Rodriq. posse etiam esse si distributio facienda sit inter FF.

Minores, vel sorores S. Claræ; eò quòd tunc cessare videantur rationes in illa Clementina, allatæ. Sed contrarium omninò tenendum est. Sanchez & Castropal. Item quamuis nulli possit committi nominatio in definita executoris, potest tamen etiam quibusuis Religiosis committi vt è quibusdam certis v. g. è tali Collegio, aliquem nominent, modò hæc non sit ita vniuersalis quin ipso non nominante possint omnes simul exequi. Sanchez & 2. Nec ad hoc opus est licentia. Castrop. & Fernand. Quam tamen pro FF. Minoribus exigit Sanch. & 4. Saltem ea non est opus vt ipsis committi possit electio pauperum in quos legatum est distribuendum. Castrop. & 6. contra Sanchez. Vti neque cum executoribus iussis consilium petere, illud dant. Castrop. & Matienzo. Sed hoc negat Sanchez & Dicastill. Quod si tamen executores iubeantur solùm petere consilium, non autem sequi; non erit opus licentia ad illud dandum. Sanchez & 2. *Ibid. ref.* 12. 8. 25. 13. 14. *&* 18.

XLVI. Possunt tum FF. Minores, tum quiuis Religiosi sine licentia esse commissarij ad faciendum testamentum, hoc est illud facere ex alterius commissione: Quod tamen negat Sanch. Et quamuis requireretur licentia, sine hac tamen esset validum. Castrop. & Dicastill. *Ibidem resol.* 15. *&* 24.

XLVII Nullus tenetur officium executoris admittere, etsi sit consanguineus, ne in foro conscientiæ quidem: nisi fortè interdum ex caritate. Sanch. & Lugo. Religiosi temen à Superiore suo compelli possunt ad acceptandum. Vasq. Qui autem semel acceptauit cogi deinceps potest. Censetur autem acceptasse Religiosus si licentiam acceptauit; sed præsentem non contradicere, non est signum tacitæ acceptationis, nisi sit consanguineus, vel dispositio sit ad causam piam. Sanch. & Carpius. Et in casu non acceptationis, Episcopus fit executor. Syluest. & 4. *Ibidem ref.* 27. 28. 21. *&* 60. *& p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 162.

XLVIII. Quando præcipitur executoribus consilium petere à Religioso, tenentur etiam aliquo tempore expe-

ftate : si autem periculum esset in mora & ille abesset tunc possent exequi sine consilio. Quod si forté ille mortuus esset, per hoc dispositio & executio non euanescerent. Sanchez & 2. Alias omissio consilij petiti reddet irritam executionem. Vvading.& Dicastill. Ceterum quando iubentur simpliciter consilium petere, non tenentur id sequi nisi ex circumstantiis aliud colligatur : sed si iussi sunt exequi iuxta consilium N. tenentur etiam sequi. Fagund.*part.* 8. *tr.* 5. *ref.* 19. 20. *&* 33.

XLIX. Cum plures sunt statuti executores si aliquis mortuus est vel in remotis agit, vel non vult exequi, possunt reliqui sine illo exequi. Molin. & 3. Item sufficit maiorem eorum partem agere, etsi alij vocati non sint. Carpius. Quod si sint discordes, & æquales pro vtraque parte, præfertur ea in qua est masculus, vel Clericus, vel consanguineus, si in altera similiter non sit. Quod si omnia sint paria, in rebus piis potest Episcopus præferre quem voluerit : in rebus verò profanis Iudex laicus. Sanch. & 2. *Ibid. ref.* 29. *&* 30.

L. Tenentur omnia exequi secundùm mentem testatoris. Ad hoc tamen executor particularis non potest vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit : vniuersalis verò potest. Lugo. Est autem executor vniuersalis cui relinquitur vniuersalis distributio bonorum, quia scilicet nullus institutus est heres nisi pauperes, vel anima defuncti : particularis est cum instituto herede, alicuius rei executio committitur. Numquam tamen possunt executores inuito herede rem legatam capere, & legatario date ; quia non possunt, nisi per Iudicem, heredem sua possessione eiicere. Tenentur tamen monere Episcopum vt heredem cogat. Sanchez & Lugo. *Ibid. ref.* 31, 32. *&* 38.

LI. Executoribus non debetur aliquod salarium : cùm sit officium volontarium, & amicitiæ : sed si inde patiantur damnum in rebus suis, vel si non sint meri executores, sed etiam administratores bonorum, debet eis salarium assignari per Iudicem. Lugo. Quod si aliquod assignatum sit à

testatore & aliquis ipsorum vel recuset illud officium, vel moriatur &c. accrescit aliis quod huic debitum fuisset, Rodriq. *Ibid. res.39.*

LII. Tenentur rationem reddere executionis, etsi testator eos ab hoc onere liberasset; nam hoc solum deberet intelligi de scrupulosa ratione reddenda quoad culpam, non autem quoad dolum Molin. & 9. Quamuis id neget VVading. Excipe solùm si testator iussit quædam secretò erogari, tunc enim non tenentur personas quibus dederunt indicare. Sanchez. Religiosi claustrales eam rationem reddere debent Episcopo, etiam exempti, & ab eodem puniri possunt si deliquerunt. Laym. & Lezam. Si tamen Abbas habet iura ordinarij, tunc etiam quoad hoc censeri Ordinarium instar Episcopi, docet. VVading. Imò idem de plenè exemptis, vt sunt Mendicantes docet Sanchez & 2. Quod tamen negat Molin. & 8: Ego verò iudicium meum non interpono. Porrò ad rationem illam reddendam, vti & ad executionem cogi possunt etiam à Capitulo Sede vacante. Barbos. & 5. *Ibidem resol.34.35.36.37.& 62.*

Vide *Legatum.*

Testis.

I. SErui nequeunt esse testes nisi cum veritas aliter haberi non potest. Farinac. Vel in criminibus exceptis, vt in tribunali Inquisitionis. Mascard. *part.7.tract.7. resol. 71.*

II. Mutus qui perfectè intelligit potest esse testis in ciuilibus, sed non in criminalibus. Et quamuis communiter testes viua voce deponere debeant, & non scripto; muti tamen testimonium per scripturam admittitur. Farinac. *p.5.tr.6.res.32.*

III. Quando crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur auctor, testis interrogatus à Iudice non tenetur respondere; quia probabilis sententia asserit ipsum non

interrogare iuridicè. Tarrian. & 5. Erit igitur testi integrum vel manifestare, vel occultare veritatem, iuxta probabilitatem vtriusque opinionis. *p.2.tr. 15.res.63.*

IV. Testes priuilegiati si non adsint alij testes, tenentur reuelare crimen occultum sui coniuncti, propter excōmunicationem latam in aliquo monitorio. Nauarr. & 4. *p. 3.tr.5.res.63.* Sed contrarium probabile est, etiam quoad cognatos in quarto gradu. Raynaud. & Peyrin. Et quamuis teneantur, si tamen non fecerint, non obligabuntur ad restitutionem; quia non peccabunt contra iustitiam. Raynaud.*p.5.tr.13.res.67.&* 68.

V. Probabile est testem non teneri denuntiare crimen quando scit nullum alium esse contestem; quia ex sola ipsius depositione non potest reus condemnari, sed tantùm torqueri. Lessius & 3. Contrarium tamen est probabilius. Azor & 6. *p. 3.tr.5.res.*100.

VI. Testis iuridicè interrogatus non tenetur ad restitutionem damni, quod secutum est ex veritate non manifestata; quia non peccat contra iustitiam. La Cruz & 2. Quamuis contrarium etiam probabiliter doceat. Malder. & 6. *Ibid.res.*101,

VII. Qui falsum testimonium dixit, ratione cuius mors, vel mutilatio alteri est inferenda, tenetur illud retractare, etsi ipse similem pœnam timeret; quia in pari damno melior est conditio innocentis. Aliud esset si ex ignorantia non mortaliter culpabili ita testatus esset. Lessius & 2.*p.4.tr.4.res.* 99.

VIII. Reo iam per alios testes conuicto, falsus testis superueniens non tenetur ad restitutionem: quia non est causa efficax damni. Pitigian.*p.3.tr.5.res.*105.

Testis apud Inquisitores.

IX. Inimicus capitalis Rei non est admittendus in testem, etiam in articulo mortis, etiam in tortura, etiamsi sit reconciliatus, modò hæc reconciliatio recens sit: secus si inimicitia non est capitalis, etsi etiam tum minuat fidem.

Imò

Imò neque consanguinei aut subditi inimici capitalis, nisi legitimo adminiculo adiuuentur, vnde probabiliter constet eos non duci odio ad testandum. In causa tamen hæresis inimicus capitalis Admitti potest ad accusandum, cautè tamen, & vt suspectus:sed non ad testificandum. *p.4. tr.8.res.16.& 40.*

X. Ceteri omnes admittuntur in testes excommunicati, infames, socij criminis, periuri, hæretici, domestici, familiares, consanguinei, mulieres, & minores 14. annis: & quidem omnes sine tortura. *Ibid. res.* 57.

XI. Etsi reus testibus nihil opponat, non eo ipso habendi sunt omni exceptione maiores, sed debent Inquisitores in eorum vitam, conditionem, & qualitates inquirere, & eos interrogare an sint ex genere Iudæorum, vel Saracenorum. Canter. *Ibid. res.*124.*&* 114.

XII. Si testis vnus, inhabilis concurrat cum altero valdè digno, huius dignitas non potest alterius defectum supplere, vt faciant plenam probationem, nisi cum vtriusque depositione alia indicia concurrant. Similiter etsi duo testes singulares sint valdè digni, nobiles, & eximiæ personæ, non possunt face e plenam probationem. *Ibidem resol* 129.

XIII. Propter multitudinem testium non idoneorum poterit reus damnari, etiam ad pœnam ordinariam, præsertim si aliæ concurrant coniecturæ. sed ad hoc saltem quatuor non sufficiunt. *Ibidem resol.* 123. *& tractat.* 6. *resol.*11.

XIV. Quando audiuntur testes, debent adesse duæ personæ religiosæ, non quidem professione, sed animi candore, & zelo religionis. Neque possunt Inquisitores hoc examen aliis committere, nisi nec testes ad ipsos, nec ipsi ad testes ex legitima causa possent accedere. *part.* 4. *tr.* 8. *res.* 12. *&* 29.

XV. Etsi in alijs causis expediat testes confrontare cum reo, non tamen in causa hæresis *Ibid. res* 63.

XVI. Testes in summario iudicio recepti, & exami-

nati in plenario, medio præstito iuramento, debent iterum examinari, seu ratificari, aliàs non faciunt fidem in iudicio: non debet tamen eis tunc ostendi prima attestatio, vt appareat an idem prorsus testentur. *Ibid res.* 17.

XVII. Plures testes singulares etiam de eadem hæresi diuerso tempore prolata, non possunt vniri, vt faciant plenam probationem. Etsi contrarium etiam sit probabile. *p.4.tr.7.res.*31.

XVIII. Potest reus, si sit malæ vitæ & famæ, puniri pœna ordinaria, quando sunt duo contestes, & idonei. In praxi tamen Inquisitionis Hispanicæ nemo ad pœnam ordinariam damnatur, nisi per tres testes, contestes, idoneos. *Ibid. res.* 32.

XIX. Quando testes prius testimonium contrario reuocant, etsi in alijs causis magis stetur primo dicto quàm secundo; at in causis fidei statut posteriori, quando ex coniecturis verisimilius est; quod si tamen in priori hæresim manifestasset, & in posteriori negaret, standum esset priori, *Ibid. res.* 22.

XX. Ad instantiam Fiscalis, possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam, ita vt iam deponant, quod posteà, illis etiam absentibus, faciat fidem in plenario iudicio contra reum. Imò etiam per talem testem poni quis potest ad torturam, si deponit verisimilia, & dat rationem sui dicti. Et hæc omnia in fauorem fidei. *Ibid. tractat.* 8. *resol.* 15.

Thesaurus.

I. THesaurus est non solùm pecunia, sed & quæuis alia res deposita ita ab antiquo, vt iam Dominum non habeat, de quo statuitur *Institut. lib.* 2. *tr.* 1. §. 39. Vnde si constet de tempore quo abscondita est, vel quis absconderit, non est thesaurus, sed spectat ad heredes, aut si nulli sint, ad fiscum: Et his restitui debet tamquam res Dominum habens *p.9.tr.5.res.*1.2.& 16.

II. Thesaurus inuentus in proprio fundo non antè fit proprius quàm apprehendatur: Si in alieno fundo ex licentia Domini quæsitus inuenitur, nihil debetur Domino, nisi aliter conuentum sit: vel nisi dolus causam dederit licentiæ; tunc enim dimidia pars videtur ei danda. Lugo. quod si sine licentia quæsitus est, totus debetur Domino fundi non tamen ante sententiam; quia est pœnale. Lessius & 5. Quoad conscientiam autem etsi Caramuel putet totum retineri posse: verius tamen est debere Domino dari dimidium: sicut & cum casu fortuito in eius fundo inuentus est. Quod si duo sint Domini vnus directus, alter feudalis vel Emphyteuta, inter ipsos pars Domino competens diuidenda est æqualiter. Dicastill. Etsi totam ad directum pertinere velit Bocer. & 3. Et contrà, totam ad vasallum vel Emphyteutam. Gutier & 3. *Ibidem res.* 2, 3. 4. *&* 5. *& p.* 8. *tr.* 7. *res.* 64.

III. Cum inuentus est in fundo dotali, pars quæ debetur Domino, spectat ad vxorem, Molin & 6. Nisi ita in dotem datus sit fundus vt in casu restitutionis dotis sit in electione mariti vel feudum, vel eius pretium reddere; nam per talem æstimationem maritus fit Dominus tamquam per emptionem. Megal. Quod si fundus in quo inuenitur sit maioratus, quoad partem Domino debitam spectat ad possessorem præsentem, qui nihil eius tenetur ad successores transmittere. Molin & Lugo. *part.* 9. *tract.* 5. *res.* 6. *&* 10.

IV. Inuentus in loco publico qui nullius est, vt in platea effossa, vel flumine totus est inuentoris: secus si locus non tantùm quoad iurisdictionem, prout viæ publicæ; sed etiam quoad proprietatem spectet ad Principem vel fiscum. Villalob. Sic inuentus in loco sacro ex dimidio debetur Ecclesiæ, vel Prælato illius loci; quia loca sacra iam sunt. Prælatorum. Villalob. Quamuis totum esse inuentoris iuxta ius ciuile doceat Lessius; eò quòd loca sacra non sint vllius. Aliud est de Monasteriis, & similibus quæ speciales Dominos habent. *Ibid. res.* 12. *&* 11.

V. Inuentus à Filio-familias computari debet inter bona aduentitia, & quoad proprietatem acquiritur filio, non patri. Guid. Si inueniatur à seruo spectante ad plures Dominos in fundo alicuius è Dominis, totus debebitur illi Domino. Turrian. & Guid. Etsi Lugo probabiliter doceat partem quæ debetur inuentori æqualiter inter omnes Dominos diuidendam. Si vsufructuarius inueniat, debebit eius dimidium dare Domino directo, sicut quiuis alius; quia thesaurus non est fructus fundi· Lessius & 9. *Ibid. ref.* 7. 8. *&* 9.

VI. Si arte magica à te inueniatur in tuo fundo, totus erit fisci: sin ab alio ibi sic inueniatur, dimidium tibi debebitur, vt Domino fundi: nisi in talem inquisitionem consensisses. Lessius & 7. Quod tamen fisco debetur, non est tradendum ante sententiam; quia est pœnale. Lessius & 5. *Ibid. ref.* 12, *&* 13.

VII. Mineralia, vel auri & argenti fodinæ, vel venæ metalli, aut lapidum &c. non æquiparantur thesauro, sed spectant ad Dominum fundi tamquam eius fructus. Communiter tamen venæ auri & argenti per leges particulares, coronæ Regiæ reseruantur ad necessitates publicas: vti plerumque & thesauri. Quæ leges iniustæ non sunt. Molin. & 8. Quibus tamen non obstantibus, poterit inuentor sibi retinere, & occultare, donec ab ipso exigatur; quia debetur per modum tributi. Bannez. *Ibid. resol.* 17. *&* 18.

Tributum,

I. VT tributum sit iustum, non sufficit quòd causa sit iusta; sed debet esse proportionatum, ita vt vires regni & populi non excedat, alioquin erit tyrannicum. Salon. & 7. *p.* 1. *tr.* 3. *ref.* 5.

II. Imponitur iustè tributum alicui regno propter sumptus, quos Rex sustinet in aliis regnis. Vasquez & Turrian, Aut si Rex in egestatem incidit, quamuis sua

culpa. Vasquez & 6. Aut si patrimonium ipsi assignatum non sufficit Regiæ dignitati, aut necessitatibus regni. Quænam autem summa illis sufficiat, Rex ipse iure suo potest designare. Vasquez. *Ibid. res.* 3. 4. 13. & 12.

III, Quando causæ exigendi tributi sunt iustæ potest Princeps per vim illud extorquere. Pontius, *Ibid. resol.* 25. Quòd si dubitetur an sint iustæ, & vtrimque sint rationes probabiles, videtur soluendum; quia in dubio præsumendum est pro Rege. Suarez & 2. Sed contrarium est etiam probabile. Sanchez & 10. Imò etiam in dubio negatiuo circa tributa quæ de nouo imponuntur, non deberi in conscientia, sed posse defraudar', Molin & 11. *Ibid. res.* 21. & *p.* 2. *tr.* 17. *res.* 59. & *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 39.

IV. Fraudantes vectigalia iusta in materia notabili, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Suarez & 15. Quia tamen sententia negatiua est etiam probabilis, si nolint restituere, non sunt à Confessariis vrgendi, sed absolui possunt. Malder. & 6. *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 19.

Vide *Gabella.*

Tyrannus.

I. Tyrannus dum actu inuadit regnum alienum potest à quouis priuato occidi, non autem dum possessum malè administrat. Filliuc. & 2. Etsi multi etiam tunc id licere doceant, si non potest aliter Respub. à tyrannide liberari. D. Thom. & 8. *p.* 5. *tr.* 4. *res.* 21.

II. Legitimos Principes, etsi tyrannicè imperent, non potest populus, vel etiam Comitia regni deponere sine auctoritate Pontificis, ad quem hoc spectat ratione potestatis indirectæ in temporalia. D. Thomas & 65. Aliud propterea est in Regibus ethnicis quos Respublica deponere posset per modum defensionis necessariæ. Suarez. *p.* 10. *tr.* 7. *per totum.*

V.

VENARI.

I. QVi venantur vel piscantur in locis alteri locatis, non peccant mortaliter, nec tenentur restituere ante sententiam, etsi locus esset conclusus: nisi fortè esset ita paruus, vt Dominus posset feras capere cum vellet; tunc enim non censentur amplius liberæ. Lessius & 2. *p.* 9, *tr.* 9. *res.* 39.

II. Princeps vel alij Domini inferiores possunt in suis terris prohibere, ne quis alius venetur. Villalob. Clericis autem venatio recreationis causa non est prohibita, modò non sit omninò clamorosa cum magno strepitu canum & armorum: Imò etiam si esset talis, si tamen raro fieret, & recreationis causa, non esset peccatum mortale: secus autem si frequens sit & per modum consuetudinis. Hurtad. & 8. Etsi etiam frequentem & consuetudinariam non excedere veniale, doceat Vidal, *Ibid. res.* 40. *&* *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 18. *&* 19. *&* *p.* 10, *tr.* 13. *res.* 29.

III. Clericus exercens prohibitam venationem, aut piscationem non potest à Iudice sæculari, vel ministris eius spoliari auibus, vel canibus, vel aliis instrumentis. Etsi id affirmet Villalob. & 4. *part.* 1. *tr.* 2. *resol.* 10. *&* *part.* 3, *tract.* 1, *res.* 28.

Venditio.

I. LAtitudo inter pretium infimum, medium, & summum varia est prout res est pretiosior: vt si medium pretium est 100. infimum erit 95. summum 105. si medium est 10. supremum erit 11. infimum 9. Filliuc. & 3. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 112. Possunt autem merces pluris vendi, I. ob multitudinem emptorum. II. ob affectum ad rem. III. ob lucrum cessans. IV. ob damnum emergens. V. ob periculum a-

mittendi pretium rei, vel recuperandi cum expensis VI. propter modum vendendi. Bonacin. & 3. Ciues autem Panormitani priuilegium habent vinum è suis prædiis collectum vendendi supra taxam. Debent tamen illud vendere intra limites pretij iusti naturalis: & ad Magistratum spectat curare ne pro libitu pretio excessiuo vendant. *p.* 1 *tr.* 8 *ref.* 23. *&* 88. *&* *p.* 2. *tr.* 17. *ref.* 1.

II. Gemmas, canes, falcones, picturas &c. quæ non habent pretium taxatum potest venditor vendere quantum emptor sciens, & prudens dare consenserit Reginald. & 4. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 56.

III. Qui sub hasta rem vendidit duplo maiori pretio quàm valebat, non tenetur ad restitutionem. Idemque est si nulla interueniente fraude, pretium fiat ad dimidium iusto minus; quia in eo casu nullum est pretium rei iustum nisi quod seposita fraude potest obtineri. Vvading & 10. *Ibid. ref.* 55. *&* *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 12. *&* *p.* 9. *tr.* 8. *ref.* 57.

IV. Victualia & res communiter singulis necessariæ potiùs taxari debent per legem quoad pretium, quam vendentium arbitrio relinqui. Salon & 9. *p.* 3. *tr.* 6. *ref.* 60. Quando autem v. g. frumentum est taxatum certo pretio; magna sterelitate superueniente, non tenentur homines deinceps vendere illud pretio antè taxato. Molina & 4. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 70.

V. Merces quæ bonitate aliis longè præstant, vendi possunt vltra pretium lege taxatum. Molina & Reginald. Non tamen licet seponere res meliores, & has vendere pretio maiori, deteriores autem pretio taxato, & secus facientes, tenentur ad restitutionem. Filliuc. & Fernand. *Ibid. ref.* 52. *&* 53.

VI. Qui vino generoso miscet aquam, aut puro tritico secale, eâ tamen moderatione, vt non sint deteriora, quàm quæ passim venduntur, potest eodem pretio vendere quo alij. Less. & 2. *Ibid. ref.* 51.

VII. Merces quæ communiter venduntur creditò, pluris vendi possunt expectata, quàm præsenti pecunia.

Molin. & 10. non tamen ratione soliùs dilatæ solutionis, sed ratione multitudinis emptorum quam causat modus ille vendendi. Molin. *Ibid.resol* 21. *& p.* 10.*tr.* 12. *resol.* 28.

VIII Licet aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui interdum exponitur is, qui credito vendit; nam hoc est pretio æstimabile. Lessius & 7. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 57.

IX. Potest quis vendere rem cum vitio occulto, vel dare vnum pro alio ferè æquali, quod si emptor nosset, non esset empturus, saltem tanti: modò venditor pretium minuat, habita ratione defectus: sic enim seruatur æqualitas inter contrahentes. Si tamen venditor probabiliter intelligit emi rem ad reuendendum, vel emptor explicet, se nolle rem emere nisi careat vitio, venditio erit nulla. Salas & 6. *Ibid. res.* 39. *&* 80.

X. Potest quis vendere equum, torquem &c. vltra iustum pretium, cum conditione, vt emptor illud soluat cum vxorem duxerit; propter periculum amittendi capitale, cui pretium debet proportionari. Megal. *Ibid.res.* 38.

XI. Mercator etiam non particeps monopolij, non potest suas merces vendere pretio illo quod per monopolium creuit: quia illud ex se est iniustum. Rebell. & 3. Quamuis contrarium sit probabile. Reginald. & 2. Est autem monopolium contra iustitiam, si mercatores conspirent vt nullus vendat nisi pretio summo vel medio. (Turrian.) Etsi id etiam probabiliter neget Molin. & 3. *Ibid. resol* 24.

XII. Si quis sciat rem breui minùs valituram, potest eam vendere pretio currenti, vtitur enim iure suo. Imò etiam Senatus & Consiliarij regis possunt vendere res suas pretio communi, quod sciunt futura promulgatione legis breui minuendum; nec tenentur eam promulgationem manifestare ante tempus, dummodò non differant eo fine, vt priùs vendant omnes merces. Turrian. & Couart. *Ibid. res.* 40. 42. *&* 54.

XIII. Potest quis vendere aut locare domum pretio

currenti Parisiis, licet sciat Aulam, & Regem breui aliò migraturum. Molin. & 4. *Ibid. ref.* 45. Non tamen eodem modo potest pretio currenti vendere librum quem scit breui prohibendum ob errores quos continet; quia hoc est vitium intrinsecum. Salas & 5. Contrarium tamen est probabile. Lugo. *p.* 7. *tr.* 10. *ref.* 25.

XIV. Non peccat contra iustitiam, qui interrogatus de futura copia mercium, vel de minuendo pretio tritici, aut monetæ, vel de Regis & Aulæ discessu, dicit se nescire, vel æquiuocè respondet, vel etiam negat. Quia non tenetur dicere veritatem, neque ex mendacio crescit pretium. Salas & 2. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 46.

XV. Licet merces certo pretio vendere, quando dubitatur vtrum futuro tempore pluris aut minoris æstimabuntur; nam in hoc casu emptor & venditor sunt paris conditionis. Azor. *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 115.

XVI. Potest quis vendere creditò pretio currenti tempore solutionis, si pro tunc seruaturus erat illas merces; deductis tamen impensis, & periculis pro re seruanda, subeundis. La Cruz. Non tamen licet vendere triticum pretio quo nunc appretiatur, cum pacto, vt venditor tunc cum fiet solutio, possit accipere triticum, aut pecunias prout libuerit; quia sic assecurat suum negotium, nec vllum periculum subit. Villalob. & Rebell. *Ibid. tr.* 6. *ref.* 2

XVII. Potest quis vendere res indifferentes iis quos nouit illis ad peccatum abusuros, modò adsit rationabilis causa, puta necessitas, vel vtilitas proportionata qualitati peccati. Sanchez & Salas. Hoc tamen non licet in iis circumstantiis, quibus exteriùs apparet mala intentio ementis. v. g. si venderetur agnus iudæo iam sacrificanti, aut gladius conanti alterum occidere aut arma deferrentur ad castra gerentium bellum iniustum. Coninc. & Lorca. In dubio verò de malo vsu ementis possunt vendi nulla iusta causa concurrente; quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus. Sanchez & Merol. *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 41. *& part.* 4. *tarct.* 3. *resol.* 60. *& part.* 5.

tractat. 7. *resolution.* 37.

XVIII. Si venditor rem tradat emptori, & emptor sit in mora culpabili tradendi pretium, leges meritò concedunt actionem contra emptorem morosum, ad exigendum omnes fructus quos emptor percipere potuisset, & per negligentiam suam non percepit à tempore moræ, iuxta proportionem pretij non soluti. In foro autem conscientiæ, non est cogendus hic emptor ad illos fructus soluendos ante sententiam Iudicis. Rebell. Sed probabilius est venditorem in foro conscientiæ non posse vsuras illas, seu fructus pretij non soluti excipere, nisi ratione damni emergentis, vel lucri cessantis; nullæ enim vsuræ legum dispositione possunt fieri licitæ. Lessius & 2. *part.* 3. *tract.* 5. *res.* 114.

XIX. Venditor qui est in mora culpabili, nec tradit rem venditam tempore designato, tenetur emptori ad omne esse, intrinsecum, & extrinsecum: nam ex iniusta rei detentione est causa damni. Hoc autem intellige in foro conscientiæ; nam in foro externo, venditor tenetur tantùm ad interesse intrinsecum. Lessius & 2. *Ibid. resol.* 113.

Vide. *Emptio. vsura.*

Vicarius.

I. Vicarius potest dare facultatem absoluendi à reseruatis si Præpositus absit, nec eodem die sit reuersurus: nisi subditus sine sufficienti causa confessionem differat in illud tempus: vel in aliqua Religione aliter dispositum sit. Homobon. & 3. *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 18.

II. Vicarium Cardinalis habentem ab hoc potestatem generalem conferendi beneficia, posse eadem conferre extra diœcesim, docet Germon. Sed hoc solùm videtur verum, cum à diœcesi & Curia Romana Cardinalis abest cum licentia Papæ: Nam dum sine licentia abest, nec ipse cardinalis eam potestatem habet. Massobr. *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 43.

III. Vicarius Episcopi præcedit Archidiaconum. Barbos & 5. Imò & Abbates, & alios Prælatos Episcopo inferiores: & in choro sedendo, & ambulando vti & in processionibus, Canonicos omnes, etiam Episcopos, nisi ipse etiam esset Canonicus tunc enim sedere deberet in loco suo. Sbrozzius & Meroll. Sed alij in his contra sentiunt. Menoch. & 2. *part.* 7. *tractat.* 10. *resol.* 27. *& part.* 8. *tract.* 4. *resol.* 67.

IV. Vicarius Episcopi qui habet potestatem subdelegandi; potest absolui ab alio si incidit in casum reseruatum à suo Episcopo; nam subdelegatus à Vicario fungetur vice primi delegantis, & perinde est ac si ipse primus delegans delegasset. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 142.

V. Episcopus non tenetur constituere Vicarium generalem nisi specialis necessitas id postulet. Sanchez & 7. Quamuis plures id affirment. Azor & 10, Vicarius autem habet iurisdictionem ordinariam. Sanchez & 25. Vnde venit nomine Ordinarij quoad ea quæ ipsi competunt ex generali commissione Vicariatus: secus quoad specialiter ipsi ab Episcopo commissa. Sanchez 7 Imò venit etiam nomine Episcopi in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* ad concedendas litteras monitoriales sub excommunicatione pro rebus perditis vel ablatis. Henriq. & 9. *p.* 10. *tr.* 15. *res.* 31.

VI. Quilibet Religiosi exceptis Franciscanis possunt esse Vicarij Episcoporum ex licentia suorum Prælatorum. Sanchez & 3. Nec opus ex licentia Generalis, aut Prouincialis, sufficit immediati Superioris. Quod si Religiosus non sit exemptus sufficiet licentia vel solius Superioris immediati, vel solius Episcopi. Sanchez. Etsi aliqui tunc vtriusque licentiam requirant. Excipe tamen nisi Superior mediatus hoc sibi reseruasset: sicut in Societate IESV reseruatur Generali. Quod si autem aliquis assumeretur sine licentia, nihilominus gesta eius probabiliter valerent, Pacian & 4. cum nullus sit textus irritans. Etsi inualida ea esse doceat. Sanchez & Fragos. ex eo quòd

Monachus æquiparetur seruo cuius arbitrium est nullum : ergo multo magis sententia iudicialis. Imò non posse hodie Superiores Regularium subditis suis licentiam concedere pro munere Vicariatus ob decreta Clementis VIII. & Pauli V. docet Peyrin. Sed alij communiter censent per ea decreta non sufficienter derogatum illi potestati quæ eis competit ex vi iuris communis. *Ibidem resol.* 30.

VII. Regularis illegitimus non potest constitui Vicarius Episcopi ; quia etsi per professionem habilitetur quoad Ordines sacros, non tamen quoad dignitates. Prælationes, aut beneficia curata. Sanchez & 4. Nec per priuilegia Religionis dispensari quoad hoc potest, sed tantùm quoad Prælationes in Religione. Azor. Etsi Barbos. & Crousers velint hoc impedimentum illegitimitatis sufficienter tolli per ingressum Religionis *Ibidem.*

VIII. Vicarius Episcopi non potest sine speciali mandato instituere concursum ad parochiales Ecclesias, aut ex approbatis digniorem eligere. Meroll. Etsi contrarium doceat Garzias ex eo quòd Vicarius ex generali commissione possit exercere quæ sunt iurisdictionis nisi in casibus exceptis. Potest tamen Vicario etiam in spiritalibus tantùm committi ab Episcopo potestas conferendi beneficia ; quia etiam talis est verè Vicarius generalis. Sanchez & 5. *Ibid. res.* 23.

IX. Episcopus non potest pro libitu, & sine iusta causa deponere Vicarium, Machad. & 2. Contrarium tamen est probabile. Imò etsi iurasset non deponere, adhuc validè deponeret, & quando rationabilis esset causa, etiam licite v. g. quia Vicarius malè se gereret in administratione iustitiæ: Aliàs enim Episcopus esset periurus, nisi fortè absolutionem à iuramento obtinuisset. Rebuff. & 7. Sed quamuis Episcopus alium Vicarium constituat, non censetur tamen hoc ipso deponere priorem, quia potest duos Vicarios constituere. Panormit. & 12. Etsi multi quoad hoc contrarium doceant. Bertachin. & 7. *Ibid. res.* 24.

X. Capitulum Sede vacante tenetur intra octo dies à die scientiæ obitûs, vel translationis Episcopi ad aliam Ecclesiam, hoc est à tempore quo translatio illa approbata fuerit à Papa in consistorio, etiam ante expeditionem litterarum, eligere Vicarium qui saltem in iure Canonum sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit, idoneus. Si non eligeret deuoluitur electio statim ad Metropolitanum, aut si est Capitulum Metropolitanum ad seniorem Episcopum ex suffraganeis. Tridentinum *sess.* 24. *c.*16. Neque potest Capitulum elapsis octo diebus moram purgare, & Vicarium eligere antè quàm Metropolitanus elegerit; quia eius iurisdictio iam est deuoluta. Themud. Quamuis contrà doceant Garsia & Riccius. Validam tamen esse electionem Theologi in Vicarium prætermisso Canonista, docet Riccius. Etsi declarationes Sacræ Congregationis citentur in contrarium *p.* 8. *tr.* 4. *res.* 55. 71. *&* 56.

XI. Potest Capitulum restringere tempus octo dierum, & breuius statuere intra quod eligere debeat Vicarium. Quarant. & Genuens. Item potest eligere plures, & non vnum tantùm. Garsia & 4. Quamuis autem non sit de necessitate vt eligatur è gremio Capituli, si tamen in hoc est aliquis idoneus, ceteris paribus est præferendus. Nauar. & 3. Potest etiam eligi Parochus habens curam animarum, modò hanc habeat in eadem ciuitate, & Ecclesia non autem foris. Barbos. Nec debet necessariò esse in sacris. Meroll. Etsi id velit Nouar. Neque necesse est electionem illam fieri iuxta præscriptum *cap. quia propter de elect.* & Consilij Tridentini *sess.* 25. *de Regul. c.* 6. Ideoque nec per vota secreta: quia ibi non agitur de electione Vicarij, sed Episcoporum, vel Prælatorum Regularium. Garsia. *Ibid. res.* 65 61. 57. 58. 59. *&* 60.

XII. Capitulum potest limitare iurisdictionem Vicarij & quædam sibi reseruare. Barbos. & 2. Et generatim non transit in Vicarium tota auctoritas Capituli, etiam quoad eà quæ requirunt speciale mandatum. Barbos. &

Nouar. Etsi hoc velit Garsia Vnde non potest sine speciali mandato dispensare in casibus, in quibus Episcopus dispensat, cùm nec Vicarius Episcopi id possit. Neque potest Vicarius alium sibi substituere, nisi ad modicum tempus, & ex vrgenti causa, & rarò, vel si ad hoc habeat speciale mandatum à Capitulo, *Ibid. resol.* 62. *&* 64. *& part.* 6. *tr.* 7. *resol.* 41.

XIII. Vicarius Sede vacante non succedit Episcopo in iurisdictione delegata: vnde non potest punire Regulares concionantes sine licentia. Gauant. &2. Neque reuocare, vel suspendere licentiam concionandi, vel confessiones audiendi ipsis concessam. De Bellis & Bordon. Neque visitare monasteria monialium exempta Bauny. Et generatim non succedit in his quæ competunt Episcopo vt Sedis Apostolicæ delegato, sicut nec Capitulum Sede vacante *p.* 7. *tr.* 12. *res.* 26. 27. *&* 28.

XIV, Vicarius hic etiam absens lucratur distributiones, etsi ratione officij assignetur ei salarium. Garsia & 3. Quamuis hoc neget Barbos. *p.* 8. *tr.* 4. *res.* 67.

XV. Vicarius Sede vacante non potest exequi dispensationes, vel litteras Apostolicas in forma *dignum*, directas Episcopo, vel eius Vicario. Barbos. & 4. Vnde neque Curia Romana solet eiusmodi litteras Sede vacante dirigere ad Vicarium Capituli, sed ad viciniorem Episcopum, vel eius Vicarium: atque ita quoties diriguntur ad Vicarium seu Officialem v. g. Antuerpiensem intelligitur Vicarius Episcopi, non autem Capituli. Contrarium tamen docet Sanchez & 4. Certum est tamen non posse expedire delegationem factam Episcopo mortuo; quia nec ipsum Capitulum expedire potest causas ipsi delegatas, cum Capitulum non succedat in iurisdictionem Episcopi delegatam. Garsia. Nec contrarium probabile est, quod docet Naldus, *part.* 5. *tractat* 14. *resol.* 29. *& part.* 8. *tract.* 4. *resol* 66.

XVI. Vicarium Capituli Sede vacante non posse pro libitu, seu sine iusta causa deponi docet Zypæus & Qua-

rant. Quod tamem affirmat. Azor. & 4. Quibus ego adhærerem nisi obstaret declaratio Sac. Congregationis. Quamuis etiam contrariæ declarationes adferantur. Quod si Capitulum deponeret Vicarium, teneretur intra octo dies eligere alium, aliàs ius statuendi deuolueretur ad Metropolitanum, sicut in prima electione. Azor & *2.p. 3.tr.6.res. 27.& p. 8.tr.4.res. 63.*

XVII. Expirat iurisdictio Vicarij Capituli simul atque nouus Episcopus, præsentatis Capitulo literis Apostolicis, adiuit possessionem Episcopatus, & non antè. Meroll. & 4. Finito autem officio tenetur stare syndicatui, & reddere rationem administrationis suæ nouo Episcopo, à quo etiam puniri potest, si deliquerit. Riccius & *6.p.8.tr. 4.res.69.70.& 15.*

XVIII, Vicarius generalis exercitus habet iurisdictionem ordinariam independentem ab alijs Ordinariis vel ex delegatione Pontificia: vel etiam vt quidam volunt ex consuetudine immemoriali. Quam tamen in Belgio ita temperauit Pontifex per Breue A 1597. vt non comprehendat eos qui sunt in propria diœcesi sub qua illorum Ordinarij iurisdictionem suam in eos exercere possunt. Vnde sub quibusdam articulis quoad hoc inter eos conuentum est. Zypæus. *p. 10.tr.15.res.15.*

Virgo.

I. NOn licet ad tuendam Rempublicam tradere Tyranno virginem quæ scitur ab ipso violanda, sicut ipsa virgo non tenetur ad ipsum ire. Lessius & Dicastill. Quidam tamen contrarium docent. Io. Pontius. Ideo tu cogita. Potest tamen Respublica illam vrbe excludere, & non tueri; cum ad hoc non teneatur cum tanto suo damno. Lessius & Dicastill. *p.11.tr.6.res.51.*

II, Virginis corruptor qui nullam vim adhibuit, aut dolum, sed precibus, blanditijs, & persuasionibus illam induxit ad consensum, non tenetur ad restitutionem, nisi

Votum.

I. VOtum de non procurando, vel acceptando Episcopatu, vel officio Iudicis, Senatoris &c. validum est. Suar. & 5. *p.* 6. *tr.* 7. *ref.* 27.

II. Qui dubitat an votum emiserit, vel an sufficientem habuerit vsum rationis, non tenetur. Quando autem vouit post septennium, præsumitur pro voto. Suarez & Sanchez. Etsi contrarium doceat Sotus & 2. Hinc I. certus se vouisse Religionem, sed dubius an aliquam in particulari, potest quamlibet ingredi. Vel qui vouit non accedere ad feminam, & dubitat an intellexerit de accessu fornicario tantùm, an etiam maritali, potest vxorem ducere. Sancius & 2. II. si dubitet an solùm vouerit Religionem ingredi an etiam profiteri, non tenetur post ingressum in eâ perseuerare. Sanchez. III. sciens se vouisse castitatem, sed immemor sub quibus verbis, & dubius an perpetuam, an temporalem, ad hanc solam tenetur. Verba autem *Voueo castitatem*, sonant perpetuitatem. Sanchez IV. Qui vouit dare Ecclesiæ aliquot mensuras, vel nummos, & dubitat quos intellexerit, potest dare minores. Ratio in his omnibus est, quia in dubio votum tantùm obligat ad id quod minus est. Sanchez & 4. Quæ vera sunt, etiamsi quis magis inclinaret in eam partem, quod votum emiserit. Sanchez & 5. *p.* 4. *tr.* 3. *ref.* 10. 11. 36. 48. *&* 12. *& p.* 2. *tr.* 15. *ref.* 9. *& tr.* 17. *ref.* 45. *& p.* 3. *tr* 6. *ref.* 50.

III. Qui vouit expressè castitatem & Religionem, in dubio de intentione, censetur illam vouisse per se & independenter à Religione; hoc enim sonant ea verba expressa: sin autem solam Religionem expresserit, & dubitet an simul etiam intenderit castitatem: non censetur eam simul intendisse. Quodsi meminerit se etiam intendisse castitatem, sed dubitet an independenter à Religione, non tenetur. nisi dependenter: nam qui aliud intendit, solet vtrumque exprimere. Sanch. *p.* 4. *tr.* 3. *ref.* 42.

IV. Quando dubitatur de materia voti, an bona sit, an mala, nulla est obligatio. Sanchez & 3. Sed contrarium est probabilius Suarez & 2. *Ibid. res.* 13.

V. Qui vouit ieiunare Quadragesimam cùm non teneretur, & dubitat an comprehenderit abstinentiam à lacticiniis, non tenetur ab his abstinere. Salas & Angles. *Ibid. res.* 20. Item qui vouit certo die ieiunare, & dubitat an vouerit simpliciter, an cum dependentia à tali die: si eo die fuit impeditus, non tenetur alio ieiunare. Caietan. & Layman. Porrò in votis personalibus censetur obligatio annecti diei: in realibus verò prorogari, nisi aliud constet: vt constaret si quis singulis diebus sabbatinis vouisset dare eleemosynam in honorem B. Virginis. Castropal. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 26. & *p.* 5. *res.* 53.

VI. Votum de faciendo peccato veniali, tantùm est veniale: quia paruitas materiæ excusat. Lessius. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 160.

VII. Votum pœnale quo quis se obligauit ad aliquid faciendum, si v. g. iterum iuret, intelligitur de prima vice tantùm, nisi intendisset expresse quoties peccasset. Layman & Sà. Alij tamen volunt pœnam deberi toties quoties, quando ea non est valde grauis. Sanchez & Castrop. *Ibid. res.* 181. & *p.* 7. *tr.* 9. *res.* 60.

VIII. Qui fecit votum castitatis vel Religionis, peccat mortaliter contrahendo matrimonium, etsi habeat animum ingrediendi Religionem antè quàm illud consummet. Sanchez & 2. Contrarium tamen est probabile. Scotus & 6. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 281.

IX. Qui vouit aliquid sub conditione si alius suaserit: siue prudenter suadeat siue imprudenter, impleta erit conditio. Sanchez & Fagund. Quod limitat Trullench. si constet de tali ipsius intentione. Aliàs censetur virtualiter velle solùm ad prudens consilium se remittere. Qui autem vouisset sub conditione consensus paterni, non peccaret contra votum, etiamsi procuraret per alios, vel etiam ipse peteret ne is consentiat. Suarez & 2. *p.* 9. *tr.* 8. *res.* 4.

X, Qui vouisset castitatem non absolutè, sed tantùm quoad opus externum, non peccaret contra religionem delectatione morosâ *p. 5. tr. 13. res. 99.*

XI. Qui professionem fecit inualidè, tenetur tamen ex vi illius ad seruandam castitatem tamquam ex voto simplici. Ex *cap. placet 12. de conuers. coniung.* Sanchez & 2. *part. 6. tr. 7, res. 51.*

XII. Qui vouit Religionem ingredi si intra annum non fornicetur, quacumque ratione, malitia, vel praua intentione, etiam in fraudem voti fornicatur, etsi fortè eccet contra votum. non tamen tenetur ingredi; quia non est impleta conditio. Suarez & 4. Sed contrarium est probabilius. Fagund. & 13. *part. 4. tractat. 4. resol. 101. & p. 9. tr. 8. res. 3.*

XIII. Qui vouit aut Religionem ingredi aut vxorem non ducere, cum sit valdè procliuis ad incontinentiam, putant quidam non obligari; cùm tali matrimonium sit melius. Homobon. & 5. Contrarium tamen communiùs docent. Suarez & 4. vnde ego puto ab Episcopo dispensationem petendam, quam dare poterit; quia votum est alternatiuum. *p. 4. res. 102. & p. 10. tr. 11. res. 47.*

XIV. Qui vouit non solùm ingredi, sed etiam profiteri in quadam Religione, si tempore nouitiatûs videat eam sibi non esse accommodam, potest sine dispensatione egredi. Lessius & 4. Neque tenetur posteà iterum ingredi cessante causa ob quam exiuerat, vel expulsus erat. Suarez. Imò probabile est votum perseuerandi non aliter obligare, quam votum simplex Religionis: ideoque quando quis petit eius dispensationem, etiamsi tantùm simpliciter, exprimat se vouisse Religionem, valebit dispensatio. Texeda. *p. 1, tr. 11, res. 79. & p. 2, tr. 17. res. 10. & p. 6. tr. 7, res. 53. & p. 8. tr. 3. res. 53.*

XV. Qui vouit simpliciter Religionem, probabiliter satisfecit voto ingrediendo, etsi posteà sine iusta causa, sed ex leuitate sit egressus. Nauarr. & 3. Contrarium tamen est probabilius. Valent. & 4. Multò ergo minùs satisfecerit

si sua culpa expellatur. Tolet. Quamuis hoc etiam modo satisfactum esse voto, doceat Azor. Quod satis certum videtur quando talis mediocrem diligentiam adhibuit ad culpas suas corrigendas. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 25. *& p.* 6 *tr.* 7. *res.* 24. Item satisfacit, si religionem Equitum D. Ioannis ingrediatur; nisi aliud eum voueret, expresserit. Azor & 5. Imò & si Ordinem D. Iacobi suscipiat, prout scilicet is primùm confirmatus est ab Alexandro. III. non autem prout illa vota ab alijs posteà Pontificibus sunt immutata. Pontius. *p.* 2. *tr.* 16. *res.* 36.

XVI. Qui post votum determinatæ Religionis petiit in eam admitti, & repulsus fuit, non teneturposteà ingredi, etsi inuitetur. Suarez & 3. nisi priùs fuisset repulsus ex falsa informatione. Lessius. *p.* 6, *tr.* 7. *res.* 52.

XVII. Qui fecit votum religionis pro determinato tempore, potest tamen illud differre, ob necessitatem sororis cuius pudicitia ex paupertate periclitetur. Sanchez & Trullench. Etsi alij id negent. Suarez & Castropal. *Ibid. resol.* 54.

XVIII. Qui vouit singulis mensibus confiteri, vel communicare, satisfacit etsi per duos, vel tres dies vltra mensem differat. Imò si intra octo dies à mense elapso sequeretur solemnis aliquis dies, vel iubilæum, posset tamdiu differre, si ægrè bis infra octo dies confiteretur. Idemque est de anticipando, ex simili causa. Sancius. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 100.

XIX. Qui vouit ieiunare per mensem v. g. non tenetur ieiunare diebus Dominicis, nisi expresse hos comprehendere intenderit suo voto: idemque est quoties ieiunium ex voto incidit in Dominicam; quia votum illud regulandum est iuxta consuetudinem Ecclesiæ quæ diebus Dominicis non ieiunat. Tenetur tamen tunc abstinere à carnibus qui ab his eo mense abstinere vouisset. Et idem est de ouis vel lacticiniis; quia hoc non est contra morem Ecclesiæ sicut prius. Bossius & 2. *p.* 9. *tr.* 8. *res.* 6. *& p.* 10. *tr.* 16. *res.* 50.

XX. Qui vouit legere rosarium potest illud legere cum socio. Trullench. Etsi hoc neget Castropal. Et satisfaciet etsi legat cum notabili interruptione etiam in ipsismet decadibus. *p. 9. tr. 8. res. 6.*

XX. Qui vouit B. Virgini *Pater & Aue* vel *Salue Regina* quotidie, & non recitat, non videtur peccare mortaliter; quia quando materia voti est res parua, etsi sit totalis, eius violatio solùm est venialis: (Sanchez & 7.) etiamsi vouens contrarium intendat. Aliud esset si vouisset quotidie dare paruam eleemosynam; quia hæ paruæ materiæ coalescunt in vnam. Tanner. & 4. *p. 3. tr. 5. res. 24 & p. 5. tr. 5. 36. & 50.*

XXII. Plura vota parua eodem die violare, non est mortale; quia illa, ratione eiusdem temporis, non coniunguntur inter se. Suarez & Castropal. *p. 5. tr. 5. res. 55.*

XXIII. In voto, vel iuramento non bibendi vinum, mortale erit, si semel contra fiat; sed requiritur tanta potati vini quantitas, quæ in prandio vno sufficere possit pro potu communiter vtentis moderatè vino: multò magis in voto ieiunandi in pane & aqua, erit mortale semel bibere, quia frangeretur id ieiunium. Sanchez. *part. 5. tract. 5. resol. 37.*

XXIV. Qui vouit recitare septem psalmos, & non potest eos integros recitare, non tenetur ad partem: quia materia est indiuidua: Multò minus tenebitur vnum psalmum ex illis septies recitare si hunc recitare possit de memoria, & careat libro pro aliis. Sanchez contra Sancium *p. 3. tr. 5. res. 61.*

XXV. Renouatio votorum non confert remissionem omnium peccatorum sicut prima emissio. Sanchez & 2. Quamuis id affirmet Layman: Imò probabiliter quoties quis internò affectu ea renouat ita vt vellet iterum vouere si non vouisset, idem docet Villalob. *part. 4 tractat 4. resol. 180.*

Voti relaxatio.

XXVI. Omnia vota vxoris, ſaltem ſtante matrimonio facta, à marito irritari poſſunt, non minùs quàm vota Religioſi à Prælato, & impuberis à patre. Sanchez & 8. Etſi hoc neget Suarez & 6. Item vota emiſſa ante matrimonium. Quod intelligendum eſt etiam de marito ſecundi matrimonij, qui poteſt irritare vota quæ fecit vxor tempore prioris matrimonij. Sanchez. *part.* 3. *tractat.* 4. *reſol.* 220.

XXVII. Eadem vera ſunt etiam quoad vota emiſſa pro tempore ſoluti matrimonij, vt ſi vouiſſet eo caſu ſeruare caſtitatem, vel Religionem ingredi: nam ſi maritus irritet illud votum, poterit ſoluto morte viri matrimonio, aliud contrahere. Sanchez & Præpoſit. Imò etſi ante matrimonium conſummatum emitteret votum Religionis ingrediendæ, poſſe à marito irritari, docet Præpoſit. Quod tamen negat Sanchez. Item etiamſi illa vota emiſſa eſſent cum licentia mariti. Neque vir illa irritando, etiam ſine cauſa, peccabit niſi venialiter, quatenus inconſtanter retractat quod conceſſerat. Sanchez & Præpoſit. Quod ſi mutuo conſenſu caſtitatem vouiſſent, & iuri petendi renunciaſſent, nihilominus illicitè quidem, ſed validè vxoris votum irritari poſſe à marito, docet Præpoſit. contra Sanchez. *p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 110.

XXVIII. Superiores habentes poteſtatem dominatiuam in alios v. g. in vxorem, filium, ſeruum, ſubditum religioſum, probabiliter poſſunt irritare illorum vota, etiam implenda tantùm tempore ſolutæ ſubiectionis. Sanchez & 2. excepto fortè voto ſerui relato in tempus libertatis. Sanchez. Idem poteſt Tutor reſpectu impuberis. Imò poteſt adhuc illa irritare pater poſt pubertatem filij: niſi tunc filius ea ratificauerit. Leſſius & 4. Non cenſetur autem ratificaſſe niſi conſcius infirmitatis prioris voti velit ſe de nouo obligare ac ſi obligatus non eſſet Caſtropal. In

dubio autem an ratificauerit, vel an post pubertatem, iudicandum est negatiuè. Idem potest Curator, qui pro tunc fuerit substitutus, Sanchez & 4. Item & mater si ipsa Curatoris officium exerceat, alias non Castropal. *Ibidem resol. 29. & part. 6. tractat. 7. resol. 22. & part. 9. tractat. 8. resol.* 14. & 15.

XXIX. In dudio an votum emissum sit antè pubertatem, vel minorenni, potest pater illud irritare, vel alij habentes potestatem irritandi. Quod verum est etsi dubium versaretur circa tempus subiectionis v. g. si vxor dubitet, an ante matrimonium votum emiserit. Sanchez & 3. *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 37.

XXX. Non potest Superior religiosus vota à subdito emissa posteà irritare quando is assumptus est ad Episcopatum, vel Cardinalatum Castrop. & 2. Etsi contrarium doceat Sà. *p.* 6. *tr.* 7. *res.* 26.

XXXI. Qui potest dispensare in votis, vel ea commutare, potest eadem in iuramentis: quia vinculum voti arctius est. Sà & 2. Item qui habet potestatem delegatam dispensandi, potest etiam ea cummutare: quia hoc minus est. Layman & 3. Licet contrarium etiam probabile sit. Sanchez. *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 25.

XXXII. Possunt Regulares dispensare vel commutare vota peregrinandi etiam vltra duas diætas. Leone. Etsi id neget Peregrin. Sunt autem duæ diætæ, 20. leucæ. Sanchez & 2. Per Bullam autem possunt commutari omnes peregrinationes præter transmarinas, atque adeò etiam vota eundi Romam, vel Compostellam. Villalob & Fernand. *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 121. & *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 68. Imò si vota reseruata fuerint commutata in aliud, illud poterit iterum per Bullam commutari. Suarez & 6. Item si vota ea sint emissa cum intentione obligandi se tantùm sub peccato veniali, erunt per Bullam commutabilia, etiam facta cum intentione se obligandi, vt solus Papa possit commutare. Suarez & 5. Item si sint emissa propter leuem metum: quia non sunt omninò libera, ac proinde non censetur reseruata Lessius

& 6. Imò probabile ex votum eſt leui metu eſſe irritum, Nauarr. *p.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 71. 72. 75. *&* 73. *& part.* 5, *tract.* 12. *reſol.* 61.

XXXIII. Votum Religionis Melitenſis non poteſt priuilegio Bullæ commutari: quia Equites Melitenſes ſunt vere Religioſi, ita vt per profeſſionem huius Religionis dirimatur matrimonium ratum. Henriquez & 13. *part.* 1. *tr.* 11. *reſol.* 77. Votum autem Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ poteſt, quia ſub opinione eſt an ſit reſeruatum necne. Sanchez. *Ibid. reſ.* 78.

XXXIV. Votum Religionis, vel caſtitatis emiſſum ab eo qui eſt ſub alterius poteſtate; ſecundum Gutierrez eſt per Bullam, vel Epiſcopum commutabile: quia ſi pater, dominus, maritus poſſunt illa vota irritare, ergo poterit & Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſarius per Bullam commutare. Sed negant communiter alij. Suarez & 2. *Ibidem reſol.* 84.

XXXV. Poteſt Confeſſarius vi Bullæ commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare vt Epiſcopus, (idem eſt de Iubilæo) non autem vt Sedis Apoſtolicæ delegatus. Sanchez & 4. *Ibid. reſ.* 56. Item poteſt commutare votum ingrediendi religionem arctiorem, in votum ingrediendi laxiorem: erogata tamen aliqua eleemoſyna in ſubſidium belli. Sanchez & Texeda. Etſi id neget Suarez. *Ibid. reſ.* 55. *& p.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 27.

XXXVI. Non ſunt reſeruata vota, vel iuramenta caſtitatis, vel Religionis I. pœnalia (Sanchez & 8.) aut verè conditionalia, etiam poſt impletam conditionem, quamuis etiam tunc eſſent confirmata: quia qui ſic vouit, non elegit votum vt tale eſt, ſed potiùs vel ex pœnæ metu, vel ex amore rei ſub conditione poſitæ, quod eſt contra perfectam rationem voti Religionis, & Caſtitatis. Sanchez & 3. II. votum caſtitatis emiſſum pro certo tempore. Sanchez & 16. III. votum non petendi debitum etiam de vtriuſque coniugis conſenſu: quia non eſt votum integræ caſtitatis Sanchez & 7. IV. votum non nubendi, niſi fuiſſet emiſſum

in fauorem alterius coniugis, propter filiorum bonum, vel similem causam. Sanchez & 16. V. votum virginitatis, quando constat non esse votum castitatis, sed solius integritatis corporis seruandæ: si tamen qui vouit, dubius est de sua intentione, censetur votum castitatis absolutæ. Sanchez & 6. Etsi contrarium doceat Portel & Vidal. VI. votum non fornicandi, non committendi actum mollitiei *&c.* quia non sunt perfectæ castitatis. Lessius & 7. VII. votum castitatis coniugalis. Sanchez & 3. VIII. votum disiunctiuum, cuius altera pars est reseruata, v. g. *Voueo castitatem, vel sacros Ordines*, etiamsi vna pars per accidens alicui facta esset impossibilis, ita vt non posset implere, nisi partem quæ est reseruata. Suarez & Sanchez. Imò etsi vouens statuat non eligere partem non reseruatam. v. g. ad sacros Ordines non promoueri, & reliquam partem voti eligat v. g. seruare castitatem, modò non accedat noua promissio, adhuc poterit votum illud commutari, vel dispensari, & vouens mutata voluntate rursus alteram partem eligere. Malder. & Bossius. IX. votum suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, sed assumendi statum, cui annexa est castitas. Suarez & 12. *p.* 1. *tr.* 11. *re.* 53. 54. 69. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 81. 63. 65. 64. *&* 74. *& part.* 5. *tractat.* 12. *resol.* 60. *& part.* 6. *tract.* 8. *res.* 16. *& p.* 10. *tract.* 15. *resol.* 47.

XXXVII. Votum disiunctiuum cuius vtraque pars est reseruata v. g. Religionis vel castitatis est absolutè reseruatum. Suarez & 3. Nec admittendum est quod contrà docet Pasqualig. *p.* 11. *tr.* 7. *res.* 17.

XXXVIII. Quoties dubium est de valore voti, non est reseruatum: & per consequens quando est emissum ex metu cadente in virum constantem, potest Episcopus dispensare. Imò idem potest in votis ex leui metu factis; quia non sunt perfectè voluntaria. Henriquez & Mendo. Idem est quoties dubitatur an votum sit reseruatum. Item qui certus est se vouisse castitatem, sed dubitat an habuerit animum se obligandi, etsi teneatur seruare votum, tamen

illud non est reseruatum. Sanchez. *part.* 4. *tractat.* 3. *resol* 59. *&* 4.

XXXIX. Quando quis diuersis votis varia ad castitatem pertinentia promisit, possunt singula atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus simul iunctis consurgat obligatio perfectæ castitatis: quia posteriora se habent per accidens ad priora: nisi vouens intendat ea coniungere. Sanchez. *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 67.

XL. In casu magnæ necessitatis potest Episcopus dispensare in voto Religionis, vel castitatis, vt si quis moriturus velit concubinam ducere ad legitimandam prolem: aut si puella sentiat ita se tentationibus vrgeri, vt timeat frequentes lapsus, & inde infamiam, ita vt postea vix possit nubere: Denique in graui periculo incontinentiæ quod aliter auerti non potest. Suarez & 13. Non possunt tamen Regulares per sua priuilegia tunc dispensare, quia Episcopi solum id possunt ex præsumpta voluntate Pontificis ratione illius necessitatis, non autem iure ordinario. Suarez & 10. Quamuis illud etiam affirmet Murcia & 2. Similiter neque id licebit virtute Bullæ Cruciatæ, vel iubilæi. Leand. & 2. Quidquid contradicat Pasqualig, Neque vmquam id potest Parochus etiamsi non pateret aditus ad Episcopum. Sanchez & 2. *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 50. *& p.* 9. *tr.* 6. *res.* 56. *& tr.* 9. *res.* 61. *& p* 10. *tr.* 11. *res.* 47. *& p.* 11. *tr.* 8. *res.* 5. *&* 6.

XLI. Potest virtute Cruciatæ commutari votum castitatis emissum ab altero coniugum post matrimonium consummatum, sine mutuo consensu: neque enim est votum omnimodæ castitatis, cùm teneatur reddere debitum: illo tamen matrimonio soluto, qui ita vouit tenetur seruare votum simplicis castitatis. Sanchez & 5. *part.* 1. *tractat.* 11. *resol.* 70.

XLII. Votum castitatis emissum cum licentia alterius coniugis, absque animo ingrediendi Religionem est commutabile. Quod si vterque communi consensu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, adhuc poterit Episcopus dispensare: cum sit morale

periculum incontinentiæ, & non possit ita breui tempore adiri Pontifex. Pontius. Non tamen posset commutari per Bullam vel priuilegia Regularium: quia Episcopus non potest hoc ex potestate ordinaria, sed ex quodam tacito consensu Papæ, & benigna voluntatis eius interpretatione. Pontius & 2, Quod si tamen remitterent sibi mutuo illam renuntiationem iuris petendi, & conferrent iterum potestatem suorum corporum: quamuis id facerent sacrilegè contra votum, facerent tamen validè, & tenerentur iterum reddere, & per consequens posset votum commutari, vel dispensari. Sanchez *Ibid. ref.* 82. & *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 125.

XLIII. In voto castitatis emisso post contractum matrimonium, ante consummationem, posse dispensare Episcopum, docet Pontius (contra Sanchez) eò quòd talis, illo non obstante, non teneatur ingredi Religionem, & per consequens esset ibi notum periculum incontinentiæ. *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 125.

XLIV. Qui habet votum castitatis & Religionis potest petere dispensationem in solo voto castitatis non facta mentione voti Religionis. Pontius & Castrop. Contrarium est in voto non nubendi: quia non potest esse causa dispensandi in hoc, stante voto Religionis, sicuteſt in voto castitatis, ne contra hoc peccet vel tempore Nouitiatûs, vel si fortè egrediatur Religione. *part.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 56.

XLV. Votum Religionis commutari potest, vt tempore; præscripto ex iusta causa non impleatur, dummodò non ita differatur, vt sit periculum ne non possit impleri. Sanchez & 2. Similiter si quis vouit mendicando adire sanctum Sepulchrum, potest Confessarius commutare, vt adeat sine mendicatione: quia est tantùm qualitas adiuncta substantiæ voti. Lessius & 6. *part.* 1. *tractat.* 11. *resol.* 80. & 83.

XLVI. Votum vouendi castitatem, seu Religionem est commutabile: quia non est votum castitatis, nec Religio-

nis. Suarez & 2. *Ibidem resolution* 76.

XLVII. Potest commutari votum emissum in fauorem tertij, v. g. sacelli alicuius, vel pauperum, dummodò illud non fuerit acceptatum; quia eiusmodi votum non tribuit vllum ius iis in quorum fauorem fuit emissum. Suarez & 4. Vnde & propria auctoritate poterit quis illud in melius commutare dando alteri homini, vel Ecclesiæ pauperiori. Post acceptationem tamen commutari non potest. Quamuis etiam hoc admittat Fagund. *Ibid. res.* 47. *& p.* 6. *tr.* 6. *res.* 61.

XLVIII. Qui vouit certo pauperi dare eleemosynam, potest propria auctoritate illam dare alteri pauperi: numquam tamen potest eam sibi applicare; quia hoc non habet rationem eleemosynæ. Sanchez vterque *part.* 5. *tract.* 8. *resol* 37.

XLIX. Si quis iurauit se v. g. numquam aleâ lusurum, aut si ludat, certam pecuniam eleemosynæ nomine daturum, potest obtinere dispensationem, etiam quoad pœnam pecuniariam ex iuramenti, seu voti violatione incursam. Sanchez & 8. *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 46.

L. Votum ingrediendi Religionem non potest quis propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus. Lessius & 2. Etsi quidam contrà putent. Sà & 3. *p.* 6. *tr.* 6. *res.* 62.

LI. Ad commutandum votum in bonum æquale, non est opus priuilegio. Henriquez & 2. Imò potest pœnitens id facere propria auctoritate. Henriquez & 3. Neque tunc opus est iusta causa. Villalob. Etsi communiùs alij in his contra sentiant. Suarez & Sanchez. Sic qui votum fecit quotidie audiendi Missam, si quando detineatur in colloquiis amicorum vel negotiis à quibus se non potest commodè expedire, posset pro eo die in aliud opus melius, vel saltem æquale commutare. Quamuis autem commutatio fiat per Bullam Cruciatæ, si quis commutet in non æquale, peccabit mortaliter. Vti & si commutet sine debita inuestigatione æqualitatis. Sanchez. Sufficit tamen æquali-

tas moralis, vel etiam dubia. Suarez & Porel• Quando verò Regulares per sua priuilegia commutant, possunt probabiliter mutare in opus minus. Lessius & Medin. contra Suarez & 3. *p.* 1. *tr.* 11. *ref.* 48. *&* 49. *& p.* 2. *tr.* 16, *ref.* 7. *& p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 25.

LII. Quamuis ad commutanda vota etiam in bonum æquale, extra casus Iubilæi, vel Bullæ, sit opus aliqua causa, sufficit tamen leuis & parua, v. g. si vouens hilariùs implebit aliud: (Lessius & Fernandez) imò quia petit. Sanchez. Quòd si Sacerdos commutet votum in æquale sine legitima causa, peccabit tantùm venialiter, & valebit commutatio; quia abusus potestatis est in re leuissima, neque magnum detrimentum infertur cultui diuino. Sanchez. *p.* 2, *tr.* 16, *ref.* 8.

LIII. Commutatio votorum per Bullam, vel priuilegia Regularium, vel iubilæum, fieri potest extra confessionem Sacramentalem. Sanchez & 13, Neque necesse est vt commutans vel dispensans sit Confessarius eius qui vouit, sed satis est quod sit approbatus vt possit eius confessionem audire. Villalob. *p.* 1. *tr.* 11. *ref.* 45. *& p,* 3. *tr.* 2. *ref.* 9, *& p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 8. *& p.* 5. *tr.* 12. *ref.* 39,

LIV. Potest Confessarius differre commutationem voti, etiamsi annus Cruciatæ transeat, dicendo pœnitenti: *Commuto tibi hoc votum in id quod postea indicauero iniungendum:* nec peccabit pœnitens, si votum illud violauerit antequam Confessarius quidquam iniunxerit; quia iam obligatio illius est extincta, & translata in aliud, quod pœnitens in genere acceptauit. Sanchez & 2. *tart.* 1. *tract.* 11. *resol.* 52.

LV. Post commutationem voti, integrum est vouenti redire ad prius votum, etiamsi commutatio facta fuerit in melius; quia facta est in fauorem vouentis: ergo potest illi renuntiare. Si tamen vouens acceptasset illam ad maiorem Dei cultum, & honorem, non posset ad prius votum redire; quia tunc commutatio facta esset in fauorem Dei. Sanchez & 2. Quod si sapius facta fuerit commutatio,

satisfit voto per quidlibet ex illis in quæ commutatio facta est. v. g. si votum peregrinationis annuæ fuit commutatum in menstruam confessionem, & hæc in ieiunium hebdomadarium, & hoc in certas preces quotidianas, potest satisfieri singulis annis vel per illam peregrinationem, vel confitendo singulis mensibus, vel hebdomadatim ieiunando, vel recitando quotidie illas preces. Lessius. *Ibid. resol.* 85. *& part.* 2. *tract.* 16. *res.* 6. *& p.* 3. *tract.* 5. *res.* 25. *& in Addit.* 3. *p. res.* 18.

LVI. Omnia vota tam in sæculo, quàm in nouitiatu emissa, per solemne Religionis extinguntur. Idem dic de iuramentis. Sanchez & 2. *p.* 3. *tr.* 6, *res.* 65.

LVII. Vota peculiaria quæ in quibusdam Religionibus emittuntur præter tria substantialia, vt vitæ quadragesimalis apud Minimos, non acceptandi Prælaturas extra Religionem, vt fit in Societate Iesv &c. non possunt per Generalem irritari, commutari, vel dispensari. Suarez & 5. Etsi hoc affirmet Miranda. *part.* 6. *tract.* 8. *res.* 34.

LVIII. Senex sexagenarius ratione ætatis excusatur à voto Religionis quod antè fecit: nisi post sexagesimum annum illud votum emisisset; aliàs habetur ineptus ad explendum votum, tamquam perpetuo morbo laborans. Fagund. *p.* 9. *tr.* 8. *res.* 2.

Vsura.

I. NOn possunt Principes sæculares etiam ex iusta causa dare Iudæis positiuam licentiam exercendi vsuras, sine auctoritate Pontificis; quia est contra Canones. Lugo & 4. Etsi id affirmet Vvading. & Nauarr. *p.* 9. *tr.* 9. *res.* 14.

II. Mutuare aliquid cum pacto vt is qui accipit mutuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum beneficium, est Simonia & vsura; cùm enim illa obligatio tollat libertatem Collatori, est pretio æstimabilis. Medin. & 5. Si quis tamen mutuum det non vt pretium beneficij, sed vt

prouocet amicitiam Collatoris, aut vt ei gratiam præstet quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur conferendo beneficium, probabile est nec vsuram, nec Simoniam fore. Malder. & Soria. Similiter ab vtraque excusat Lessius, si non intercedat pactum iustitiæ, sed solius amicitiæ. Imò etsi adsit præsentatio vel collatio beneficij statim conferendi quæ deducatur in pactum, non esse vsuram, docet Nauarra; eò quòd obligatio ad statim, cùm modico tempore duret, non sit pretio æstimabilis. *p. 1. tr. 8. ref. 61. & p. 11. tr. 7. ref. 23.*

III. Etsi sit vsura mutuare v. g. 100. ita vt mutuatarius cogatur partem in mercibus accipere; cùm sic obligetur ad emptionem sibi non necessariam; potes tamen in praxi idem facilè obtinere licitè, si nolis tantum mutuum concedere, sed offeras illi merces emendas quas deinde aliis vendat, etsi fortè cogetur eas minoris vendere, hoc enim suæ necessitati debet imputare, quia tu non coëgisti ad sic vendendum. Castropal & 2. *p. 11. tr. 7. ref.* 24.

IV. Potest quis pro pecunia data mercatori accipere in fine anni. v. g. quinque pro centum, modò (licet tacitè & implicitè) intendat celebrare tres contractus. I. societatis. II. assecurationis capitalis. III. venditionis lucri incerti pro certo. Bonacin. & 10. *p. 1. tr. 8. ref.* 30.

V. Si quis bona fide celebrauit contractum vsurarium, quem si cognouisset iniquum, alium iustum celebrasset; probabile est illum posse tantum lucri retinere, quantum per contractum licitum acquisiuisset. Sà & 2. *Ibid. ref.* 47. *& p. 3. tr. 5. ref. 92. & p. 11. tr. 7. ref.* 24.

VI. Etsi pecunia tua non sis negotiaturus, tamen ipsum non posse negotiari est grauamen: & posse, est pretio æstimabile quare non teneri aliquem hoc perdere gratis, sed posse velle sibi compensari ab altero in cuius gratiam eo se priuat dando illi mutuum, docet Caram. Qui & addit, quia pecunia præsens pluris valet quam futura, si 90. aurei præsentes prudentum iudicio æquiualent 100. soluendis post annum, nihil accipi ibi supra sortem. Sed hæc

aliis non placent. *part. 9. tractat. 6. resol. 24.*

VII. Probabile est chirographa immutata minori pretio emi posse: Id est, ius, v. g. ad 100. aureos soluendos intra annum, posse nunc emi minoris, putà 96. aut 97. aureis, idque secluso lucro cessante, damno emergente, vel quod difficilis aut ambigua sit solutio, sed solùm quia pecunia presens pluris æstimatur quam futura. Nauar. & 8. Contraria tamen sententia est cummunior. Lessius & 11. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 46. *& p.* 9. *tr.* 6. *res.* 24.

VIII. Si Petrus debet Ioanni 100. aureos soluendos post annum, & nunc vult illi soluere 50. cum hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios 50. nulla est vsura; quia vnum mutuum datur pro alio. Malder. & 3. Etsi contrarium doceat Bonacin. *part.* 1. *tract.* 8. *res.* 63. *& part.* 9. *tr.* 6. *res.* 24.

IX. Licet tradere pecuniam tradenti rem v. g. domum hoc pacto vt ipse vtatur domo, alter pecunia, modò adsit titulus lucri cessantis in eo qui pecuniam tradit, & pactum retrouendendi in fauorem vtriusque, ita vt ipse teneatur restituere rem, si alter pecuniam restituat. Bonacin. *p.* 1. *tr.* 8. *res* 28.

X. Contractus quo quis rei venditæ fructibus sibi seruat donec soluatur pretium, non est vsurarius, quamuis neque emptor sit in mora soluendi, neque venditor ex pretio statim soluto aliquid esset lucraturus. Sanchez & 3. *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 139.

XI. Vt sciatur quantum possit exigi ratione lucri cessantis, hæc statui potest regula: Vt qui mutuat, tantùm remittat ex lucro cessante, quantum ipse daret alteri qui ipsum redderet securum de toto lucro sperato, in seipsum suscipiens quidquid est periculi: & v. g. si quis speraret lucrum 15. pro 100. & libenter daret 5. pro assecuratione, debet tantùm accipere 10. pro lucro cessante. Lessius & 2. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 64.

XII. Videtur non paucis probabile (etsi DD. communiter contrarium doceant) mutuantem posse deducere in pactum

pactum eam iuris naturalis obligationem, qua ex gratitudine tenemur benefacere nostris benefactoribus, dummodò mutuatarius nihil inde patiatur incommodi Possum v. g. tibi mutuare ' vt mihi cum opus habedo remutues, vel in meo molendino molas, vel à me iusto pretio emas; quod enim sine incommodo mutuatarij fieri potest, non est pretio æstimabile, ideoque si deducatur in pactum, non est vsura. Rodriquez & 8. *Ibid· ref.* 59. Sicut neque si deducatur in pactum, vt, mutuatarius statim emat, vendat, remutuet &c. nam ita nulla, causa mutui, imponitur obligatio pretio æstimabilis, cum mutuatarius non maneat in posterum ad aliquid obligatus. Sicut & hic contractus non videtur vsurarius: *Do tibi mutuò* 100. *aureos. vel* 100. *amphoras vini, vt mihi vicissim mutues* 100. *modios tritici*; hæc enim obligatio imposita mutuatario, parum est onerosa. Layman & 3. *Ibid. ref.* 60.

XIII. Eodem modo posse aliquem mutuare cum conditione vt post annum v. g. vicissim detur mutuum, vel aliquod donum &c, aut aliàs mutuum non continuetur vlterius, docet Io. Pontius. Imò in omnibus similibus pactis si imponatur sola obligatio gratitudinis, aut fidelitatis, non autem strictæ iustitiæ, non erit vsura. Hurtad. & 5. *p.* 11. *tr.* 7. *ref.* 23.

XIV. Non est vsura accipere aliquod domum à mutuatario, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante; quia non exigitur illud munus vi mutui, neque ex debito iustitiæ, cum nullum interuenerit pactum, sed tantùm ex gratitudine. Molin. & 4. *p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 62.

XV. Quando debitor non soluit tempore præfixo & ob id creditor cogitur cum interesse ab alio accipere mutuum, non tenetur de hoc monere debitorem: quia mora debitoris iam creauit illud damnum creditori. Mal der. & 2. *Ibid· ref.* 87.

XVI. Debitor qui est in mora, non tamen culpabili, non tenetur suo creditori ad interesse damni emergentis, nisi præcesserit pactum de soluendo interesse procedente

Ddd

ex morâ inculpabili ; quia omissio ineuitabilis nullam habet rationem iniustæ acceptionis, aut retentionis quæ sit radix obligationis ad restitutionem. Salas & 6. Contrarium tamen docet Molin eò quòd ipsa præfixio termini solutionis tacitè ac virtualiter inuoluat pactum. *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 49.

XVII. Ex pecuniâ antè debitâ potest constitui census sine vsura, vel etiam tradendo aliquas merces in pretium; quia solennitas illa à Pio V. requisita vt non constituatur nisi numeratâ pecuniâ tempore contractus, non facit ad iustitiam contractus, sed tantùm ab obuiandum fraudibus, ideòque spectat solùm ad forum externum. Lessius & 10. Item ex pensionibus non solutis potest quis redditum & censum antiquum augere, vel nouum constituere. Salas & 2. *p.* 1. *tr.* 8. *res.* 44.

XVIII. Potest quis sumere mutuum ab vsurario sub vsuris, non tantùm ad necessaria, sed etiam ad conuiuia, torneamenta &c. iuxta exigentiam status ; quia non videtur cooperari malitiæ vsurarij. Sanchez & 6. Et quamuis ad vana, & inutilia dictam pecuniam peteret, non esset nisi veniale. Sanchez & Salas. Imò idem liceret petere ab homine non exercente vsuras, quem tamen scires eas exacturum, sed tunc requireretur maior causa : sufficeret tamen petere ad torneamenta, vel similia quæ sine decore non posses omittere. Hurtad. Quare etiam ipsas vsuras soluere, non est peccatum Pontius. *Ibid. res.* 31. *&* *p.* 5. *tract.* 7. *resol.* 8. *&* 12.

XIX. Deponere pecunias apud vsurarium qui scitur illis abusurus ad vsuras non est peccatum si fiat ex iustâ causâ : si sine causâ, erit contra caritatem, non tamen contra iustitiam. Molin. & 2, Imò etiam tunc ab omni peccato excusat Bannez & 2. *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 11.

XX. In vsura cur non dabitur materia parua, si probabilis sententia hanc statuit in Simoniâ ? sed tu cogita. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 30.

Vide *Mutuum Venditio.*

Vxor.

I. POteſt vxor, inuito marito, dare in eleemoſynas, aut expendere in alios vſus honeſtos, vigeſimam partem annui cenſûs, vel lucri: vt ſi poſſideant ſimul mille florenos annuè, poterit vxor dare quinquaginta; eſt enim irrationabiliter inuitus, cum eiuſmodi donationes, & eleemoſinæ pertineant ad decentiam ſtatûs. Molina & 10. Quod ſi ſua arte vel induſtria aliquid lucretur ſine detrimento domeſticæ gubernationis & familiæ, poterit de eo eleemoſynas facere, niſi ipſa familia indigeret. Leſſius & 3. Item poteſt neceſſaria ſuppeditare filiis ſuis ex priori marito, ſi indigeant; quia irrationabile eſſet ſi vir eam licentiam negaret. Idem dicendum eſt de fratribus. Caſtropal. & 2. Tenebitur tamen vxor in ſua parte illa computare ſoluto matrimonio. Leſſius & 2. *p.* 2. *tr.* 15. *reſ* 33. *&* *p.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 34. *&* *tr.* 8 *reſ.* 34 Item poteſt inuito marito moderatas eleemoſynas facere vt impetret eius conuerſionem à malo ſtatu, vel ne Deus eum puniat, Vaſquez & 12. *p.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 23.

II. Vxor poteſt inuito marito donationes facere, ſicut aliæ mulieres ſuæ conditionis. Item ad impediendum damnum mariti (vt Abigail) etiam ſpiritale. Item ſi maritus ſit diſſipator, poteſt clam accipere, vt ſibi & liberis conſulat. Caſpenſ. & 3. Maritus etiam non poteſt de bonis communibus exceſſiuas donationes facere, nec parentibus alimenta aſſignare, nec mulctam ob delictum v. g. homicidium ſoluere, ſed debet de ſuis bonis ea præſtare. Sanchez, *p.* 8. *tr.* 6. *reſ.* 10. *&* 11.

ADVERTENDVM.

Resolutiones tractatuum hic semper citari iuxta ordinem seruatum in editione Antuerpiensi apud Ioannem & Iacobum Meursios, cùm in aliis quibusdam editionibus resolutionum numerus in pluribus tractatibus, vel turbatus sæpius fit, vel ab his numeris diuersus ad duas saltem aut tres vnitates. Citantur autem hic resolutiones etiam secundùm errores qui in Antuerpiensem editionem irrepserunt, in qua aliquoties idem numerus resolutionis in eodem tractatu repetitur sic in *p. 3. tr. 5.* bis ponitur *res. 75.*

Item in *part. 5. tract.* 10. ponitur bis *resol. 64.* & in *tract. 12.* bis *resol. 56.*

Item in *part* 7. *tract. 6.* bis *resol. 7.* & in *tract.* 7. bis. *resol.* 43.

Item in *part. 9. tract.* 7. bis *resol.* 51. vbi etiam tunc ommittitur *resol.* 55. & in eodem *tract.* bis iterum ponitur *resol.* 73. Item in eadem *part. 9. tract.* 8. bis *resol.* 57. & *tract.* 9. bis *resol.* 43.

Item in *part.* 10. *tract.* 12. bis posita est *resol.* 45. & *tract.* 14. bis *resol.* 2. & 3. & nescio an alijs quibusdam insuper locis.

Hisce obseruatis, & erroribus qui post Indicem hic annotati sunt, emendatis, erroneæ citationis fastidium, & molestum quærendi tædium facilè poterit euitari.

INDEX.

CASVVM PARTICVLARIVM qui ſub generalioribus titulis continentur.

Numerus deſignat paragraphum tituli cui adiungitur.

C

D.

Furtum.

G.

H.

INDEX.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Vicarius.

INDEX.

FINIS.

APPROBATIO.

R. P. D. Antonini Diana practicæ reſolutiones lectiſſimorum caſuum, ex duodecim eius partibus deſumptæ, ac plurimis locis auctæ, vtiliter imprimentur Actum 12. Martij 1660.

GVIL. BOLOGNINO.
S. Th. L. Eccl. Cath. Can.
& Lib. Cenſor. Antuerp.

